Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853554960/phys_0001
DFG


F.c – 3620.
F.c – 3620.

IO. ALBERTI BENGELII

ORDO TEMPORVM

A PRINCIPIO
PER PERIODOS OECONOMIAE DIVINAE
HISTORICAS ATQVE *PROPHETICAS*
AD FINEM VSQVE
ITA DEDVCTVS
VT TOTA SERIES
ET QVARVMVIS PARTIVM ANALOGIA
SEMPITERNAE VIRTVTIS AC SAPIENTIAE CVLTORIBVS
EX SCRIPTVRA V. ET *N. T.*
TANQVAM VNO REVERA DOCVMENTO
PROPONATVR.

EDITIO SECVNDA
CVRIS b. AVCTORIS POSTERIORIBVS AVCTA ET EMENDATA,
ET COPIOSIORE INDICE INSTRVCTA,
CVRANTE
EBERHARDO FRIDERICO HELLWAGIO.



STVTGARDIÆ
SVMTIBVS IOH. BENEDICTI MEZLERI.
ANNO MDCCLXX.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853554960/phys_0003
DFG

Ex
Bibliotheca
Academica
Rostochiensis



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853554960/phys_0004
DFG

NOVAE EDITIONIS PRAEFATIO.

SVMMARIVM

Ordo Temporum firmus: curæ auctoris secundæ. §. I.

In textu & margine repræsentatæ. §. II. & III.

Scripta, quæ illas habent, posteriora. §. IV.

Defensiones & Recensiones O. T. §. V.

Expositio, quæ nova in O. T. alibi non obvia afferantur. §. VI.

Iackson occupatus, refutatus. §. VII.

Merita Dn. D. Crusii de veritate chronologica. §. VIII.

Querela. §. IX.

Sensus & fortitudo Bengelii. §. X.

Monitum. §. XI.

Votum. §. XII.

L. B. S.

§. I.

Ab anno 1741. quo Ordo Temporum primum in lucem prodiit, b. Auctor, qui anno 1752. obdormivit, plures interim libellos, cum Ordine Temporum connexos, edidit. In iis omnibus Cardines chronologiæ Scripturariæ,

quam tuetur, firmi apparent ac immoti, in annis patriarcharum, in ſummis annorum ſcripturariis, in harmonia evangeliſtarum, in LXX hebdomadibus Danielis, in indagine apocalyptica, & cet. Nonniſi in articulis ſequioris momenti nonnulla *mutavit*, quæ pauca ſunt, plurima *vindicavit & confirmavit.*

§. II. Textum inde exſpectes, qui ad *mutatam* in paucis illis momentis ſententiam refictus ſit. accipis talem, quouſque auctor ipſe in exemplari, quo uſus eſt, ſua manu limavit illum & correxit: reliqua ex Scriptis ejusdem poſteriorибus collecta *margo* exhibet.

§. III. De margine inſuper ſic habeto. In eo, ut in ipſo textu, nonniſi Bengeliana legis. Ex reliquis ejus ſcriptis ea, quæ pro ſcopo Ordinis Temporum ad rem pertinere, quæ errorem præcavere, quæ lucem ante dictis & robur addere videbantur, ſelecta ſunt, ex germanico latine verſa, & ſuo quodque loco ſubjuncta. Nec tamen ſic emedullatos cenſeas libellos iſtos, in quibus potius pro ſuo cujuſque ſcopo multa ſuperſunt, quæ pretioſa, ſalubria, & lectu digniſſima ſunt, exegetica, apocalyptica, apologetica, alia, quæ huc quidem non videbantur pertinere.

§. IV.

§. IV. Scripta auctoris, quibus margo nititur, sunt Harmonie der vier Evangelisten, II. Auflage. Tübingen 1747. Gnomon Novi Test. editio II. Tubingæ 1759. Cyclus. Vlmæ 1745. Weltalter. Eßlingen 1746. bekræftigtes Zeugnis der Wahrheit. Stuttgart 1748. Ehrenrettung der heiligen Schrift. Leipzig 1755. Anhang zum überßezten Neuen Teßtament. Stuttgart 1753. & 1769.

§. V. In vivis dum erat, Ordo Temporum ab aliquot dißentientibus ßollicitatus, ab auctore in ßcriptis modo memoratis defenßus eßt. Recenßionem illius ipße dedit in Dn. Rathlefs Geßchichten izt lebender Gelehrten lib. 3. p. 453 — 457. Qui veritatem amant, iis non dißplicebit, uti im Weltalter p. 325. etiam hic legere, quæ Nouvelle Bibliotheque, Tom. XII. de Ordine Temporum dißerit: *Cette Chronologie . . . . eßt remarquable, entre toutes les autres, par bien des endroits qui meritent la reconnoißance & l'attention du Public. Mais il y en a deux principalement qui ßont tout* NOUVEAUX. *L'un eßt quel'on trouve ici l'ordre du tems à venir jusqu'à la fin du Monde, arrangé ßur les Propheties, avec la meme exactitude, que l'eßt celui du tems paßßé depuis l'Origine des Siecles ßur les monumens de*

l'Hiſtoire ſacrée; deſorte que la ſuite chronologique du Genre humain eſt complete. L'autre eſt de faire enviſager cet Ordre des Tems comme un TOUT, *dont les premieres* PARTIES *repondent aux ſuivantes, & ſur tout a la derniere, non ſeulement par voye d'Antecedent, qui y conduit & qui y prépare, mais encore par voye d'Embleme, de figure, ou d'analogie, qui annonce, & qui repreſente les choſes. Je ne ſaurois mieux expliquer cette idée, qu'en traduiſant celle que l' . . auteur en donne lui meme dans ſa Préface.* Poſtquam quod in Præfatione potiſſimum eſt & præterea omnium capitum argumenta retulerat, pergit: *Il y a la dedans tant de choſes* SINGULIERES, *& tant de matiere a reflexions, qu'il me ſeroit impoſſible d'en extraire une partie, ſans etre fort obſcur, & de m'etendre ſur le tout, ſans m'engager dans une longueur exceſſive.* etc.

§. VI. Factum eſt, ut b. auctor, cujus modeſtia & verecundia multis locis ac ſpeciminibus teſtatiſſima eſt, iniquis opponentium judiciis cogeretur diſerte exponere, quæ momenta in Ordine Temporum multa & gravia, in aliis libris vix obvia, contineantur. *In eo videlicet* (ait im Weltalter) *annorum a mundo condito elapſorum ea exhibetur ſumma, quam nullus alius habet*

habet chronologus: una eademque anni longitudo ante & post diluvium, cui Shukford, *non sine aliorum assensu, contradicit, demonstratur: anni Noachi & Semi conciliantur: initium annorum* 430. *Exod. XII.* 40. *Gal. III.* 17. *novis argumentis cum anno* 70. *Abrahami conjungitur: anni* 480 1 *Reg. VI.* 1. *de quibus quæ scripta sunt, immanem efficiunt cumulum, ope unius* novæ *regulæ ex meris numeris scripturariis conficiuntur: anni regum Juda cum annis regum Israelis, uti in libris Regum exstant, conciliantur, & cui conciliatio hæc, per se non tam facilis explicatu, displicet, ei integrum est, solis regum Juda annis, ut qui etiam in* 2 *Chron. exstant, simpliciter inhærere. LXX anni captivitatis Babylonicæ vel potius servitutis ex veritate declarantur, simulque varia connexio, uti Prideaux appellat, Lineæ Chronologicæ, ubi in V. T. desinit, & in monumentis externis incipit, evincitur. Reliquiæ externarum gentium chronologicæ, quæ epocham Nabonassari antecedunt, ad Scripturam sacram collatæ nullæ sunt. Cum igitur viderem, vanos literatos in gratiam amplæ suæ lectionis fragmenta illa præter necessitatem periculose ornare, perinde ac si ex illorum consensione Scripturæ demum stabiliretur auctoritas, nec sine illa salva esse nec certe hæc intelligi posset: ex abundanti tan-*

tummodo paucis ad illa descendi. Numeros annorum Sinicos, Assyrios & Chaldaicos in primævis temporibus indubitate enormes, & desperatam illorum incertitudinem dilucidius, spero, ostendi. Aliarum gentium monumenta, quæ meliora sunt, cum Scriptura sacra conciliavi, & præcipue in Ægypto Pharaonem obduratum quis fuerit, evolvi. In Chronotaxi evangelica verus annus nativitatis, baptismi & passionis Christi demonstratur, nec nisi tria paschata, quum alias quatuor venditentur, inter baptismum & exaltationem Christi fuisse, evincitur. quæ quidem differentia, cum demonstratione sua, nova multa supponit, novosque usus parit. In Chronotaxi apostolica ostenditur, cur ætate recentiori ab antiqua vera chronologia seculi primi tam longe discessum fuerit? Itaque in Ordine Temporum novæ *multæ vel potius antiquæ* noviter *detectæ veritates, quanquam sine ostentatione, proponuntur: adde quod multorum insuper eruditorum nostræ ætatis systemata chronologica in eo examinantur, & sic deinceps.* Weltalt. p. 326 seq.

§. VII. In chronologia novum opus ab anglo, Iohann Iackson, elucubratum, lucem vidit atque etiam germanice versum Norimbergæ 1756. prodiit. Græcam ille lectionem in annis patriarcharum

charum defendit. quæ Ordo Temporum contra illum jam occupaverit, videas c. II. sect. III. c. III. sect. II. c. XII. sect. I. in fine. Ceterum contra ejusdem hypotheses vindicias *chronologiæ sacræ Textus Hebræi* sua eruditione & soliditate dignas ex nostratibus edere cœpit Dn. Prof. Lud. Ios. Uhland in Dissertatione Tubingæ edita 1763.

§. VIII. De veritate in Ordine Temporum & reliquis etiam Scriptis Bengelianis proposita optime immortaliterque meruit Theologus Lipsiensis Dn. D. Christ. Aug. Crusius, qui se Bengeliani Systematis generosum, imperterritum, obtrectationis etiam ac invidiæ patientem assensorem adhucdum ostendit, cujus laboribus in docendo & scribendo favere DEum nobiscum multi gaudent, qui præsertim in eximiis suis Hypomnematibus ad Theologiam Propheticam præcipua chronologiæ scripturariæ capita præclare evolvit, elucidavit, & confirmavit, immo in aliis jam multis scriptis veritatem testatus est. Ejusdem etiam impulsui, fatendum est, nova hæc Ordinis Temporum editio accepta est referenda. Parvæ molis, sed dignum memoratu est scriptum anonymi, schriftmæsige Anmerkungen über die in des Hrn. D. Ernesti theolog. Bibliothec Band VI. St. 4. befindliche Recension

des Hrn. D. Crusii Hypomnemata ad Theologiam Propheticam betreffend. Frankf. und Leipzig 1766. Eruditus hujus libelli auctor non solum potiora veræ interpretationis Apocalypseos fundamenta, sed & locum illustrem Habac. III. 2. in Ordine Temporum atque insuper in Hypomnematibus copiosius tractatum contra censuras illius Bibliothecæ, uti multi etiam in his terris oculati viri judicant, solide, sobrie, & graviter vindicavit.

§. IX. Antiquum est monitum, de mortuis nonnisi bene! Enimvero b. Bengelius postquam obiit, mirum est quam inique a viris celebris præsenti ætate nominis tractetur. Si dicendum, quod res est, nodum sæpe in scirpo quærunt, modo ut habeant, quod in Bengelio carpant, cum nihil in re, quod reprehendant, inveniunt, reprehendunt in modo, in minutiis, in iis, ubi aliis suo cuilibet abundare sensu integrum est. Non refutant Bengelium, quod nequeunt, sed vellicant duntaxat, non dissensum sed malevolentiam produnt, non argumentis sed indignissimis modis, non hæc illa placita sed totam Bengelii caussam & existimationem oppugnant. Quid sit, quod hos fluctus excitet, obscurum non est. Interim tamen crescit assensus, quem

boni

boni viri iique oculati & conſpicui Bengelio non diſſimulanter præbent. Huic aperte invidetur. Querelam fundatam & ex juſto dolore natam ſingulari ſcripto proxime forſan evulgando nonnemo συμπαθης demonſtrabit.

§. X. *Nihil poſſum contra veritatem*, verba ſunt Dn. D. Cruſii in Præf. ad Hypomn. p. XXIX *cogitent diſſentientes, ſe itidem nihil poſſe. Vter inter nos erraverit, futuris & proximis hominum generationibus contemtui erit.* Omnino congruit, quod viro cuidam magno, qui dixerat, ſe mirari, quod Bengelius non dubitet exiſtimationem ſuam, quam ceteroquin in orbe erudito conſecutus ſit, apocalypſi ita explicandæ impendere, b. Bengelius reſpondit, ſe non dubitare cum illo viro celeberrimo certamen inire, uter ſuæ exiſtimationis jacturam ſit facturus? qui famæ ſuæ a ſtudio apocalyptico metuat, an qui eam apocalypſi fidenti animo conſecret? ſe certum eſſe, quod qui exiſtimationem ſuam in hac cauſſa apocalyptica ſervare velit, perditurus ſit, qui vero perdiderit, ſervaturus ſit.

§. XI. Vigilandum eſt, Lector. Non de Bengelii nomine, fama, ſecta agitur, ſed de veritate, de chariſmate, quod Bengelio non Bengelii

ſed

sed Publici causa in criticis, chronologicis, prophetici, apocalypticis datum est divinitus, de signis nostri temporis. Videant quid agant & velint, qui dant se ad destruendum, cum vocati sint ad ædificandum, qui Spiritum exstinguunt, prophetias extenuant (1 Thess. V. 19. 20) qui cum mederi exanthematibus, quibus corripiuntur infirmi, parva prudentia possint, illa acerbe exulcerant & quasi pestis invasisset exagitant. Non id egit Bengelius, ut nomini suo sectam excitaret, in ipsius verba jurantem. Veritati studuit ingenue, suosque discipulos & lectores exemplo suo probatissimo, ut idem facerent, allicuit. Quid dixerit, scripserit ve, revideant atque amplius examinent, qui præsentes fluctus reformidant. Bona Bengelii pace proficiant, qui possunt, in cognoscenda & testanda veritate, quam ille docuit, & Bengelium id ipsum optantem & nobis gratulantem (confer omnino die erklærte Offenb. ad c. XVII. 9.), Deo dante, vincant.

§. XII. Scripsi hæc inter desideria æternitatis cumulata, quæ ciebantur discessibus ex hac vita beatis non viduæ modo Bengelianæ, socrus meæ dilectissimæ, sed & Exoptatissimi mei Affinis, Dn. M. Philippi Davidis Burkii, Superinten-

tendentis Kirchoteccenſis, quem beatus auctor, Ipſius & meus ſocer, in præfatione ad Gnomonem N. T. §. XXV. ut ſuum quaſi ἰσόψυχον commendavit, qui variis etiam ipſe ſcriptis in publicum editis lectori innotuit, quem DEus nupero XXII. die Martii anno ætatis ſuæ LVI. ad beatas ſedes evocavit. Agedum brevi etiam nos demigrabimus. Adeſto nobis DOMINVS, ut Ipſi in hoc tempore vivamus, ut Ipſi moriamur, ut Ipſe in nobis nunc & in æternum glorificetur. Dabam Sulzæ ad Nicrum Anno æræ Dion. MDCCLXX. d. 1. April.

PRO-

PROOEMIVM

DE VNIVERSA RATIONE CHRONOLOGIAE PER SCRIPTVRAM SACRAM DIFFVSAE.

SVMMARIVM.

§ *I. In Scriptura multæ sunt temporum notationes:*
II. considerandæ:
III. ita, ut summa quædam ex iis fiat,
IV. eaque solida,
V. cujus meta est dies Christi.
VI. Meditullium, historia evangelica.
§ *VII. Historia & prophetia V. & N. T. hîc confluunt.*
IIX. Firma methodus,
IX. & brevis.
X. Quid auctor promittat.
XI. Quid a lectore petat.
XII. Tractatio bipertita indicatur.

§ I.

Duplici potissimum documento Scriptura sacra nos instruit: primum cognitionem de Creatore, Redemtore, Paracleto; de angelis, de homine; de peccato, de gratia; de fide, de obedientia; de novissimis, nobis proponit. Et hæc cognitio est maxime necessaria. Deinde rationem œconomiæ divinæ in tractando genere humano, in promissione de Christo data & præstita vel præstanda, in gubernando populo Dei, a primis temporibus ad postrema, nobis pandit. Illa pars, ad omnes; hæc, ad nonnullos pertinet. Spectat medicus in praxi quotidiana sanguinem,

guinem, lympham, nervos, ceteraſque partes teneriores: ſed *oſſa* non negligit, quæ minus ſenſibili nutrimento, rariori medicina egent, & tamen totam compagem ſuſtentant, & interdum pro *toto* corpore appellantur. Sic qui Scriptura, pro eo ac decet, utitur, præcipue capita illa, de fide, ad ſalutem ſuam & aliorum tractat: ſed idem rationem temporum ſacrorum propterea contemnere non poteſt, præſertim cum altera pars alteri lucem & robur addat. ΕΡΓΑ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑΙ, & *opera* DOMINI *& dies* operum, in Scriptura exponuntur: temporum, cum rebus, majorum, minorum, per omnem Scripturam, veteris ac novi Teſtamenti, hiſtoricam juxta atque propheticam, copioſiſſime eſt diffuſa mentio, præſertim in Geneſi, in Iudicibus & Regibus, in Daniele, in Apocalypſi.

II. Talem temporum mentionem, rebus graviſſimis nuſquam non interſperſam, nulla anima, quamlibet ſancta, quamlibet profana, contemnere poteſt. Et quanquam non omnium eſt, huic ſe ſcrutinio immergere, eos tamen, quibus veritatis quidpiam hac in parte affulget, fas eſt, hoc ipſum ſuſcipere, atque in communem utilitatem proferre, provido inter curioſitatem & ſocordiam itinere, ut neque id, quod non ſcriptum eſt, quæratur, neque id, quod Scriptura offert, negligatur.

III. In omni hiſtoriarum genere ad res ipſas illuſtrationis ſubinde gratia adjicitur tempus tanquam circumſtantia; eaque adjectio interdum magis eſt neceſſaria, interdum minus: at in Scriptu-

Scripturis multa ita recensentur, ut ipsius temporis indicium agatur præcipue, imo ut historia sit temporis tantummodo vehiculum. Sæpe tempus notatur, ubi res ipsa id vix postulare videtur: contra, sæpe res magna sine temporis indicio ponitur. Sic, quum multis diu locis Arca fœderis fuerit, tantummodo menses VII in agro Philistæorum & anni XX in Kirjathjearim notantur: contra, quum tot principum ponantur anni, anni Iosuæ ducis, Samuelis judicis, & Sauli exregis, non ponuntur, sed res eorum sub annis aliorum eventuum expressis comprehenduntur. 1 Sam. VII. 2. 15. &c. Sæpe ipsum *temporis* indicium unice spectatur, ut in iis patriarchis, quorum non nisi anni recensentur, ut anni sint flores ipsi, nomina patrum, scapi; & in Iechonia, qui, quanquam plane spretus vir erat, tamen post *annos* XXXVII liberatus fuisse dicitur, mense quoque & die notato. Quæ ergo tempora notantur, non sua ipsorum causa notantur: gravius consilium subest, ut ex omnibus hisce *partibus totum* quiddam, sive una summa, divinitus constituta ac definita, exhibeatur nobis, &, ubi collegerimus, quam munitissima reperiatur.

IV. Articulos temporum ab Adamo Scriptura usque in mediam captivitatem Babylonicam ita indicat, ut nihil eximi, nihil intrudi possit. Non Iosepho supplicare, non placita Rabbinorum consulere, nil ex nostro arbitratu supplere necessum habemus, sed una nobis, certissimo, neque tamen adhuc observato veritatis criterio, cura relinquitur, qua, textu freti, expressis numeris

nume-

numeros addamus expreſſos. Vbi id indicium deſinit, ibi demum incipiunt documenta apud externos ſcriptores, ſeriem annorum ad epocham Dionyſianam, atque ita ad hodiernum diem, propagantia. Tum Apocalypſis excipit nos, & per ænigmata ſua deducit ad extrema mundi tempora propriis verbis notata, ſimulque univerſam mundi ætatem & partes ejus nobis recludit. Hanc dicimus LINEAM CHRONOLOGICAM.

V. Totum Scripturæ teſtimonium ſpectat IEſum Chriſtum Dei filium, & gloriam ejus in die noviſſimo patefaciendam, in ſalutem eorum, qui illi interim in fide ſe dedunt. *Series tota temporum*, quæ in Scriptura exhibentur, *ſpectat ad demonſtrandum* (ne commoveatur quiſquam: ſobria ſequitur declaratio rei:) *Diem Chriſti.* Is dies ante glorificationem Domini latebat, ſed in glorificatione, ſolutis ab Agno ſigillis libri cœleſtis, patet, & *gradatim* clarius noſcitur.

VI. IESVS Chriſtus, in mundo olim verſatus, Lux eſt mundi: tempus, quod in mundo idem ille tranſegit, ab *evangeliſtis* dextre notatum, eſt Lux temporum mundi, præteritorum & futurorum. Neque prophetarum teſtimonium nil, confert.

VII. Ipſam *ſummam* temporum, quam habet *hiſtoria V. T.* & Apocalypſis, tanquam *prophetia N. T.* egregie adjuvant ſat multæ *ſtrictiuræ* chronologicæ, quas habent libri *hiſtorici N. T.* & libri *prophetici V. T.* Ex omnibus una illa contexitur *Linea chronologica*, perſæpe nobis commemoranda. Eam orditur Geneſis: Apocalyp-

sis absolvit. Totum tempus in Scriptura coagmentatum, partes suas, quas nulla humana subsidia explicare possunt, explanat. Firmitudo, facilitas, utilitas, opinione major est.

VIII. Hunc ductum sequemur, obturatis auribus contra innumeras dubitationes, discrepantissimas sententias, & peregrina auctoramenta, quibus literatissimi homines detinentur. Labyrinthus est chronologia, etiam sacra, iis, qui errorem præ veritate & filo ejus amant: sed, Scriptura duce, Paradisus est simplici & docili animæ, id quod jam jamque, magis autem in exitu, constabit.

IX. Fundamentum est evangelistarum Harmonia ex evangelistis petita: Apocalypsis ædificium ad fastigium usque perducit.

X. Brevis est hæc vita: Prolixitas etiam in bonis rebus vitanda. Cavendum, ne, dum tempora subtilius sectamur, res magis necessarias negligamus, & ipsius æternitatis obliviscamur. Ea, quæ utilia sint, præcipue ornabo: considerationemque ita instituam, ut ex ceteris chronologis, recentioribus præsertim, qui antiquos satis excussserunt, ea, quæ vera sunt, facile huc inferri; quæ secus se habent, redargui possint. Nolim tamen, *meram* hoc loco chronologiam quæri. *Hebraici textus sinceritas*, *verus accentuum usus*; *vita Salvatoris in mundo*, *actiones apostolorum*; *exacta anni mensisque longitudo*, multa alia cognitu digna, vigilanti lectori occurrent: & sine arrogantia dixerim, hoc quasi commentariolo totam quodammodo Scripturam cieri.

XI.

XI. Abs te, Lector, sunt, quæ hoc jam loco petam. 1. Ne putes, me de ipso *die novissimo* determinando laborare. Non potuit hæcce tractatio expediri, quin passim eo vergere videretur: sed suo loco se ipsa coercet, inprimis capite XI, in extremo. Necessario & vere hoc, in limine, declaro. 2. Vt ne primo operis adspectu veritati specialibus argumentis explicatæ præcipitanter opponas generalia placita, quæ in ipso opere provisa & confutata cernant alii. Suum quisque habemus & circumgestamus *SCRINIVM PECTORIS*, naturalibus, civilibus, spiritualibus præjudiciis occupatum, cui, quasi oraculo cuidam præsentissimo, magis, quam DEI Verbo, multi, quotquot videlicet minus molli & subacto corde utuntur, auscultant, quotiescunque aliquid minus obvium ex Scriptura eruitur tanquam verum & promulgandum. Cordi, seu cerebro, palma datur: Scriptura, vix secundum obtinet locum. Pro axiomate habetur, *Temporum præteritorum & futurorum notitiam obtingere hominibus haud posse, inutilem esse &c.* Talis opinio veritati, de improviso oblatæ, repulsam parit. O quam necessaria est hæc admonitio! quantum periculum, ne tamen a quibusdam prætereatur! 3. Vt totam rem ordine cognoscas, si quidem aliis, quid judicii de re ipsa vel etiam de aliorum super ea judiciis facias, declarare gestis. 4. Vt ne putes me a *posse* ad *esse* argumentari, ubi interdum dico, quid fieri *potuerit:* nam iis tantummodo, qui aliquid fieri non potuisse objiciunt, occurritur. Exempla dantur

pag. 166. &c. 5. Vt pondus argumentorum modo minus, modo majus distinguas. Subinde videbitur aliquid uno loco minus firmiter asseri, quod alio, sed minime alieno, loco, ex professo confirmatur. 6. Vt ne cito credas, atque ut alios a credendo deterreas, si quidpiam, quod jure offenderet, adscriptum mihi fuerit, ab iis fortasse, qui, quia scribere se oportere putant, scribunt, quod cupiunt, etiamsi non cupiant. Quæ egomet sentio, præstabo. 7. Vt ea, quæ numerorum harmonia nituntur, si forte in numeris minus exercitatus sis, exagitare parcas. 8. Vt sub cortice difficultatum chronologicarum dulcem exquiras nucleum.

XII. De *præteritis* primum agam, quæ quo latius a chronologis ætatis nostræ fere omnibus, invita veritate, *amplificantur*, eo magis hoc scrutinium postulant. Quæ autem de hac parte dixero, ita examinari patiar, ut si nullum cum *futuris* nexum haberent, quanquam præterita deinde & futura multum sibi invicem lucis adferent. Gloria sit DEO Regi sempiterno. Dabam in Monasterio Herbrechtingensi, Anno æræ Dion. MDCCXLI. a. d. XVIII. Iun.

סדר עולם

ORDO TEMPORVM.

Caput I.

SERIES ARTICVLORVM CHRONOLOGICORVM AB ADAMO VSQVE AD APOSTOLOS.

[*Anni Periodi Iulianæ & ante Æram Dionysianam omnes sunt* currentes: *annos a Mundo vel Adamo condito* præteritos *subinde litera* p, & ineuntes *litera* i *denotat, donec* c currentes *denotans succedit.*]

Anno Periodi Iulianæ 771, ante Æram Dionysianam 3943, auctumno appropinquante, cœlum & terra creantur: Adam creatur, peccat.

P. I.	Mundi:	ante Æ. D.	
901	103 *p*	3813	Seth nascitur.
1006	235	3708	Enos nascitur.
1096	325	3618	Kainan nascitur.
1166	395	3548	Mahalaleel nascitur.
1231	460	3483	Iared nascitur.
1393	622	3321	Henoch nascitur.
1458	687	3256	Mathusala nascitur.
1645	874	3069	Lamech nascitur.
1701	930	3013	Adam moritur.
1758	987	2956	Henoch transfertur.
1813	1042	2901	Seth moritur.

P. I.	Mundi:	ante Æ D.	
1827	1056	2887	Noah naſcitur.
1911	1140	2803	Enos moritur.
1946	1235	2768	Kainan moritur.
2061	1290	2653	Mahalaleel moritur.
2193	1422	2521	Iared moritur.
2307	1536	2407	Hominibus dantur 120 anni.
2327	1555 p	2387	Sem naſcitur.
2422	1651	2292	Lamech moritur.
2426	1655 p	2288	Mathuſala moritur. Noah annum 600 ætatis ingreditur. Diluvium venit. *
2427	1656 p	2287	Diluvii finis. Arphachſad concipitur & naſcitur.
2462	1691	2252	Sala naſcitur.
2481	1710	2233	Epocha Babylonica.
2492	1721	2222	Heber naſcitur.
2526	1755	2188	Peleg naſcitur.
2556	1785	2158	Regu naſcitur.
2589	1817	2125	Serug naſcitur.
2618	1847	2096	Nahor naſcitur.
2647	1876	2067	Tharah naſcitur.

2717

* *Tempus diluvii* ante omnia *ex numeris annorum Moſaicis determinari debet: & cum* deinceps *verus aſtrorum curſus iſthuic tempori congruit, non contemnenda eſt acceſſio. Ex adverſo ſi quis, qui tempus diluvii annis non paucis vel accelerat vel retardat, cometas in revolutionibus ſuis cum illo conjungere vellet, non una ex parte erraret.* Whiſton *diluvium ponit a. 2365. P. J. & cometæ tribuit, & ipſi quidem illi, qui a. 1680, apparuit. Hanc de cometis opinionem, quam* Whiſtoniani *amplius ornant, præcipue* Joh. Bernhard Wideburgius *refutavit* in aſtron. Bedenken, §. 109 — 130. Weltalt. p. 75. *Quare cometam ullum cum diluvio conjunctum fuiſſe putemus, cauſſa nulla eſt — Diluvii cauſſas aperte enumerat* Moſes, *neque ullam ſtellarum in iis mentionem facit.* Cycl. p. 69. §. 150. p. 75. §. 163.

P. I.	Mundi:	ante Æ. D.	
2717	1946	1997	Abraham naſcitur.
2727	1956	1987	Sara naſcitur.
2765	1994	1949	Peleg moritur.
2766	1995	1948	Nahor moritur.
2777	2006	1937	Noah moritur.
2787	2016 c	1927	Abraham ex Vr Chaldæorum vocatus exit. Incipiunt 430 anni promiſſionis ante legem.
2792	2021	1922	Exit ex Haran, annos 75 natus.
2795	2024	1919	Regu moritur.
2803	2032	1911	Iſmael naſcitur.
2816	2045	1898	Circumciſio.
2817	2046 c	1897	Iſaac naſcitur. Incipiunt 400 anni, quos ſemen Abrahami peregrinabatur.
2818	2047	1896	Serug moritur.
2852	2081	1862	Thara moritur.
2854	2083	1860	Sara moritur.
2857	2086	1857	Iſaac Rebeccam ducit.
2867	2096	1847	Arphaxad moritur.
2877	2106	1837	Eſau & Iacob naſcuntur.
2892	2121	1822	Abraham moritur.
2895	2124	1819	Sala moritur.
2927	2156	1787	Sem moritur.
2940	2169	1774	Iſmael moritur.
2956	2185	1758	Heber moritur.
2968	2197	1746	Ioſeph naſcitur.
2997	2226	1717	Iſaac moritur.
2998	2227	1716	Ioſeph exaltatur.
3007	2236	1707	Iacob in Ægyptum migrat.
3024	2253	1690	Iacob in Ægypto moritur.
3078	2307	1636	Ioſeph moritur annorum 110.
3134	2363	1580	Aaron naſcitur.

P. I.	Mundi:	ante Æ.D.	
3137	2366	1577	Moſes naſcitur. *
3177	2406	1537	Moſes 40 annorum, fratres reviſit.
3217	2446 c	1497	Moſes 80 annorum, divino juſſu cum Pharaone loquitur. Exitus ex Ægypto : Lex.
3218	2447	1496	Tabernaculum erigitur.
3256	2485	1458	Miriam moritur : Aaron moritur. Iſrael occupat terram Sihon & Og.
3257	2486	1457	Moſes moritur. Iordanes trajicitur.
3262	2491	1452	Diſtributio terræ, anno Calebi 85. Initium 40 annorum, in quos incidunt anni 8 ſervitutis ſub Cuſchan riſchathaim & judex Othniel.
3302	2531	1412	Initium 80 annorum, in quos incidunt anni 18 ſervitutis ſub Eglon & judex Ehud.
3382	2611	1332	Initium 40 annorum, in quos incidunt anni 20 ſervitutis ſub Iabin & judicatus Deboræ.
3422	2651	1292	Initium 40 annorum, in quos incidunt anni 7 ſervitutis ſub Midian & judex Gideon.
3462	2691	1252	Abimelech fit rex, 3 annos.
3465	2694	1249	Thola judicat, annos 23.

3488

* *Cum apud* Clementem Alexandrinum *a nativitate Moſis ad captivitatem Babylonicam* 972 *anni numerantur*: Kohlreiffius *exemplum id eſſe Liphrat Katon æræ brevius expreſſæ ſine ratione ſtatuit, ut ſi ea ratione ad annum* Cyri *ſecundum* 3972 *anni fuiſſent. Eo ipſo meus præclare confirmatur calculus, quippe qui a nativitate* Moſis *ad primum* Nebucadnezaris *annum* (A. M. 2366—3338.) *præciſe* 972 *annos habet.* Ehrenrett. p. 76.

P. I.	Mundi:	ante Æ. D.	
3488	2717	1226	Iair judicat, annos 22.
3510	2739	1204	Initium 18 annorum ſervitutis Ammoniticæ, in quos incidunt 6 anni Iephtha.
3528	2757	1186	Ebſan judicat, annos 7.
3535	2764	1179	Elon judicat, annos 10.
3545	2774	1169	Abdon judicat, annos 8.
3553	2782	1161	Initium 40 annorum ſervitutis Palæſtinæ, in quos incidunt 20 anni judicis Simſon.
3593	2822	1121	Eli judicat, annos 40. quorum initio Samuel naſcitur.
3613	2842	1101	Samuel Propheta. Hujus prophetia & Sauli regnum conjunctim, erat annorum 40.
3623	2852	1091	David naſcitur.
3633	2862 c	1081	Arca fœderis annos 20 eſt in Kiriathjearim. *Poſtea*, ſene Samuele, Saul fit rex.
3653	2882	1061	David aliquanto poſt mortem Samuelis, & mox ſub mortem Sauli, fit rex: regnat annos 40.
3660	2890 i	1054	Hieroſolymam capit.
3693	2923	1021	Salomo regnat annos 40.
3697	2926 c	1017	Templum fundatur.
3704	2934 i	1010	dedicatur.
3733	2963	981	Roboam, annos 17 Rex Iudæ: &, exorto ſchiſmate regni, Ieroboam, R. Iſr. 22 annos.
3750	2980	964	Abia, R. Iud. 3.
3753	2983	961	Aſa R. Iud. 41.
3754	2984	960	Nadab R. Iſr. 2.
3755	2985	959	Baeſa R. Iſr. 24.
3778	3008	936	Ela R. Iſr. 2. ann.
3779	3009	935	Zimri, R. Iſr. 7 dies.

P. I.	Mundi:	ante Æ. D.	
3780	3010	934	Omri R. Iſr. 12 ann.
3786	3016	928	Samaria, ſedes regni Iſraelitici.
3791	3021	923	Achab R. Iſr. 22. ann.
3794	3024	920	Ioſaphat R. Iud. 25.
3814	3044	900	Achazia R. Iſr. 2.
3816	3046	898	Ioram R. Iſr. 12.
3819	3049	895	Ioram R. Iud. 8.
3827	3057	887	Achazia R. Iud. 1.
3828	3058	886	Iehu rex Iſrael 28. Athalia regnat in Iuda.
3834	3064	880	Ioas rex Iud. 40.
3856	3086	858	Ioachaz rex Iſr. 17.
3873	3103	839	Ioas rex Iſr. 16.
3874	3104	840	Amaſia rex Iud. 29.
3888	3118	826	Ieroboam rex Iſr. (41)
3903	3133	811	Azaria ſive Ozia rex Iud. 52 ann.
3940	3170	774	Zacharia R. Iſr. 6 menſ.
3941	3171	773	Sallum R. Iſr. 1 menſ.
—	—	—	Menachem R. Iſr. 10 ann.
3952	3182	762	Pekachja R. Iſr. 2.
3954	3184	760	Pækach R. Iſr. 20.
3955	3185	759	Iotham R. Iud. 16.
3971	3201	743	Achaz R. Iud. 16.
3983	3213	731	Hoſea R. Iſr. 9.
3987	3217	727	Ezekia R. Iud. 29.
3992	3222	722	Samaria capitur.
4016	3246	698	Manaſſe 55.
4071	3301	643	Amon 2.
4073	3303	641	Ioſia 31 ann.
4104	3334	610	Ioachaz, 3 menſ.
4104	3334 c	610	Iojakim 11 ann.
4109	3338 c	605	Nebucadnezar regnat annos 43.
4110	3339	604	Nebucadnezaro ſomnium de Coloſſo explicat Daniel.
4116	3345	598	Iechonias rex: Sedekias rex.
4125	3354	589	Vrbs obſidetur.

P.I.	Mundi:	anteÆ.D	
4127	3356	587	Templum & urbs per Chaldæos vastatur.
4153	3382	561	Evilmerodach 2.
4155	3384	559	Nericassolassarus 4.
4159	3388	555	Nabonadius 17.
4176	3405	538	Cyrus, victor. 9.
4178	3407	536	Babylon capta.
4179	3408	535	Libertas Iudæis reddita.
4185	3414	529	Cambyses. 8.
4193	3422	521	Darius Hystaspis. 36.
4228	3457	486	Xerxes. 21.
4249	3478	465	Artaxerxes Long. 41.
4256	3485	458	Ezra Hieros. ascendit.
4269	3498	445	Nehemias Hierosolymam ascendit.
4290	3519	424	Darius Nothus. 19.
4309	3538	405	Artaxerxes Mnemon. 46.
4355	3584	359	Ochus. 21.
4376	3605	338	Arogus. 2.
4378	3607	336	Darius Codomannus. 4.
4382	3611	332	Alexander M. 8.
4390	3619	324	Philippus Aridæus.
4397	3626	317	Alexander II.
4402	3631	312	D. 13. martii incipit annus I. Græcorum in 1 Maccab. Seleucus Babylonem occupat.
4409	3638	305	Ptolemæus Lagi.
4429	3658	285	Pt. Philadelphus.
4467	3696	247	Pt. Evergetes.
4492	3721	222	Pt. Philopator.
4509	3738	205	Pt. Epiphanes.
4533	3762	181	Pt. Philometor.
4538	3767	176	Antiochus Epiphanes, rex Syriæ.
4546	3775	168	Templum profanatur.
4549	3778	165	Templum restituitur, d. 25. Casleu, d. 22. nov. sabbato.

P. I.	Mundi:	ante Æ. D.	
4551	3780	163	Antiochus Eupator obsidet Hierosolymam.
4568	3797	146	Pt. Evergetes II.
4579	3808	135	Hyrcanus rex.
4597	3826	117	Pt. Soter.
4633	3862	81	Dionysius.
4651	3880	63	Pompejus Hierosolymam venit, templum expugnat.
4662	3891	52	Cleopatra.

P. I.	Mundi:	Iul.	Æ. D.	
4669	3898		45	Annus *Iulianus* 1.
4670	3899	2	44	Cæsar interficitur.
4671	3903	3	43	Triumviratus.
4674	3903	6	40	Cos. Cn. Domitius Calvin. II. C. Asinius Pollio. Herodes rex appellatur.
4677	3906	9	37	Cos. M. Vipsanius Agrippa: L. Caninius Gallus. Herodes Hierosolymam capit.
4683	3912	15	31	Victoria Actiaca, ineunte septembri.
4684	3913	16	30	Alexandria capta: d. 29 aug. Initium æræ.
4687	3916	19	27	Cæsar, Augustus appellatur.
4695	3924	27	19	Herodes templum reædificat.
4709	3938	41	5	Gabriel Angelus apparet Zachariæ.
4710	3939	42	4	Ol. 194: 1. V. C. 750. Cos. C. Calvisio Sabino: L. Passieno Rufo: Cyclo Sol. 6. Lun. 17. d. 25. Dec. nascitur I. C.
4711	3940	43	3	Herodes moritur.
4714	3943	46		V. C. 754. Epocha Dionys.
4720	3949	52		Æ. D. 7. Archelaus principatu exuitur.

P.I.	Mundi:	Iul.	Æ. D.	
4722	3951	54	9	Paſcha: IESVS in templo. Luc. II.
4727	3956	59	14	Coſſ. Sex. Pompejus: Sex. Apuleius. Auguſtus moritur d. 19. Aug. Succedit Tiberius.
4739	3968	71	26	Grato ſuccedit Pilatus procurator Iudææ.
4740	3969	72	27	Currente anno 14 poſt initium Tiberii, ſub initium anni 15 imperii Tiberii a menſe Tiſri ductum, Iohannes incipit baptizare: IESVS baptizatur.
4741	3970	73	28	Paſcha Ioh. II.
4742	3971	74	29	Paſcha Ioh. VI. Coſs. C. Rubellius Geminus: L. Fuſius Geminus.
4743	3972	75	30	Æt. I. C. 33. Coſs. L. Caſſius Longinus: M. Vinicius Quartitinus. Paſcha. Paſſio: mors: reſurrectio: aſcenſio: pentecoſte. Initia eccleſiæ chriſtianæ. Act. II.
4746	3975	78	33	Paulus, tribus abhinc annis converſus, Hieroſ. venit.
4750	3979	82	37	Pilatus Iudæam relinquere jubetur: Tiberio ſuccedit Caius. Cornelius baptizatur.
4754	3983	86	41	Claudius.
4757	3986	89	44	Herodis mors.
4760	3989		47	Concilium Hieroſolymitanum.
4767	3996		54	Nero.
4777	4006		64	Geſſius Florus in Iudæam venit: Iudæos vehementer vexat.
4780	4009		67	Petri & Pauli martyrium.
4781	4010		68	Galba.
4782	4011		69	Otho: Vitellius: Veſpaſianus.
4783	4012		70	Hieroſolyma vaſtata.

P. I.	Mundi:	Æ D.	
4792	4021	79	Titus.
4794	4023	81	Domitianus.
4809	4038	96	Nerva.
4811	4040	98	Trajanus. Huius imperio ineunte obiit Iohannes Apostolus.

CAPVT II.

CANON HEBRAICVS,

QVO ANNI AB ADAMO AD SEDEKIAM EX IPSA SCRIPTVRA V. T. DEMONSTRANTVR.

SECTIO I.

TABELLAM EXHIBENS.

In principio, creavit Deus cœlum & terram: die ſexto, fecit hominem: a ſexto die, protinus *anni* Adam & incipiunt & progrediuntur. Somnium præadamiticum vel ſolus nexus locorum Gen. I. 16. II. 7. V. 1. ſeqq. refutat. Primum annos in *Canone* V. T. eoque *Hebraico* expreſſos, ab Adamo ad Iechoniam, ſimpliciter, ſine artificio, enumerabimus, nominibus propriis ſubinde vel Hebræo, vel Græco, vel Latino more, uti res animuſque tulerit, notatis: deinde eos annos regum Iuda regumque Babyloniorum, qui nexum inter ſe habent, ſpectabimus: tum, ex hiſtoria externa eos recenſebimus annos, per quos *Canon Ptolomæi* nos in ipſam æram hodienum uſitatam deducet. Id faciemus per *Tabellas* ſimillimæ inter ſe ſtructuræ. Prima, quam hoc ſibi caput vindicat, ſic habet:

Terminus a quo:	ANNO P. I. curr.	Ante Æ. D.	Terminus ad quem:	anni fing.	anni collecti
Geneſ. V. 3	771 a menſe Sept.	3943	Adam creatus eſt: & inde vixit, dum filius, Seth, naſceretur, annos	130	

Termi-

Terminus a quo:	ANNO P.I curr. a menſe Sept.	Ante Æ. D.	Terminus ad quem:	anni fing.	anni collecti.
Geneſ. V. 6	901	3813	Seth, ſuſtinet annos	105	235
9	1006	3708	Enos	90	325
12	1096	3618	Kainan	70	395
15	1166	3548	Mahalaleel	65	460
18	1231	3481	Iared	162	622
21	1393	3321	Enoch	65	687
25	1458	3256	Mathuſala	187	874
28	1645	3069	Lamech	182	1056
32	1827	2887	Noe	500	1556
XI. 10	2327	2387	Sem	100	1656
12	2427	2287	Arphaxad	35	1691
14	2462	2252	Sala	30	1721
16	2492	2222	Heber	34	1755
18	2526	2188	Phaleg	30	1785
20	2556	2158	Ragau	32	1817
22	2588	2126	Serug	30	1847
24	2618	2096	Nachor	29	1876
26	2647	2067	Thara	70	1946 *elapſi*
XXI. 5	2617 a vere	1997	Abraham	100 *fere curr*	2046
XV. 13	2717	1897	Peregrinatio ſeminis Abrahami.	400	2446
Exod. XVI. 35	3217	1497	Populus in deſerto	40	2486
Ioſ. XIV. 10	3257	1457	Caleb	5	2491
Iud. III. 11	3262	1452	Othniel: quies	40	2531
30	3302	1412	Ehud: quies	80	2611
V. 31	3382	1332	Debora: quies	40	2651
VIII. 28	3422	1292	Gideon: quies	40	2691

Iud.

	P.I.	Ante Æ. D.			
Iud. IX. 22	3462	1252	Abimelech	3	2694
X. 2	3465	1249	Thola	23	2717
3	3488	1226	Iair	22	2739
8	3510	1204	Venditio ſub Ammonitas	18	2757
XII. 9	3528	1186	Ebſan	7	2764
11	3535	1179	Elon	10	2774
14	3545	1169	Abdon	8	2782
XIII. 1	3553	1161	Iſrael ſub Philiſtæis	40	2822
1 Sam. IV. 18	3593	1121	Eli	40	2862
VI. 1	3593	1121	Arca inter Philiſtæos	7m	2862
VII. 2	3633	1081	Arca in Kirjathjearim	20	2882
					curr.
1 Reg. II. 11	3653	1061	David	40	2922
	a menſe	Sept.			elapſi
XI. 42	3693	1021	Salomo	40	2962
2 Chr. XII. 13	3733	981	Roboam	17	2979
XIII. 2	3750	964	Abia	3	2982
XVI. 13	3753	961	Aſa	41	3023
XX. 31	3794	920	Ioſaphat	25	3048
XXI. 5	3819	895	Ioram	8	3056
XXII. 2	3827	887	Achazia	1	3057
12	3828	886	Ioas, occultatus	6	3063
XXIV. 1	3834	880	idem, rex	40	3103
XXV. 1	3874	840	Amaſia	29	3132
XXVI. 3	3903	811	Azaria ſive Ozia	52	3184
XXVII. 1	3955	759	Iotham	16	3200
XXVIII. 1	3971	743	Achaz	16	3216
XXIX. 1	3987	727	Ezekia *	29	3245

2 Reg.

* conf. infra c. XII. Sect. 11. §. III. ad annum Jubilæum 15.

	P. I.	Ante Æ. D.			
2 Reg. XXI. 1	4016	698	Manaſſe	55	3300
19	4071	643	Amon	2	3302
XXII. 1.	4073	641	Ioſia	31	3333
XXIII. 31	4104	610	Ioachaz	¼	
36	4104	610	Iojakim	11	3344 *elapſi*
XXIV. 8.	4115	599	Iechonia, rex	¼	
XXV. 27.	4116	598	idem, vinctus	37	3381½ *anni.*
	a vere ad ver.				

Latiſſimum per tot ſeculorum intervalla uſum habent anni *Periodi Iulianæ*, & item anni *ante æram Chriſtianam*, in Chriſtiano Occidente & pridem & hodie uſitatam, quæ, quia ipſa Chriſti nativitas eam epocham non uno anno præceſſit, *Dionyſiana* ex auctore ſuo, & *Vulgaris*, *Communis* ex uſu recepto, dicitur. Nos his promiſcue vocabulis utemur. Per annos Periodi Iulianæ & per annos ante æram Dionyſianam anni cyclorum ſolis, lunæ &c. ſimpliciter firmiterque repræſentantur. Veruntamen Periodus Iuliana tot ſeculis vera mundi tempora excedit, ut in ſpatio nimis prolixo & a rebus abſtracto fluctuet intellectus non valde exercitatus: at anni ante æram communem determinatum quiddam habent, & amœnitate præſenti animum paſcunt, ut ſemper ſcias, ubi verſeris. Vtriſque utemur, uti locus tulerit. Pro annis ære Dionyſianæ annos vicinos nonnulli ponunt, quos ipſi veros putant. Calviſii Opus pro annis 3. 4 &c. *ante æram Dion.* ponit 1. 2 &c. *ante Chriſtum*: Lydyatus contra pro annis *æræ Dion.* 29, 30 & ſeqq. ponit annum 1. 2 *evangelii*, & ſic deinceps. Tales anni, etiamſi veri eſſent, tamen minus commode ponerentur. Nam lector in varias ſe formas mutare cogitur. Porro anni Periodi Iulianæ & ante æram Dionyſianam a Calendis Ianuariis

nuariis incipiunt: sed anni, quos Scriptura notat, varia habent initia. Quare his illos, ut res ferebat, accommodavimus. Annos *collectos*, & item alios subinde interjectos, respiciunt observationes subsequentes, partim demonstrationi, partim illustrationi inservientes.

SECTIO II.

DE PRINCIPIO MVNDI.

Multæ de principio mundi quæstiones moventur, sed in iis tractandis sobrietate opus est. Disceptatur, *Vtrum dies prior fuerit, an nox: quem cœli locum sol obtinuerit: utrum nova luna fuerit, an plena: cui diei affigenda sint mensium annorumque initia: quam diu a peccato immunis manserit homo*, &c. Horum nil ex nostro pendet arbitrio: nil ex eo, quod sic nobis videatur convenire, decerni oportet. Sunt proprie quæstiones facti divini. Quis autem fuit consiliarius Creatoris? ubi tum tute eras, homo? Scripturæ vestigia debemus observare, & quod ex iis, collata rerum natura, noscitur, amplecti; ultra, nihil definire. Theses quasdam ex eo fonte derivatas dabimus.

§ 1. *In hocce scrutinio accurate incedendum est.*

DEUS in verbo suo, ut DEO dignum est, docet homines scientiam: neque uberius quidquam aut accuratius est, quam Scriptura sacra. Elementa vel parvulis accommodata propinat: sed per indicia quædam sparsa, subtilia, at fœcunda, reconditissimam pandit intelligentiam rerum cæleſtium, spiritualium, naturalium. Et tamen ἀκρίβειαν sive diligentiam & curam ad minima quæque progredientem nusquam nisi in Scriptura enucleanda sensus humanus contemnit: & quia nil, nisi quod rude sit, in

in ea reperiri posse putat, hanc unam populari trutina pensat, aurificis stateram reservans ad alia omnia. Loquendi modos per otium excuti, facile patitur: sed solidam rerum scientiam ei debere recusat. Picturam, signum, horologium, etiam antequam ultima imponatur manus, ad atomum usque mirantur multi: in stilo, in poësi, in musica, in historia, in antiquitatibus, in numismatis, in matheſi, in anatome, in botanicis, in mechanicis, in decoro, &, ne omnia enumeremus, in crepundiis, non solum necessitas, sed etiam elegantia, ad superstitionem usque, spectatur. Gradus in meridiano ad perticam usque exquirere, laudi est Geometris hodiernis. Cur non obsequamur Scripturæ sacræ, ut, quicquid ea nobis proponit, in maximis, in verbis, in rebus, in doctrina, in historia, in spiritualibus, in naturalibus, id suscipiamus? In temporibus ab annis ad menses, dies, horas descendit. Cur non hæc omnia cognoscamus? suo tamen quidque ordine. Hoc non magis de iis, quæ mox sequentur, quam de omnibus diebus mundi, quos e Scriptura sacra in progressu hauriemus, dictum haberi velim.

§ II. *Mundus circa auctumnum factus est.*

Tum erat initium anni: nam tum exitus est anni. Exod. XXXIII. 16. Conversio anni תשובת השנה dicitur in vere, pro expeditione regum: 2 Sam. XI. 1. sed תקופת השנה *anni in orbem reditus* dicitur in autumno, pro rerum natura. Exod. XXXIV. 22. Ac vernus quidem mensis Abib in Lege est caput *mensium*, & primus *mensium* anni, Exod. XII. 2. sed non ipsius *anni* caput. Anni enim caput, Ez. XL. 1, erat mense septimo, cujus dies decimus h. l. notatur, quocunque tempore mensis ille in numerando *septimus* esse cœpit.

Nul-

Nullum anni tempus est, quod ea simul habeat omnia, quæ tertio hexaemeri die exstiterunt e terra: itaque dies ille & veris & æstatis & auctumni flores & fructus & semina complectebatur; & auctumnus ipse tum videlicet erat. Primi illi dies erant instar totius anni. Gen. I. 11. II. 5. 9. III. 2. Toto anni tempore potuisset homo *fructibus arborum* vesci. Nam post transgressionem demum dictum ei est: *In sudore vultus tui edes* panem. Gen. III. 19. Et sublata maledictione vigebit esus de ligno vitæ. Apoc. XXII. 2. Nunc ea pars anni, qua pomorum recentium usus viget, respondet iis in anno diebus, quum Adam edit de arboribus paradisi, & de arbore vetita, quam *vitem* fuisse, Iudæorum magistri affirmant, non refragante Lightfooto in Luc. I. 15.

Quisquis in vere *tamen mundum pertenderit esse conditum, is commodius sumserit ver illius ipsius anni, quem* § V *indicabimus, quam ver anni sequentis.*

§ III. *Homo non diu stetit.*

Ipso sexto die mundi, quo conditus est homo, peccasse hominem, statuunt cum aliis Broughtonus in Concentu SS. Scripturæ, p. 164. & Rhenferdius in Op. philol. p. 720. 920 s. coll. p. 724. Hic eam doctrinam *omni antiquitati*, Iudaicæ & Christianæ, pridem receptam ait: ille, *Hebræos*, *Chaldæos*, *Arabas*, *Græcos*, *Latinos*, consentire scribit. Nos tantæ auctoritatis nomen non dimovet ab eo, quod scriptum est. Die sexto post animalia factus est homo, post hominem mulier. Quod reliquum erat diei, non cepit tot res alias: edictum de herba super omnem terram & de arboribus in cibum datis: introductionem hominis in paradisum: interdictum ab illo edicto diversum, de arbore scientiæ boni & mali in horto: innocentem Adami & Evæ conversationem: usum arborum horti: insidias serpentis. Hæc omnia lapsum anteceSSere, & tamen lapsus

ipse, & cingulorum flexus, ante vesperam fuit. Gen. III. 8. Sexti diei clausula est, quod *vidit Deus universum, quod fecerat, & ecce bonum valde erat.*

Septimo die quievit DEUS, neque ea quies ullo modo perturbata fuit: quare etiam sabbati descriptio historiæ lapsus præmittitur; imo multa, quæ ante sabbatum facta sunt, post sabbatum recensentur, quia videlicet historiam peccati post sabbatum ab homine admissi illustrant.

E diverso alii stetisse hominem, audacius putant, annos 100. vel 30. vel 3½. Intra menses aliquot fluctuat Lydyatus. De 40 diebus cogitarunt aliqui apud Pererium: de 21 diebus, D. A. Q. Rivinus. Dies aliquot, minus definite, statuit Markius (de quo & de aliis agit Buddei H. E. V. T. Part. I. p. 112. seq.) & Liberius de Sancto Amore Epp. p. 131. 136. nec non Gatakerus l. 2 Cinni c. 2. Multi intra secundam mundi hebdomadem se recipiunt, uti scriptor libri, *Remarques chronologiques*, p. 174. vel etiam Matthias Flachsland ab Hauingen in Oedipo chron. p. 12. Diem mundi decimum sumit Vsserius, ex causa mox memoranda. Sane non ita sex dierum opus fecit homo, ut alterum ipse diem sabbati asseqveretur integer: sed cum DEI immediate sabbato comparatur fidelium requies. Hebr. IV. 10. Certe non diutina fuit integritas hominis, sed ortus mundi & peccati quasi idem est, Hebr. IX. 26. neque tum justitia fuit regni potita. Rom. V. 21. Die 13 mundi peccasse hominem, censuit Phil. Nicolai lib. II. de Regno Christi, cap. VII. eamque *plurium & verisimilorem* esse opinionem, scribit Vrsinus in Isag p. 32. Accedit Helisæus Rœslinus & Flor. Schillingius. Si ita est, homo *octavo* post die, quam factus erat, peccavit, sicut postea circumcisio fieri debuit octavo post die, quam natus esset parvulus apud Abrahamidas. Pariter Ben. Pererius hominem statuit octavo ortus sui die peccasse, feria sexta, *convenientiam*

tiam allegans cum eo, *quod circa secundum Adamum evenit, quippe qui feria* sexta *est in cruce mortuus: quo vere interpretari licebit; quod a patribus est traditum*, eodem *die Adamum esse creatum & peccasse.*

§ IV. *Eo die lapsus est homo, qui per Mosen designatus est dies Expiationis.*

Dies Expiationis erat decimus dies mensis septimi. Et mensem & diem illum multis de causis insignem Hebræis fuisse, docet Lightfoot. Hor. in Ev. p. 199. Is dies eo mense Expiationi datus est, non ob typum diei passionis Christi, qui dies 15 mensis primi fuit; sed ut esset peccatorum commemoratio quotannis. Nullum eo die peccatum singulare populus Israeliticus patrasse memoratur: pertinebat igitur is dies ad peccatum, non illi proprie populo, sed generi humano a primo videlicet peccati ortu (Rom. V. 14.) incumbens, pro quo Christum, nisi oblatione unica peregisset omnia, sæpe oportuisset pati a condito mundo. Hebr. X. 3. IX. 26. Metonymiam euphemiæ plenam habet vocabulum *Expiationis*, sicut *Piaculum* pro *noxa* dicitur. *Decimo post primam mundi hebdomadem die* peccasse hominem, autumant quidam, teste Car. Andriano in methodo hist. p. 11. Hi novilunium, ni fallor, in exitu hebdomadis primæ fuisse putant, & *inde* diem decimum mensis septimi, qui dies Expiationis erat, pro die lapsus accipiunt. *Vix est dubium* Samueli Artopœo, *quin respondeat* dies *Expiationis diei lapsus humani generis.* Comm. in Tab. chron. Schraderi, p. 10. Eam ob causam dies ipsius *mundi decimus fuisse videtur* Vsserio, *quo deinceps, ad memorabilis hujus casus* (peccati commissi) *memoriam conservandam, ut rationi consentaneum est, instituta est EXPIATIONIS solennitas, & statum IEIVNIVM* (νηστείας *nomine*, Act. XXVII. 9. κατ' ἐξοχὴν *denotatum,*) *in quo universi tam inquilini, quam*

peregrini, animas suas affligere jubebantur, adjuncta sanctione severissima, Omnis anima, quæ non fuerit afflicta eo ipso die, omnino exscindetur e populis suis. Levit. XVI. 29. & XXIII. 29. De die Expiationis, sive septimi mensis decimo, assentimur: de feria, amplius videbimus.

§ V. *Principium mundi erat anno 771 Per. Iul. sive 3943 ante æram Dionysianam.*

Huc tota evadet nostra Demonstratio.

§ VI. *Eo anno, dimidio mense ante æquinoctium autumnale, fuit tempus conjunctionis solis & lunæ, feria prima.*

Hoc calculi evincunt astronomici. Cur *tempus* conjunctionis dicamus, non *conjunctionem*, mox apparebit.

§ VII. *Id ipsum erat initium dierum mundi.*

Patet e nexu thesium superiorum, ex quibus Ephemeridem hanc deducimus, ad Iudaicum & Julianum Calendarium accommodatam.

Hebd. 1, dies 1.	Oct. 10.	Principium dierum. Lux.	
2.	11.	Cœlum.	
3.	12.	Terra.	
.	13. Tisri.	1. Luminaria. Initium mensium & annorum.*	
5.	14.	2. Pisces: aves.	Hebd.

* *In primum mundi diem unice convenit & dierum annorumque & mensium initium* Genes. I 14. *Via & solis & lunæ, noviluniumque parieus, primo die cum ipsa luce parata est.* Weltalt. p. 32.

Hebd. 1, dies			
	6.	15.	3. Animalia: homo.
	7.	16.	4. Sabbatum.
Hebd. 2, dies	6.	22.	10. Lapsus: dies, qui postea dictus est Expiatio*
Hebd. 3, dies	1.	24.	12. Æquinoct.
	4.	27.	15. Plenilunium. Dies, quo postea cœpit festum tabernaculorum.**

Hanc ephemeridem observationibus quibusdam illustrasse juverit.

1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.*

Id principium est principium α. ipsius utique cœli & terræ: β. diei primi: alias dies primus non esset primus. γ. totius hexaemeri, quod secutus est dies septimus, quietis. δ. dierum omnium. nam dies mundi universim dicuntur non dies solis, sed *dies cœli super terram.* Deut. XI. 21.

2. Dixit DEUS: *Fiant luminaria, ut sint in signa & in statuta, & in dies & annos.* Et fecit: die quarto.

* *Multi eruditorum statuunt, lapsum Adami die decimo mensis* Tisri *factum esse: eumque diem ipsum decimum mundi diem fuisse,* Vsserio *nunc magis assentior, quam assensus sum* in Ordine Temp. §. III. IV. *cap. præs.* Weltat. p. 34.

** *Diebus 24 post primum mundi diem, quo & novilunium fuit* (coll. infra observ. 10), *feria item prima vel die dominica & plenilunium* (*cum quo a* Mosis *tempore coincidit festum tabernaculorum*) *& æquinoctium ipsa illa nocte fuit.* Weltalt. ibid. Zeugnis p. 119.

Varia est horum verborum alioqui significatio, & datur v. gr. *signum* bene longum, quale fuisse videtur, quod Caino positum est: Gen. IV. 15. & *statutum*, pars mensis, vel etiam diei. 2 Chron. VIII. 13. Deut. XVI. 6. Sed Gen. I. 14 significatio verborum liquido determinatur. Quatuor sunt temporum vocabula, quæ in duo paria per accentus dividuntur: ut sint *in signa & in statuta, & in dies & annos.* Quarto hîc loco abest præpositio, id quod *diem & annum* arctius, quam cetera, connectit. Diem describit sol, sed magis *annum;* nam dies sole antiquior: luna, cui suæ quoque partes hoc loco tribuuntur, cum sole describit *statuta & signa.* * Sub *signis* igitur & *statutis* continentur *menses* (quos hoc loco non præterire certum est, quanquam *mensis* vocabulum non magis, quam *solis* & *lunæ* hîc repræsentatur,) & partes mensium, v. gr. novilunium, plenilunium, & quæcunque in fastis *adspectuum* nomine veniunt, *A luna* signum festi. Sir. XLIII. 7. *Fecit lunam ad statuta.* Psalm. CIV. 19. coll. Ex. XXIII. 15. Non sine ordine dicuntur *signa & statuta, & dies & anni*: ordo autem est temporis, ut post dies, die primo inchoatos, die quarto inciperent signa, quibus cohærent statuta, ex luna; ex sole autem, dies & anni, certe non ante quartum diem. nam quum sol prior natura sit, quam luna, anni, quos sol describit, ante menses, quos luna describit, locum habituri fuerant, si anni ante menses inciperent.

3. Primo mundi anno ineunte, *tempus* primæ conjunctionis solis & lunæ, proxime ante æquinoctium auctumnale, non fuit in quarta feria, sed, ante eam, in prima. Non inepte dixeris, habitaculum

* *Sunt igitur primum* signa, *sive longæ periodi* stellarum: *deinde* moadim, statuta, *sive menses, qui cum festis* e luna *proprie repetuntur: postremo*, dies & anni; *anni ex* sole *seorsum, & dies, ex totius cœli motu, præcipue autem ex sole.* Cycl. p. 86. §. 188.

lum illud, quod soli & lunæ adscribitur. Hab. IV. 11. & tabernaculum, quod soli, Psalm. XIX. 5. factum esse cum ipso cœlo terraque, in principio.

4. Solares annos esse in Scriptura, & menses lunares, sectione IX ostendemus.

5. Mensis primi, lunaris præcipue, initium fuit feria quarta : quanquam enim die primo tempus fuerat conjunctionis duorum luminarium, tamen luna quarto demum die & facta est & apparuit, unde amplius ita crevit, ut sexto die homo in ipso suo ortu eam bene corniculantem videret.

6. Naturale anni initium semper idem est, in æquinoctio, quod anno mundi primo cecidit in dem mundi decimum quintum. nam Anno 764 Per. Iul. æquinoctium iis, qui mundum jam tum factum putant, fuit d. 24 Oct. feria 6. hor. 12. ab occasu solis $\frac{1}{44}$. $\frac{11}{25}$. ut docet Strauchius in Brev. chron. p. 352. atque inde septem post annis Anno 771 Per. Iul. æquinoctium in feriam *primam* incidit.

Nulla tamen æquinoctii mentio apud Mosen reperitur: quare neque anni ullius neque mundi ipsius initium cum æquinoctio conjungere cogimur. Magis conspicuum erat novilunium mensis septimi, æquinoctio semper vicinum, initiumque anni cum solennitate sua collatum est in novilunium illud. Ita Græci anno gaudebant intra cardines solares cohibito, & tamen eundem a novilunio incipiebant, ut docet Beveregius l. 1. Inst. chron. c. 13. Ipse æquinoctii solstitiive articulus operosos & subtiles calculos requirit: sed novilunium solstitio aut æquinoctio vicinum multo majorem habet latitudinem & facillime observatur.

8. Id ipsum novilunium non una solennitate a noviluniis ceteris, etiam primi mensis, in Lege distinctum est, quum & proprium haberet holocaustum, præter holocaustum novilunii quoque, & festivum

stivum tubarum clangorem. Lev. XXIII. 24. Num. XXIX. 1. 6. Quælibet exstantior temporis pars suum solenne, præter juge sacrificium, habebat: hebdomas, in sabbato; mensis in neomenia; initio mensis septimi, quid nisi annus? Nullam aliam causam idoneam holocausti & clangoris illius neque Iudæi neque Christiani exputare potuerunt, ut docet Maii F. diss. de auspiciis anni civilis Hebr. § V. Hoc autem initium anni, in novilunio mensis 7, egregie comprobat Psalmus LXXXI. cujus versum quartum Iudæi primo die Tisri recitant. Videatur animadversio Ludovici de Dieu, qui docet, כסא ibidem esse plenilunium & חג festum tabernaculorum.

9. Nonnulli putant, plenilunium nascenti mundo convenire, ut luna mox regimen noctis exercere posset. Per me ita esse potuit: atqui homo ipse conditus est ad regimen animalium, nec tamen protinus ea rexit. Gen. I. 16. 26. 28. II. 19. Si luna ideo, quia noctis regimen habet, e vestigio plena esse debuisset, semper plena esse deberet. Quum facta est, phasin habebat, cum stellarum splendore pulcre micantem; hoc erat bonum. In diem sextum, crevit amplius; & hoc erat in bono valde. Ipsum hexaemeron suos habuit gradus, neque omnia protinus erant absoluta. Apud populos lunari anno utentes initium anni situm est in novilunio. Apud Hebræos primus mensium anni est mensis Abib in novilunio: novilunium omne, non plenilunium, apud Mosen sua habet solennia, eodemque vocabulo חדש nec non ירח quo ipse mensis, notatur. In tota Scriptura ita numerantur dies mensium, ut in primum diem nova luna, in decimum quintum plena fere conferatur. Ipsum denique nomen illud חדש *novitas*, novilunium, primo mundi tempori congruit.

10. Tempus novilunii primi notabile est. Anno 3069 P. I. novilunium fuit d. 20 mart. ante merid. hor.

hor. 7. 5′ 8 & anno 764 P. I. novilunium iis, qui mundum jam tum factum putant, fuit d. 27 oct. h. 15 ab occasu solis, 8′. 2″. Hoc docet H. L. Schurzfleischius in Anno Iuliano p. 80. illud, Des-Vignoles t. 1 chron. p. 560. Ab his noviluniis, retrorsum & prorsum, anno 771 P. I. novilunium, proximum ante æquinoctium auctumnale, fuit d. 10. Oct. sub initium feriæ primæ, media nocte. *

11. Nunc redit quæstio, *Vtrum dies prior, an nox fuerit?* nam certe aut vesperi aut mane, non media nocte aut meridie, hexaemeron cœpisse, vel clausula illa docet, *Et erat vespera & erat mane, dies unus &c.* Sæpe in Scriptura *nox* ante *diem* appellatur, sæpius *dies* ante *noctem*: sed certe eadem clausula vesperam & mane, id est, per synecdochen, noctem & diem, ut ambas cujusvis diei partes, ita recenset, ut vesperam sequatur mane. *In* sex diebus factum est cœlum & terra: itaque *principium*, in quo factum est cœlum & terra, non præcessit diem primum. Præcessit autem principium lucem, Genes. I. 1. seqq. 2 Cor. IV. 6. Ergo luce antiquior est pars diei primi, videlicet vespera sive nox. Quantum ex historia creationis colligere possumus, eo vespere, abs quo feria prima cœpit, *principium* erat. tum erant tenebræ. Media nocte, novilunii illius tempore, tenebræ, luce fieri jussa, temperatæ sunt, donec ea

* *Apud* Iudæos *sic dictum* Molad tohu *est Anno 953. P. J. d 7. Oct. feria secunda post undecimam a meridie horam, quæ apud nos adhuc est diei dominicæ. Inde si 2551. menses vel 9496 hebdomadas, 1 diem, & 8 horas plene, retro numeres: devenies ad feriam Sabbati A. 771. Per. Jul. atque protinus sequenti* feria prima *d. 10. Oct. Novilunium incidit. Itaque chronologi* & Judæi & Christiani *mihi suffragantur.* Nec ullum alium annum producet quisquam, quo & historici & astronomici characteres principii mundi tam accurate correspondeant. Weltalt p. 34. 35. Zeugnis p. 121. 122.

mane invaleſceret, &, diſcrimine inter lucem tenebraſque facto, dies plenus flueret.

12. Comparationem hebdomadis primæ & noviſſimæ, talem, quæ maxime in feriam 2. 3. 4. cadit, dabimus infra.

13. Præceptum de feſto tabernaculorum primò minus definite deſignavit exitum anni, Exod. XXIII. 16. deinde definit diem 15 menſis ſeptimi. Lev. XXIII. 34. Id plane congruit cum *principio*. nam ex ordine erat novilunium, æquinoctium, plenilunium.

Mirabilis ab ipſo principio eſt motuum cœleſtium varietas. Motus ſiderum primus ab ortu in occaſum, ſecundus ab occaſu in ortum. Apogæum ſolis in ariete (vid. Rivini tr. Germ. de ætate mundi, p. 67. 68.) & tamen ſol ipſe libræ proximus. Creſcebat luna: dies, minore diei & noctis in climate paradiſiaco differentia, decreſcebat.

SECTIO III.

DE ANNIS PATRVM ANTE DILVVIVM.

A. M. 130.

1. In annis notandis immani diſcrimine ab Hebraico textu Samaritanus & Græca LXX interpretum translatio diſcrepant. Habebat annos

	apud Samar.	Hebr.	Græcos
Adam gignens,	130	130	230
Seth,	105	105	205
Enos,	90	90	190
Kainan,	70	70	170
Mahalaleel,	65	65	165
Iared,	62	162	162
Enoch,	65	65	165
Mathuſala,	67	187	187
Lamech,	53	182	188
Summa:	707	1056	1662

In

In annis 600 Noe conveniunt. Itaque hebraicus textus ab Adamo ad Lamechum numerat annos 1056 & ab ea ſumma textus Samaritanus in Iared, Mathuſala & Lamech detrahit annos 349. Græci autem addunt, ſolo Iared intacto, 606 annos. Veritas in medio ſe tenet: ex medio diverſæ in extrema diſceſſiones factæ ſunt, ſe invicem refutantes, & veritatem ſtatuminantes. Etenim in Iared & Mathuſala, nec non in Lamech, Hebræus textus a Græco adverſus Samaritanum, in ceteris a Samaritano adverſus Græcum defenditur. Cauſæ differentiarum, ſi cuipiam ultro ſe obtulerint, dignæ obſervatu fuerint: ſed operoſius eas inveſtigare, nil attinet.

Tres potiſſimum ſuperiori ætate fuere defenſores Græcæ lectionis in annis Patriarcharum, Iſaacus Voſſius, Paulus Pezron. & inter utrumque Britannus nonnemo, cujus opus ignotum fere, & tamen memorabile ſic inſcribitur: *Palæologia chronica: a chronological account of ancient time, in three parts, 1 didactical, 2 apodeictical, 3 canonical. Performed by Robert Cary, D. LL. Devon. London. 1677.* Hic Cary ubi ad differentias textus Hebraici, Græci, Samaritani pervenit, uno fretus loco 2 Chron. XXII. 2. ubi pro 22 annis Achaziæ in Hebræo tribuuntur 42, in Græco 20, libertatem ſibi ſumit, lectionem græcam in patriarchis præferendi pro arbitrio, *according to my beſt Reaſon*, fol. 221. Nimia laxitate laborat hæc ratio. Libri chronicorum inter Iudæos haud diligenti manu verſantur, ut notat Meyerus ad Seder olam p. 929. at Moſes publica lectione ita ſemper tractatus eſt, ut ne apex quidem mutari poſſet. Quare quicquid illi uni Chronicorum loco accidit, perperam ex eo infertur, tantas Hebraico Moſis textui mutationes in annis patriarcharum obtrudi potuiſſe. Non levicula eſt in Græcis unius alteriuſve verbu-

verbuli mutatio, sed tanta interpolatio, ut magno conatu se factam esse clamet: eaque tum, cum interpretatio adornabatur, quocunque consilio facta est, fieri utique potuit. At Hebræos, apud quos semper Hebraicorum codicum & copia & usus vigebat, tale quidquam audere unquam voluisse, &, si vellent, perficere potuisse, incredibile est. Suppetit ratio, quæ Samaritas simul & Græcos redarguat, quorum alteri defectu peccant, alteri excessu. Putabant utrique, minus inæquales fuisse ætates patrum gignentium: igitur ad majorem æqualitatem redegerunt, sic tamen, ut numeri a majoribus ad posteros fere decrescerent. Itaque Græci prioribus patribus annos adjecerunt; Samaritæ, posterioribus patribus detraxerunt. Codicem & calculum Hebræum Samaritano & Græco præferendum esse, docet Ioh. Meyeri diss. tertia notis ad *Seder olam* præfixa, ubi licentiam a Samaritis & Græcis alias quoque adhibitam exemplis ostendit. Adspice, Lector, laterculum a nobis positum, & mediam ejus columellam cum prima ac tertia confer: persentisces, mediam esse genuinam. Quod scriptores ecclesiastici chronologiam LXX interpretum sequuntur, mirum non est. Græce sciebant, non Hebraice. Sic sua Hebraico textui prærogativa manere certe *potest*, donec sinceritatem ejus retineri *debere*, exitus considerationis nostræ plenius confirmabit. * Qui concilii Tridentini auctoritate tenentur, numeros apud Vulgatum, cum Hebraicis consentientes, accipere necessum habent.

2. Quod in natione est rex aut princeps, id in familia pater est. Itaque ad patrum annos prima mundi tempora Scriptura enumerat: insequentia, per annos principum fere ac regum digerit, sic tamen, ut ætatum subinde summas majores colligat.

3. Patres

* conf. infra c. XII. Sect. 1. sub finem.

3. Patres fere ab unius *ortu* ad nativitatem alterius recensentur. Convenienter utrumque. nam *patrum* successio hac ratione articulatim ordinatimque exhibetur, multo magis, quam si sic scriberetur: *Adam anno suo 930 moritur: 57 post annis Enoch transfertur: 55 post annis moritur Seth, 153 post annis Enos, 95 post annis Kainan, 229 post annis Lamech, 5 post annis Mathusala, 340 post annis Phaleg, 9 post annis Noe &c.* quo pacte mox in *Adam* multa transilirentur secula, & *Enoch*, *Lamech*, *Phaleg*, &c. ex sua serie moverentur. *Regnorum* autem annis acta regum scite innectuntur.

4. Articulos temporum, eos quoque ipsos, qui *Lineam chronologicam* ingrediuntur, per *annos* fere, sine mensibus ac diebus, notare Scriptura solet. Res autem, annis illis comprehensæ, v. gr. ætates patriarcharum, sæpe in mensibus ac diebus plus minusve, ut existimare licet, habebant. Anni, quos v. gr. Adamus, Setho nascente, habebat, ita sunt 130 anni, ut additis 800 annis subsecutis, efficiant 930; neque tamen quisquam dixerit, unum eundemque fuisse natalem patrum diem. *Æquatione* veritas obtinetur, excessibus & defectibus mensium & dierum subinde se invicem compensantibus. Consentaneum erat hoc & brevitati & gravitati Scripturæ, & ipsi rationi, cui tot canonum chronologicorum conditores postea sunt obsecuti. * Fit autem *æquatio* illa

* *Cum via ab urbe ad urbem, longo dissitam intervallo, per certas stationes & milliaria inter eas dinumeranda disterminatur: non vagum videri debet, sed necessarium, ut nunc 2 milliaria ponantur pro $2\frac{1}{8}$, nunc vicissim 3 milliaria pro 3 minus $\frac{1}{8}$. Sic etiam vitio atque errore caret, si cui homini, qui 70 annos & mensem 1. vixit, nonnisi 70 tribuas, atque alteri, qui 59 annos & 11. menses natus est, 60. Non tam singulorum patrum au-*

nos

la per *syſtolen* (ſic liceat appellare) & per *diaſtolen*. Vbi temporis notatio *amplior* eſt, quam res tempori expreſſe incluſa, *diaſtolen* habemus; *syſtolen*, ubi temporis notatio *contractior* eſt, quam res tempori expreſſe incluſa. Exemplum: Achazia factus eſt rex Iuda in *conſinio* anni 11 & 12 Iorami regis Iſraël. Quod ſi, præciſe loquendo, anno 12 Iorami factus eſt rex, annus 11 ponitur per *diaſtolen*: 2 Reg. IX. 29. ſin autem potius factus eſt rex anno 11 Iorami, annus 12 ponitur per *syſtolen*. ibid. cap. VIII. 25. Quod ſi quis totam tractationem noſtram ſerio percipere cupit, hæc vocabula, ſubinde occurrentia, animo, velim, accurate imprimat: multa in progreſſu faciliora ſentiet. Et quidem per ſyſtolen & diaſtolen ad æqualitatem annorum vertentium ſæpiſſime rediguntur anni excurrentes ſive longiores, & incompleti ſive breviores: annique per ſyſtolen & diaſtolen coæquati & conſolidati, juxta cum vertentibus, qui interdum *completi* dicuntur, fiunt anni *conſerti*, ad *Lineam* illam, quam *chronologicam* ſive annalem ſubinde vocamus, unice accommodati. Tales ſunt anni ab Adamo ad Iechoniam: ſumma continua eſt, nusquam luxata. Quiſquis in toto illo tractu tantum ſibi indulget, ut annum addat aut demat, is in periculum errandi, imo in errorem ſe committit.

5. Summa annorum ab Adamo condito ad Iechoniam ſolutum ultra ipſos annos habet menſes ſex, & Iechoniæ liberatio facta eſt in vere: unde colligimus, Adamum, atque adeo mundum, in autumno eſſe factum.

A. M. 396.

Ex divinis nominibus longo temporum ſpatio deducta ſunt humana. *Enoſi* tempore *factum eſt initium vocan-*

nos pro ſcopo habebat Moſes, quam ſummam *quæ multo eſt momentoſior, ad quam minores annorum numeri, ut partes* ſummæ *ingredientes, in deſcriptione accommodabantur.* Zeugnis p. 64.

vocandi in nomine DOMINI. Gen. IV. 26. Nepos Kaini, *Mechujael*; pronepos, *Methuſchael*: inter Sethitas, unus ante diluvium occurrit, Enoſi nepos, מְהַלְלְאֵל *Mahaalelel.* Poſt diluvium, *Abimael*, *Iſmael*, *Kemuel*, *Bethuel*, *Iſrael*, *Iemuel* &c. Poſt Moſis tempora, etiam ex nomine tetragrammato nomina formarunt. Parcior ejuſmodi nomenclatura ad *reverentiam;* frequentior, ad *confeſſionem fidei* pertinet.

A. M. 461.

Iared omnibus patriarchis cœvus fuit, ante diluvium, Adamo per annos 470, Noaho per annos 366. Inter Adami mortem & Noachi nativitatem erant anni 126. atque hi anni in medium Iaredi florem cadunt.

A. M. 874.

De annis mundi & patrum elapſi erant 874 anni, quum *Mathuſala* genuiſſet Lamechum, & poſtea vixit annos 782, incompletos, ita, ut quam proxime ante diluvium moreretur, anno mundi 1656, ut mox videbimus, ineunte. Rabbini dicunt, Mathuſala ſeptem diebus ante diluvium eſſe mortuum, ut ſuperſtites eum lugere poſſent.

A. M. 987.

Vnius Adami mors naturalis (præter cædem Abel) ante Enochi translationem ſcribitur, qui *Septimus* ab Adam dicitur.

A. M. 1056.

Primus poſt elapſum primum millenarium natus eſt *Noah.* Hunc pater ſuus putavit *Conſolatorem* fore generis humani.

A. M. 1556.

Quandocunque nati ſunt Ham & Iapheth, annum 500 Noachi ad nativitatem Semi ſpectare, præter ſcopum chronologicum evincit ſeries verborum

&

& ratio accentuum hebraicorum Gen. V. 32: *Et erat Noah filius 500 annorum: & genuit Noah; Sem, & Ham & Iapheth.* Primo ac præcipuo loco ponitur Sem, & ab Ham & Iaphet, qui conjunctim ponuntur, distinguitur.

2. Noah, ætatis ante diluvium valde provectæ, genuit filios, per quos terra post diluvium implenda erat: post diluvium, patriarchæ, non magnæ ætatis, genuere, quia tempus erat multiplicationis, ut apud Israelitas in Ægypto. Stirps humana in manu DEI est ut frutex in manu coloni, qui modo amputat multa, modo crescendi dat locum.

SECTIO IV.

DE DIEBVS NOACHI.

Inter creationem mundi & inter exitum ex Ægypto sola diluvii historia menses & mensium dies numerat. Qui quomodo explicentur, etiam reliquorum temporum interest. Propositiones quasdam formabimus.

I. Historia diluvii in annum 600 & 601 ætatis Noachi incidit.

Vtrumque annum Tabella exhibere tentamus.

A. M. 1656. Noachi 600.

Gen.	Mense, die:			feria	
VII.	1 s.	2.	10. Nov. 10.	3	Noah jubetur arcam intrare.
	11 s.	13.	17. 17.	3	Ipse introitus in arcam: pluvia 40 dierum & 40 noctium.
		17			Aquæ crescunt, tollunt arcam.

Arca

17	Arca in ſublime evehitur de terra.
18	Invaleſcunt aquæ, & creſcunt valde ſuper terram.
—	Proficiſcitur arca ſuper aquas.
19	Aquæ invaleſcunt vehementiſſime: teguntur omnes montes altiſſimi ſub omnibus cœlis.
20	Cubitos XV ſupra, invaleſcunt aquæ, & teguntur montes.
24	Prævalent aquæ ſuper terram 150 dies. Dies 40 ſive ultimus pluviæ, Dec. 28. fer. 2.
VIII. 1.2	Coercentur aquæ: cohibetur pluvia.
3	Decreſcunt aquæ a fine 150 dierum.
4 m. 7 d. 17: med. apr.	Subſidit arca ſuper montes Armeniæ.
5	Aquæ imminuuntur, usque ad

menſem decimum.

Gen. VIII. 5 ſ. 10 1: ante fin. junii: Conſpiciuntur capita montium.

6 ſ. Poſt 40 dies, aperit Noah feneſtram, & corvum emittit: ineunte auguſto.

8 Emittit columbam. Aquæ ſunt ſuper omnem terram.

10 ſ. Exſpectat 7 dies alios: denuo emittit columbam. Folium olivæ indicat aquas imminutas.

12 Poſt alios 7 dies columbam emittit, non revertentem.

A. M. 1657. Noachi 601.

	menſe,	die:		feria	
13	1	1:	Sept. 23	5	Aquæ ſiccatæ: arca detecta.
			Oct. 12	1	Æquinoctium.
14	2	27:	Nov. 18	5	Terra ipſa exſiccata. Egreſſus ex arca.

II. Anni

II. *Anni in Scriptura, etiam primævi, sunt solares.*

Multum super hac re disputant eruditi: nos simplicem Scripturæ veritatem sequimur. Annum describit Sol in orbem rediens: annum solarem, id est, verum, naturalem, proprie ita dictum, a principio mundi, habuere patriarchæ, ex instituto Creatoris: Gen. I. 14. annum solarem, perpetuus Scripturæ tenor refert. Ipsum annum solarem ante diluvium non diebus 365 abundantibus, sed 360 diebus constituisse, Sam. Shuckfordus existimat: sed sane tanta naturæ mutatio in diluvio non est facta, non diebus cœli, sed *diebus terræ* per diluvium interpellatis. Gen. VIII. 22. Vniformes certe annos, a principio ad finem mundi, tota Scripturæ *linea chronologica* habet. Anni 600 Noe (ne de antiquioribus patriarchis dicamus) ante diluvium non alii fuere, atque 350 anni postea: alias in unam summam annorum 950 anni heterogenei, breviores & longiores, nullo in arithmeticis exemplo, conferrentur. Gen. IX. 29. Anni 100 Sem (ne de insequentibus patribus dicamus,) ante natum Arphaxad, non alii fuere, atque 500 anni postea. Complures annum duntaxat vulgari usu receptum 360 dierum, qui 12 menses 30 dierum habuerit, probare conantur; & gentes quidem, quas *suis ipsarum viis ambulare sivit DEVS*, talibus annis laborarunt: sed ab initio non fuit sic. Quo uberiori reconditæ antiquitatis notitia gaudent homines literati, eo majore sunt periculo, ne limpitudinem Scripturæ turbent. Omnis externorum Scriptorum antiquitas, ad Mosen & prophetas collata, novitia est. Initio DEUS hominem vera cognitione rerum imbuit: neque homo eam diutina & per multos errores circumacta experientia corrogare necessum habuit. Ea sapientia instructus erat Adam, ut præter constitutionem naturæ, tempo-

rum etiam rationes pernoſceret: neque hanc ſcientiam aut ipſe per lapſum adeo uſque amiſit, aut poſteritas, tam diu illi coæva, ipſa tam vivax, dedidicit. Vltra turrim Babel non aſſurgit antiquitas anni 360 dierum: unitatem linguæ unitas anni, confuſionem linguæ confuſio anni comitatur. Ben. Arias Montanus in lib. de Sæculis: *Ante diluvium*, inquit, *ut una omnium hominum lingua, una Dei conditoris notitia, una creationis memoria pene recens omnibus erat, ita etiam annorum una erat communis ratio, quam omnes tenerent: atque ita ætates hominum annis mundi, & mundi anni hominum illuſtrium ætatibus computabatur: neque varia annorum ratio niſi cum varia linguarum, & morum atque regnorum & religionum inventione extitit. Eſt autem manifeſtum anni integri ſolaris argumentum in ſacris libris* (in hiſtoria diluvii) *expreſſum.* Poſteritas igitur a Noacho remorior cum vera religione etiam naturalium rerum notitiam oblivioni tradidit, & hanc demum paulatim, obſervatione diutina, aliquatenus recuperavit. *Anni* notio apud gentes fere omnes ea ſemper fuit, ut viciſſitudinem æſtatis & hiemis complecteretur: ſed in numero dierum hæſitabant. Itaque rotunditatem adhibuere, in qua proximus veritati numerus erat 360 dierum: & quum hunc juſto breviorem ſentirent, diebus quibuſdam varie adjectis vel interjectis ad veritatem anni ſolaris accedere, permagni eſſe cenſebant. Sed hunc ipſum profectum non tam ex obſervatione domeſtica, quam ex inſtitutione ſanctorum habebant. Etenim quo propius quævis natio a patriarchis aberat, eo plus poterat aliis nationibus impertire. *Ægyptiis*, quos ſapientiam docuit Joſeph, ad Moſen uſque manſuram, non plane ignotam fuiſſe anni ſolaris veritatem, canicularis Cyclus demonſtrat. Neque apud *Chaldæos* non melioribus veſtigiis, ſi opus ſit, monſtrari poſſint anni ſolares, quam anni 360 dierum, intercalatione carentes. Annos Iſraelitarum ſolares feſtorum ratio

apud

apud Moſen oſtendit, quæ non perambulabant annum ſolarem, ſed ad certas ejus partes affixa erant, ut paſcha ad ver.

III. Diluvium incidit in hiemem.

1. Frumentum & pabulum in arca reſiduum, & quæ per æſtatem ſponte naſcebantur, ſufficiebant illi hominum & animalium paucitati, donec nova ſementis & meſſis veniret. Primum autem poſt egreſſum ex arca erat *ſementis*, Gen. VIII. 22. cujus medium tempus erat ipſo illo menſe ſecundo, v. 14.

2. *Secundus* menſis in hiſtoria diluvii dicitur, qui deinde a Moſis temporibus *octavus* eſt habitus, quocunque tempore ea numerandi ratio mutata eſt. *Ipſis* 430 annis ante exitum Iſraelitarum ex Ægypto exierat Abraham ex Vr Chaldæorum: exierat igitur medio menſe Niſan. Sed jam tum menſem Niſan primum eſſe cœpiſſe, affirmare non auſim. Certe vernus menſis Abib, quem *primum* menſium Moſes ſtatuere juſſus eſt, nil hîc impedit. Vid. Sect. VI.

3. In diluvio pluvia & dominium aquarum conſentanea fuere hiemi: exſiccatio, æſtati.

IV. Menſes non fuere ſolares.

Anni ſolaris & zodiaci in partes æquales 12 majores & 360 minores diviſio antiqua eſt, ſed arbitraria: ſolariumque menſium, qui improprie menſes dicuntur, difficilior eſt obſervatio, at luna in orbem rediens evidenter in oculos incurrit. Menſes 12 miniſtrorum Salomonis non neceſſe habemus cum anno exacte coæquare. 1 Reg. IV. 7. 27. Menſes 12, de quibus Ap. XXII. 2. fructibus 12 diſtincti ſunt; itaque annum ſolidum æquant: ſed tum priſtina in præteritis erunt. Denique in diluvio menſes quinque ſolares non eſſent 150 dies, ſed 152 cum aliquot horis.

V. Menſes non fuerunt mere 30 *dierum.*

Menſes 30 dierum, ſine intercalatione, & anni 360 dierum, ſine intercalatione, indivulſo nexu cohærent. Tales annos non agnoſcit Scriptura, uti modo oſtendimus, § II. Igitur ne menſes quidem tales agnoſcit. Quæ Des-Vignoles toto ſexto Operis ſui libro de anno antiquo differit, ab iis, qui foris ſunt, petuntur, erudite quidem, ſed ad diluvium, de quo agit capite II, applicari non poſſunt.

VI. Menſes fuere lunares.

Præter menſes ſolares & menſes 30 dierum, quos modo removimus, nulli ſuperſunt, niſi lunares: & hi ſoli ſunt menſes proprie dicti. Sol annos præbet; luna menſes. Gen. I. 14. Pſ. CIV. 19. Sir. XLIII. 6 ſeqq. Ipſa nomina *lunæ* & *menſi*, *menſi* & *novilunio* communia, ירח & חדש apud Hebræos, firmo ſunt argumento. Quid *novitatis* habet menſis ſolaris, aut menſis 30 dierum?

2. Dubium movetur ex 150 diebus, a die 17 menſis 2 ad diem 17 menſis 7. Gen. VII. 11. 24. VIII. 3. 4. qui non niſi menſes 30 dierum eſſe potuerint. Sed manent lunares. Nam ſæpe menſes quinque lunares conſtant diebus 149, quotieſcunque videlicet Marcheſvan eſt dierum 30. & in diluvio facile fieri potuit, ut menſes quinque lunares, unico die accedente, in diem 150 extenderentur. Diluvium enim erat hieme, § III. quo tempore menſes ſolent eſſe longiores: in diebus 40 pluviæ, latente luna, menſis 2 habuit dies 30. deinde luna vaporibus obtecta, ſeptimi potiſſimum menſis initium, in fine 150 dierum, ſerius fuiſſe, facile exiſtimaveris. Sed quorſum tam multa? Aut in eo ipſo temporis puncto, quum diem illum 150 dies 151 eſt inſecutus, arca ſubſedit in montibus Armeniæ, quod nemo ſpondere poteſt, aut

aut dies ille 150 est idem, qui dies 17 mensis 7, quo subsedit arca. Itaque menses quinque habent dies 149 tantummodo, id est, sunt menses lunares. Ex quo colligimus, ante menses quinque, & post menses quinque, breviores item menses fuisse, quanquam speciales rationes anni & mensis tum coagmentandi latent. His observatis, utiliter conferetur *Alphonsus a Carranza*, qui in diebus diluvii nutat, sed annum solarem primævum egregie comprobat. Vid. tract. ejus de partu naturali & legitimo, cap. 12. & diatriba contra Petavium ei annexa.

3. Nonnulli pridem Gen. VII. 11 diei 17 mensis secundi surrogarunt *diem 27.* eo fortasse consilio, ut collato *die 27* mensis secundi, cap. VIII. 14. diluvium in annum vertentem redigerent. Annum vertentem cum veritate Hebraica pulcre conciliat mensis lunaris. nam tali pacto a die 17 mensis secundi in anno priore ad diem 27 mensis secundi in anno altero sunt menses 12 cum diebus undecim, id est, annus solaris, & quidem a die 17 nov. fer. 3. ad diem 18 nov. fer. 5. *Annus in arca transactus est.* Vid. Meyer in Seder olam p. 306.

4. Post captivitatem Babylonicam lunares Iudæis menses fuisse, inter omnes constat: neque alii sub captivitate & in omni superiori ætate menses reperiuntur. Vnus idemque apud Nehemiam, Ezram, Zachariam, Haggai, Ezechielem, Danielem, sub regibus, sub Mose, (vid. Cary chron. f. 44.) sub Noacho, mensium tenor est. Primus aliquando mensis est declaratus, qui antea septimus fuerat: sed numerus dierum in mense, sine mutatione, semper idem, quem luna describit.

VII. Gradus & dies aquæ crescentis dominantisque, ac postea decrescentis, inter se respondent.

1. Hoc non magnopere ad chronologiam pertinet, sed tamen annum illum in arca vertentem illustrat.

Pluvia erat dierum 40. Post 40 dies factum est, quod Gen. VIII. 1. 2 memoratur: & iisdem 40 diebus inclusis, dominata est aqua a m. 2. d. 17. ad m. 7. d. 17. inclusive, dies 150

Decrementum aquarum usque ad capita montium conspecta, a m. 7. d. 17 exclusive, ad m. 10. d. 1 exclusive, habuit ad *minimum* dies 70

In mensem 10. 11. 12 cadunt *dies 40*, usque ad corvum emissum, & inde *tres hebdomades* columbæ ter emissæ, conjunctim *dies 61.* qui Noachum exspectantem ex mense 10 in mensem 12. adeoque ad finem anni detulerunt. Ipsi menses illi tres, habuere ad *summum* dies 89

Anno altero, ab aquis siccatis ad terram ipsam exsiccatam, erant dies 57

Summa dierum respondet anno solari.

2. In incremento aquarum dies 150 cum mensibus connectit Moses: sed dies decrementi non ita connectit. Quare neque dierum numeros ante diem 1 mensis decimi, & post, neque dies Romanos, definite ponere possumus: summa tamen ipsa sibi constat.

3. Pro mense *decimo*, cujus die primo conspecta sunt capita montium, *undecimum* sunt qui surrogent. Gen. VIII. 5. Sed hîc quoque veritas manet Hebraica. Diameter quidem aquarum decrescebat initio tardius, ob magnitudinem peripheriæ; deinde celerius,

rius, etiam ob crassitiem montium, aquas interpellantium, subinde majorem, *sub omnibus cœlis.* Gen. VII. 19. Sed tamen non nimis retardari primum, deinde accelerari debet decrementum. nam initio aqua summa inferiorem magis premebat, & in receptacula sua expeditius decurrebat: neque ab aquis totam terram tegentibus ad aquas siccatas, Gen. VIII. 9—13. quatuordecim tantummodo dies, adulta præsertim æstate & calore decrescente, putari possunt; quod ii facere coguntur, qui Gen. VIII. 5. legunt, *undecimi mensis die primo.*

VIII. Exstantissima est Epocha mundi postdiluviani.

1. Ea cœpit anno *primo* seculi septimi ætatis Noachi, mensis *primi* die *primo.* Sic habet magna temporis notatio, Gen. VIII. 13. Omnia ab integro.

2. Non eo die factus est egressus ex arca & benedictio nova: sed tamen *aquæ siccatæ sunt de terra. Tum removit Noachus tectum arcæ: & vidit, & ecce siccata erat facies telluris.* Etiam factus est mundus aliquot ante diebus, quam homo & fieret & benedictionem acciperet.

3. Anni 1656 pleni sunt menses synodici 20482, sive *hebdomades* mensium 2926. *hebdomades hebdomadum* ejusmodi 418.

Anni 1656 sunt dies $604841\frac{2}{5}\frac{2}{0}$. sive *hebdomades* dierum 86406, minus $10\frac{2}{5}\frac{2}{5}$. hor.

Menses illi 20482 sunt dies 604845. hor. $14\frac{3}{4}$ fere, sive *hebdomades* dierum $86406\frac{1}{2}$.

Menses periodici item 1656 pleni, & item 20482. junctim 22138. sunt dies item $604845\frac{1}{2}$ circiter.

4. Die mundi primo factum est habitaculum solis & lunæ, & idem dies habebat tempus conjunctionis

solis & lunæ. Ab eo principio effluxere menses periodici 22138. A. 1656. die 22 sept. feria 4. a meridie. Ab eodem principio effluxere menses synodici 20482. A. 1656 eodem die 22 sept. feria 4, horæ media tertia a meridie. Tum erat conjunctio solis & lunæ, adeoque novilunium fuit postridie, die 23 sept. feria 5.

A sexto die mundi, id est, a die Adami conditi, (Gen. V. 3.) effluxere anni 1656 solares ad EUNDEM diem 23 sept. inclusive. Is igitur dies, novo anno humano, novo mense ineunte, dat Epocham mundi postdiluviani.

SECTIO V.

DE ANNIS PATRVM POST DILVVIVM.

A. M. 1657.

1.

De hoc anno diximus aliquid, & aliquid dicendum est. *Biennio post diluvium* Semus Arphaxadum genuit: nec tamen eo nomine ad annos patrum quicquam adjiciendum venit. Noe *filius annorum 500*, genuit Semum, id est, anno suo 500, (Vid. Meyer. ad Seder olam p. 302.) & anno Noe 600 inchoato venit diluvium: Sem, *filius annorum 100*, genuit Arphaxadum. De anno 500 Noe, & de anno 100 Semi decedit aliquid: sed quicquid decedit, mox compensatur. *Post diluvium*, (cujus hebraicum vocabulum מבול proprie *lapsum* aquarum, sive pluviam ipsam denotat, vid. omnino Gen. VII. 17.) est post initium diluvii, coll. Gen. IX. 28. uti *post migrationem* est *post initium migrationis*. Matth. I. 12. Itaque series rerum hæc est: Anno 600 Noe, Mense 2, venit diluvium: anno 601, mense 2, finem id habuit; & tum superarunt menses 10 ejusdem anni. Non nisi post benedictio-

dictionem divinam Gen. IX. 1 liberis operam dediſſe Semus exiſtimari debet: ac tamen eodem in anno 601 Noe, antequam annus 1657 ab Adami ortu exiret, & naſci potuit Arphaxad & natus eſt. Intervallum ab exeunte anno 601 Noe retro ad initium diluvii multis menſibus exſuperat annum vertentem, adeoque *biennii* appellationem ſuſtinet. Sic fere Iſaac Abravanel & R. David Kimchi, apud Voſſium, in Iſag. chronol. p. 45. *Lineam chronologicam* hoc biennio non augere, ſed annis *patrum* ſimpliciter debemus inſiſtere. *

2. Dices: *Anni patriarcharum gignentium pro completis ſumuntur: annus 600 Noe in arcam intrantis, & item annus 601 Noe ex arca exeuntis, pro inchoatis ſumuntur.* iſtud quî convenit? Reſp. Hoc ipſum diſcrimen apprime tenendum eſt. Anni extra lineam chronologicam paſſim ſunt incompleti: ſed in linea chronologica ſunt *conferti*, ut ad A. M. 130 diximus, ſive completi, conjunctim, non ſingulatim. Sic annos regum Iſrael non raro incompletos; regum Iuda, conſertos videbimus. Pari modo annus Noe 600 & annus 601 pro inchoatis accipi poſſunt ac debent: ſed anni patrum gignentium ſunt conferti, atque iis annum 500 Noe & annum 100 Semi *biennium* illud ita attemperat, ut anni patrum inſequentium complanent omnia, & numeri annorum in *Linea chronologica* indelibati maneant.

A. M. 1691.

In poſteris Semi majora etiam ab Hebraico textu divortia ſunt Samaritarum & Græcorum. Nam habebat annos

Arpha-

* Biennium *hoc cum anno* Noe *600 & 601, itemque cum anno* Semi *99 & 100 coincidit, ut etiam* Lud. Capellus *agnoſcit.* Zeugnis p. 65.

	apud Samar.	Hebr.	Græcos
Arphaxad gignens,	135	35	135
(*Kainan*	0	0	130)
Sala	130	30	130
Heber	134	34	134
Phaleg	130	30	130
Ragau	132	32	132
Serug	130	30	130
Nachor	79	29	79
Summa:	870	220	1000

In Sem & Thara conveniunt, quorum alter 100 alter 70 annos habet. Itaque ab Adam ad Thara numerant Samar. 2347. Hebr. 2046. Græc. 3372. Vnde apparet, patrum ætates post diluvium magis etiam fuisse mutatas; & quidem a Samaritis, qui, quum patribus ante diluvium aliquot secula detraxissent, vicissim Nachorem 50 annis, & quinque superiores 130 annis auxerunt. Samaritas secuti sunt Græci, sed ita, ut major evaderet ætatum ante diluvium & post diluvium analogia. Græcos abunde, sed magis Samaritas refutat hæc ratio, quod post diluvium celeriter multiplicari oportuit genus humanum: unde ætates gignentium non tam longæ, nedum antediluvianis productiores, esse potuerunt.

Non tam magnis intervallis a diluvio remotum fuisse Abraham, ex eo patet, quod gentes adhuc minus copiosæ erant. Modica illa familia armata aliquot reges vicit. Gen. XIV. 14. idque singulari quidem ope divina factum est, Iesaj. XLI. 2. 3. sed tamen in principibus ille sui temporis erat. Gen. XIV. 13. 21. XXIII. 6. Postea demum Ismaelitæ, Moabitæ, Ammonitæ, Syri, Midianitæ, Edomitæ, & multæ aliæ gentes, ac nobiliores quidem ex ipso Abrahamo, ortæ sunt.

Lon-

Longius progressi sunt, qui *Kainanem* alterum in Græcam Pentateuchi translationem invexerunt: Gen. X. 24. XI. 13. nam in 1 Chron. I. 24. Græcus quoque interpres Hebraicum textum sequitur. De Kainane apud Lucam agit *Gnomon*; & ante Lucæ quidem tempora insertum esse Kainan apud LXX, satis constat: quomodo autem id factum sit, opinari saltem licet. *Seth* & *Sem* junguntur Sir. XLIX. 19. & revera similes sunt utriusque rationes. Ex Adamo totum omnino genus hominum; ex Noacho totum genus hominum post diluvium: Adami filius Seth, Noachi filius Sem. Ipsa quoque nomina propinqui soni sunt. Quid mirum, si librarius Græcus a Ptolomæi Philadelphi ætate non longe remotus, quum *Sethi* nepotem Kainanem in animo haberet, *Semi* nepotem Kainanem inter scribendum per oscitantiam arripuit, consiliumque ex tempore cepit, & e proximo annos Sala 130 & 330 ei accommodavit (conf. Alex. Mori Axiom. Theol. IV.) haud reputans, tam late manaturum errorem? Qui fœcundam sphalmatum a pusillo sæpe initio propagationem norunt, hoc non explodent. Porro Kainan cum annis suis præsupponit interpolatos annos Sala & aliorum. Vnde patet, reliquas mutationes apud Græcos & *antea* apud Samaritas in textu esse factas. Nil eo tempore erat causæ, cur Iudæi Hebraico textui quicquam annorum detraherent: Samaritis autem & Græcis id videtur fuisse propositum, ut, quemadmodum alibi, ita hîc quoque, τὸ πιθανὸν in narratione augerent, fidemque historiæ majorem apud externos conciliarent, & speciatim historiam Mosaicam, diluvio in superiora secula retruso, calumniis gentium, majores de se antiquitates venditantium, aut nescio quas difficultates Mosi objicientium, subducerent. Circulum committit methodus LXX interpretum & chronologia ad illos accommodata: *historiæ externæ augent annos mundi; ergo consultum est, in Græca Mosis inter-*

interpretatione annos augere. Græca Moſis interpretatio auget annos mundi: ergo hiſtoriæ externæ veram referunt antiquitatem temporum. Hebraico textui veritas conſtat.

A. M. 1755.

Peleg a diviſione terræ nominatus eſt: Gen. X. 25. 1 Chron. I. 19. eaque diviſio inter *Heberi* & *Pelegi* nativitatem accidit. Diviſa poſt diluvium paulatim eſt terra, diviſione genealogica & politica, quæ verbis נפצה & נפרדו notatur. Gen. IX. 20, X. 5. 18. 32. XI. 9. At longe alia diviſio verbo נפלגה innuitur, phyſica videlicet atque geographica, uno quodam tempore, inter Heberi & Pelegi nativitatem, facta, ſingularis plane. ac magnitudinis ſuæ nomine idonea ad nomenclaturam patriarchæ. Hoc verbo ea maxime diviſio ſignificatur, quæ eſt terrarum & aquarum. unde Hebræis פלג eſt *rivus*, & Græcis πέλαγος *mare*. (vid. cel. Klemmii crit. ſacra p. 161.) Multas pridem terras per maria divulſas collegit Plinius l. 2. c. 88. & Pelegi tempore Europam ab Aſia diremtam, ſunt qui ſuſpicentur. Sed eodem tempore, non longo poſt diluvium intervallo, alias item partes ab aliis, mole intus madente, avulſas, non temere dixeris, quum de univerſa terra loquatur hiſtoria ſacra. Multa littora inter ſe oppoſita ita congruentem habent figuram, ut cohæſiſſe olim videantur. Eo modo ſe habet ora Americæ ad oram Africæ. Linguarum confuſio tum facta eſt, quum primæva lingua Heberi & Hebræorum propria eſſe cœpit: tum homines diſperſi ſunt ſuper faciem omnis terræ. Aliquanto poſt ex Africa in eam regionem Americæ, quæ ad Africam etiamnum vergit, ut exiſtimare licet, devenerunt aliqui ex filiis Ham, & diviſa deinceps Pelegi diebus terra cum poſteris ab reliquo genere humano per multa ſecula ſejuncti fuerunt. Diſſociatio generis humani per tot freta, ſive ab initio tanta

tanta erat, sive Pelegi tempore facta est, malæ & pernicioſæ conſpirationi ſimiliter obſtitit, uti confuſio linguæ. Quæ Thomas Burnetius diluvio adſcribit, eorum aliqua vel a rerum ortu fuere, vel in diebus Pelegi acciderunt Telluri.

A. M. 1785.

Mathuſala obierat proxime ante diluvium: in diluvio deleti ſunt plurimi: primus, 337 poſt annis, eſt Peleg, cujus mors memoretur. Interea temporis omnes patres nati ſunt, inter Semum & Iſaacum.

A. M. 1946.

Quot annos, Abrahamo naſcente, pater ejus Thara habuerit, dubitare nemo debebat. Annos 70 memorat Moſes, Gen. XI. 26. ubi textus Hebræus ſic diſtinguitur: *Et vixit Thara 70 annos: & genuit Abram; & Nachor, & Haran.* Primo ac præcipuo loco ponitur Abram, & a Nachor & Haran, qui propius inter ſe conjunguntur, ſejungitur. Annos item 70 refert textus Samaritanus & Græcus, conſenſione in annis patrum prope ſingulari. Neque repugnat Stephanus Act. VII. 2 ſeqq. Diagramma ex Moſe eſt hoc:

Anno Thara;	Abraham:
70	Naſcitur Abram.
140	70 Thara cum Abram, Lot, Sarai, ex Vr Chaldæorum proficiſcitur in Haran. Gen. XI. 31.
145	75 Abram exit ex Haran.
169	99 Abraham dicitur: circumciſio ei datur.
170	100 Iſaac naſcitur.
205	135 Thara moritur.

127

187 Sara moritur.
140 Isaac Rebeccam ducit.
160 Iacob nascitur.
175 Abraham moritur.

Abrahamum plerique anno 70 Thara; Procopius, Caietanus, & alii anno 130 natum statuunt: & sane altera utra harum sententiarum vera esse debet, aut tota chronologia hiatum facit. Plane vero annus 70 valet. Non memorat Moses, quo Adami anno Cain & Abel, primi omnium ex muliere nati, nati sint: Sethi nati tempus indicari postulabat Linea chronologica. Non memorat Moses, quo Noachi anno Iapheth & Cham nati sint: Semi nati tempus indicari postulabat Linea chronologica. Multo minus referebat scire, quo ætatis anno Thara Nahorem vel Haranum genuerit, quorum utrumque ante annum 70 Thara natum esse, putes: at Abrami natalem referri annum conveniebat, quem aut nusquam aut ex Gen. XI. 26, ubi 70 anni leguntur, cognoscere Hebræi potuerunt, quorum chronologi annum 70 Thara sequuntur. Etenim collatio anni, quo mortuus est Thara, & anni, quo vocatus est Abram, eos per se nil docuit, quum ille alio anno mori, & hic alio anno vocari, indiciumque annorum ætatis Thara, quod Vsserius pro jungenda morte Thara & vocatione Abrami urget, causas multo alias habere potuerit, & revera hanc si non unicam, at certe legitimam habuerit, ut ne ætas unius Thara in tota serie ab Adam ad Mosen prætermitteretur. Iussio exeundi ex terra patria, & ex cognatione, & ex domo *patris*, *patris* vitam præsupponit. Gen. XII. 1. Qui vero statuunt, Tharam annos 130 natum genuisse Abram, in unum annum conferre debent profectionem ex Vr Chaldæorum in Haran a Thara & Abram susceptam; & mortem Tharæ; & profectionem Abrami ex Haran in terram Canaan. Tali pacto nulla

nulla eorum fuisset in Haran commoratio, quæ tamen revera non brevis fuit. Gen. XI. 31. XII. 5. Act. VII. 2. 4. Iudith. V. 7. unde terram *Haran* Thara ex nomine defuncti sui filii *Haran*, ut apparet, vocavit. A Mose petendus est hic quoque articulus *Lineæ chronologicæ*, ut totus scopus ejus postulat: hanc Stephanus, quem 130 annorum defensores allegant, præsupponit, & res ipsas contexit, uti proposito ejus convenit. Duæ sunt profectiones Abrami, auctoritate divina susceptæ: prior ex Vr Chaldæorum; altera ex Haran in terram Canaan. Eas ita memorat Moses, ut jussum primum de relinquenda terra patria & familia, & profectionem secundam ex Haran jungat concise, Gen. XII. 1 seqq. quum profectionem primam, in qua Abram comes patris sui fuerat, jam descripsisset Gen. XI. 31. Potior quippe Mosi erat memoria loci, in quem ire, quam quem relinquere jussus fuerat Abram: quanquam idem Gen. XV. 7. Abramum etiam ex Vr Chaldæorum divinitus eductum memorat. coll. Jes. XLI. 2. Stephanus hæc recenset explicatius, Act. VII. 3. 4, quamvis in reliquis partibus seriem temporis minus curat. ibid. v. 5. fin. Respectu jussionis & itionis primæ Stephanus prætermittit illud: *Egredere ex domo patris tui:* tum enim Thara & Abram una ibant. Respectu jussionis & itionis secundæ Moses refert illud: *Exi ex domo patris tui:* quia tum patre vivente & remanente migrabat Abram, 60 annis ante mortem ejus.

Dices: *Ex Haran, post obitum Thara, qui 205 annos vixit, DEVS Abramum μετῴκισεν* transtulit *in terram Canaan, ut Stephanus ait: ea summa ex 130, non ex 70 annis Thara, ad 75 annos Abrami ex Haran egressi, additis, colligitur.* Respondeo: Hoc loco, si usquam, *diastole* illa chronologica obtinet, de qua ut denuo aliquid differamus, gravitas rei postulat. Sæpe videlicet Scriptura notationem temporis sumit ab

eventu aliquo insigni, eam rem, cujus tempus notatur, citra notabile intervallum subsecuto. Terra divisa est *in diebus Pelegi*, id est, paulo ante, quam Peleg nasceretur, qui inde *Peleg* dictus est. Gen. X. 25. *Simsonis uxor flevit septem dies*, i. e. die septimo. Iud. XIV. 17. coll. v. 12. 14. 15. *Similiter duxerunt eam* fratres *septem*, quatuor reliqui de septem. Luc. XX. 31. *Iosias genuit Iechoniam & fratres ejus ἐπὶ τῆς μετοικεσίας in migratione Babylonis*, Matth. I. 11. ut ii, qui tum nascebantur, inciderent in migrationem. David panes propositionis edit *sub Abjathar*, Marc. II. 26. id est, quum Abjathar mox patri suo Abimelech, quem Saul tum Davidis causa interfecit, successurus esset. Sic *dies assumtionis* I. C. dicuntur Luc. IX. 51. pro ipso die assumtionis (Act. I. 2.) & diebus eam proxime prægressis, & iter ad eam complexis. Pari ratione *post* obitum Thara translatus dicitur Abraham cum domo sua in terram Canaan, quia commoratio Abrahami ante patris mortem perbrevis & quasi nulla fuit, si comparetur cum diutina Abrahami & posterorum habitatione in terra *post* mortem patris. Stephanus igitur hoc dicit: Abraham cum domo sua translatus est in terram Canaan, & in ea habitavit ipse multos annos, quorum jam annorum bona pars fuit *post* mortem Thara, & posteri ejus multa secula. * Accuratam historiæ veritatem pridem notam præsupponit, & de rerum momentis scite decerpit, quod opus est, idque commode partitur. v. gr. versu 16. Talem loquendi rationem non debemus ad vernaculas nobis loquendi regulas severius exigere: quanquam qui eam non gustant, sibi sunt relinquendi. Abramo & posteritati ejus terram Canaan

* Abram, *dum* Thara *vixit in* Haran, *domum quodammodo paternam habuit in* Haran, *in terra* Canaan *duntaxat peregrinum agens: mortuo autem patre, plane in terra* Canaan *domum unice habere cœpit.* Guom. ad Act. VII. 4.

naan non ex hæreditate paterna, sed ex divina promissione Stephanus obtigisse docet: & eo nomine summam totius rei, quæ menti ipsius obversabatur, morte Tharæ citeriorem facit, quem ad modum etiam Moses mortem Tharæ prius memorat. Mysterio non caret obitus Tharæ extra terram Canaan, in quam terram ire voluerat. Gen. XI. 31. neque productior Tharæ vita Abramo ad eam terram obtinendam profuit quidquam.

Opinionem de Thara, quum Abram nasceretur, 130 annos nato, validissime refellit hæc ratio: Ex omnibus post diluvium natis unus memoratur Abrahamus, qui anno 100, imo etiam anno 140 & deinceps, Ketura post obitum Saræ & post nuptias Isaaci ducta genuerit. Quod si Thara Abrahamum anno suo 130 genuisset, ipse 100 annorum facile credidisset, filium sibi natum iri: sed cum annos 29 progenitoris sui & annos 70 genitoris sui simul sumtos esset assecutus, fides ejus tantam commendationem est nacta. Qui pro 70, 130 annos sumunt, & ipsos *60 annos* hoc uno loco inserunt, *errorem* admittunt, *quem nulla in progressu redimit subtilitas* chronologica. Camelum hic deglutitum nulla culicum percolatio compensat. Atque hoc potissimum in loco in duo genera discedunt fere chronologi, ut 60 annis vel speciose additis, vel vere omissis, a mundo condito ad æram christianam vel ipsos 4000 annos vel paulo plus vel aliquanto minus conficiant. Præsiscine dixerim: Lutheri supputatio, Carionis chronicon, Funccii Chronologia, &c. minus longe veritatem excedunt, quam systemata chronologica recentiorum splendidissima. Hoc bonum est simplicitatis.

A. M. 2006.

Noachi mors. Ipsis 60 annis post natum Abram obdormiit Noachus: & Abram 10 post annis vocatum

tum esse, deinceps videbimus. Non interruptus est cultus divinus.

SECTIO VI.

DE ANNIS CCCCXXX A VOCATIONE ABRAHAMI AD EXITVM EX AEGYPTO.

A. M. 2016.

Abram educitur ex Vr Chaldæorum. De magna hac epocha mox plura.

A. M. 2032.

Ismaël nascitur, anno 11 habitationis Abrahæ in terra Canaan. Eam nativitatem præcessit servitus 12 annorum, quam regi Elam rex Sodom cum vicinis servierat; & annus 13, defectionis; & annus 14, belli. Servire igitur cœperant, antequam Abraham ex Haran, vel etiam ex Vr exiret. Vid. Iesa. XLI. 2. Incidit vocatio ejus in tempora turbulentissima.

A. M. 2046.

Isaac natus. Abraham tum erat 100 annorum, Sara 90. & hæc deinde annos 127 nata, 3 ante annis, quam Isaacus Rebeccam duceret, obiit, unica mulierum, cujus ætas in Scriptura memoretur.

2. Isaac postremus eorum est, de quibus refertur, quo ætatis anno genuerint: inde ætates Iacob, Ioseph, Levi, Kahath, Amram, Mosis indicantur, sed sine annis, in quibus genuere; & in progressu aliæ difficultates super alias nasci videntur. Sed tamen *Lineæ Chronologicæ* continuandæ abunde provisum est. Plane insigne quiddam est *Exitus* ex Ægypto. ab eo retrorsum ad *Isaaci nativitatem* fixi sunt anni

anni 400; prorsum, ad templi fundamenta jacta & ad annum Salomonis 4, anni 480. Duas hasce *summas* magno beneficio divina Sapientia condidit. Nam quum tanta est opinionum varietas, dum hasce summas in manibus habemus; quanta esset, si eæ non essent? Nunc etiam ii, qui in minoribus earum articulis cespitant aut hærent, per easdem summas a latiori fluctuatione cohibentur. Qui eas ipsas summas migrant, naufragium in chronologia faciunt.

3. De annis 400 hoc loco agere debemus. finis eorum est exodus, Gen. XV. 14. neque initium non est apertum. *Dixit DOMINVS Abramo, Scito, quod peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & servos eos habebunt & prement eos; quadringentos annos.* ibid. v. 13. Accurata rursus accentuum est ratio. nam *400 annos* non explet *servitus* Ægyptiaca, abs qua accentus Athnach eos distinguit; sed tota *peregrinatio seminis* Abram, non modo in Ægypto, sed etiam in terra Canaan, in qua æque atque in Ægypto peregrini erant patres, donec Iosuæ tempore illa cœpit esse patria Israelitarum. Gen. XVII. 8. &c. Act. VII. 5. 17. Ipsi Isaaco, qui ex ea *nunquam est egressus*, peregrinatio notanter adscribitur. Genes. XXVI. 3. XXXV. 27. XXXVII. 1. Pluris intererat Abrami, scire, quot post semen ipsi natum annis possessio terræ foret eventura, quam ignorata priore hujus intervalli parte, diuturnitatem tantummodo servitutis Ægyptiacæ scire, quo pacto *totam* summam ignorasset. Initium igitur 400 annorum est nativitas Isaaci, tanquam *seminis*, terram possessuri. *Hic primus ab ipsa nativitate peregrinus erat Abramides.* In Isaaco incipit peregrinatio seminis: in tota Isaaci vita nullus alius est annus, unde hæc epocha duci possit.

4. Hi anni 400 concinne 4 generationes dicuntur Gen. XV. 16. nam ut ab Adamo *vicesimum* se numerabat,

rabat, interjectis annis *vicies centenis*, Abrahamus, sic ab Isaaco, inclusive, ad terminum promissionis, futuræ erant, interjectis *quater centenis* annis, *quatuor* generationes.

5. Ipse numerus annorum 400 non ut rotundus, sed ut definitus ponitur. nam præterquam quod in denotandis favorabilibus, sed non in odiosis, minor numerus pro majori ponitur, rationem 430 annorum apud Mosen ita sustentant hi anni 400, ut illi sine his non possint expediri, quemadmodum etiam hi, suo loco, ante illos memorantur, ad continuandam annorum seriem.

6. Sic non modo nil obest veritati silentium de annis, quibus hi quatuor, *Iacob*, *Levi*, *Kahath*, *Amram*, genuere, sed etiam sapienti methodo ii anni teguntur. nam quarta generatione erant redituri Abrahamidæ in terram Canaan. Generationes genealogicæ memorantur plures, ut Isaac, Iacob, Levi, Kahath, Amram, Moses; sed chronologicæ, 100 annorum erant 4, conjunctim 400 anni.

7. Complectuntur hos 400 annos aliæ duæ summæ: quarum altera, *430 annorum*, apud Mosen & Paulum, ante 400 annos incipit, & simul exit; altera, *quasi annorum 450*, apud Paulum sive Lucam, cum 400 annis incipit, & longius excurrit. Exacta est notatio temporis, Ex. XII. 40. 41. *Et habitatio filiorum Israel, ut habitarunt in Ægypto : 430 anni. Et factum est finitis 430 annis :* & *factum est* בעצם היום הזה *hoc ipso die exierunt omnes exercitus DOMINI ex terra Ægypti.* Cujus loci intuitu Ioh. Melchioris recte ait: *DEVS ne vel unico die distulit magna opera, quæ annis definiverat.* Tertioque mox mense post Exodum *facta est Lex, 430 annis post promissiones Abrahamo & semini ejus dictas.* Gal. III. 16. 17. Idem exitus 430 annorum apud Mosen & Paulum, ac 400 annorum: ergo ante hos illi annis 30 inceperunt, non citius, non serius.

8. Rur-

8. Rursus Tabellam proponimus:

A a nato Abramo	N ab exitu Abram ex Chald.	N Abram Vr	O a nato Isaaco	
70				Abram educitur ex Vr Chaldæorum: *promissionem* primam accipit: *peregrinationem* adit.
75	5*			Exit ex Haran.
100	30			Nascitur Isaac: incipit *peregrinatio seminis* Abrahami.
	430		400	Exodus: Lex.

9. Quod annos 430 Moses habitationi *filiorum Israel* in Ægypto adscribit, *diastole* est chronologica: quæ, LXX interpretibus & Iosepho agnita, nemini insolens videri debet. Nusquam enim adhibetur, quin veritas, additis ceteris locis, ubi eædem res notantur, sine erroris periculo referatur. *Omnes partes divini testimonii sine mutua contradictione perinde sunt accipiendæ, ac si in uno temporis puncto pronunciarentur.* Itaque anni illi 430 non cœpere demum a profectione Iacobi in Ægytum, nedum a morte Iacobi in Ægypto. nam Paulus eosdem 430 annos citans, aperte loquitur de *Abrahamo*, ita ut epocham ducat a pro-

* *Hi* quinque anni, *quos promissio prima, atque initium 430 annorum antecedit, illudque* biennium *apud* Iosephum (supra Sect. V. 1.) *summatim 7. tam indivulso nexu cohærent, ut aut simul summæ annorum mundi inseri, aut simul eximi illos necesse sit, propterea quod alias anni Sabbatici dimoverentur* (coll. c. XII. Sect. II. §. II. XII.) Zeugnis p. 68.

promissione primum data, quæ *protinus*, etiam ante circumcisionem, testamentum firmum ac ratum fuit: unde *promissionis* vocabulum sæpissime repetit. Gen. XII. 3. XV. 18. Gal. III. 8. 15 — 22. Rom. IV. 20. 13. * Tota 430 annis includitur *peregrinatio Abrahami* & seminis ejus, non modo a nativitate Isaaci, a fœdere circumcisionis dato, a descensu ipsius Abrahami in Ægyptum, sed plane ab eo tempore, cum DEUS Abrahamum eduxit ex *Vr* Chaldæorum, ad *diem* illum, quum populum *ex Ægypto eduxit*. Anni 400, qui a descensu in Ægyptum ad Exodum numerantur Iudith V. 8, non leguntur in Græcis.

10. Ab electione patrum ad distributionem terræ Canaan *quasi annos 450* numerat Paulus Act. XIII. 17 seqq. ** Sinceram ejus loci lectionem & uberiorem interpretationem *Gnomon* habet: summam autem sententiæ illius apostolicæ complectitur hæc propositio: *Semen Abrahami obtinebit terram Canaan.* Subjecto propositionis determinatur initium *quasi annorum 450*; prædicato, exitus. Semen illud nactus est Abraham, quum Isaac est natus; (neque serius, v. gr.

* *Promissio, ut primum data* Abrahamo *fuit, protinus auctoritatem suam inviolabilem* (κῦρος) *habebat, quemadmodum homini voluntatem ultimam semel duntaxat declaratam nulli licet irrita facere. de verbo* κυρῶν *vid.* Raphel. *annot. ex* Herodoto *p. 486 seq. &* Gnom. *nostr. ad h. l.* Weltalt. p. 19.

Si testamentum cum *circumcisione & post eam*, non ante, *exstitit*: Galatæ *non sine caussa acceptabant circumcisionem*, & Pauli *contra illos argumentum non stringit. Atqui nervus* Paulinus *est, promissionem non modo legem antecessisse, sed etiam circumcisionem, coll. Rom. IV. 9. 13.* Weltalt. p. 18.

** *450 annos Act. XIII. sive cum v. 20. sive vi antiquæ lectionis cum v. 19 connectas, ii nonnisi ab electione patrum, & precipue a dato fœdere circumcisionis ad distributionem terræ numerandi sunt.* Anhang III. Abth. §. II.

gr. a morte Iacobi, hæc periodus incipi potest:) ab Isaaco nato ad Exodum pone annos 400: in deserto, fuere anni 40. ad distributionem terræ, quasi anni 10. nam 5 annis post transitum Iordanis incepta est distributio, sed ob segnitiem populi tardius peracta. Ios. XIX. 1 seqq. 51. Summa, *quasi anni 450.*

11. Modesta, sed tamen seria est & copiosa Dissertatio *G. Vossii* chronologica VII, qua ab Iosephi & Iacobi ingressu in Ægyptum ad exodum ipsos 430 vel 400 annos evincere conatur. Sed multo brevior ea periodus fuit. Ante iter Iacobi natus est Kahath, & minor ejus frater Merari, Gen. XLVI. 8. 11. coll. Num. XXVI. 59. & vixit annos. 133. Amram vixit annos 137. Moses tempore exodi habebat annos 80. Summa, 350 anni. Exod. VI. 16—20. VII. 7. 1 Chron. VII. 1. 2. 3. *Septimum* ab Abrahamo Mosen agnoscit Iosephus: & quisquis generationem ullam in prosapia Mosis & Aaronis tam accurate descripta omissam cogitat, cum eo non fuerit hac de re disputandum. Primum finge, minimum Amrami fratrem, Ex. VI. 18. & Mosen, fuisse posthumos, id quod certo falsum est: tamen ab itinere Iacobi in Ægyptum ad exitum ex Ægypto non fuere 350 anni, nedum 400, nedum 430. Tota genealogia, ab ingressu Iacobi in Ægyptum usque ad censum populi sub Mose alterum, hoc evincit, toto Numerorum capite XXVI. coll. cap. XVI. 1. Ios. VII. 1. 18. 1 Chron. II. 18 seqq. Matth. I. 3, 4. &c. ubi v. gr. spatium illud explent, *Manasse*, *Machir*, *Gilead* (Iephtæ genitore antiquior, Iud. XI. 1.) *Hepher*, *Zelophchad*, & *filiæ* ejus: imo *Hesron*, *Caleb* (Iephunnæ filio antiquior,) *Hur*, *Uri*, *Besaleel*: imo *Hesron*, *Ram*, *Amminadab*, *Nahasson*, nulla prætermissa generatione, uti mox Sect. VII. nr. 3, collato Matthæo, videbimus: item, *Zara*, *Zabdi*, *Carmi*, *Achan*: imo *Kahath*, *Iishar*, *Kore*: & *Pallu*, *Eliab*, *Dathan*. Sin-

gulatim Levi, Mosis ipse avus maternus, hæc tempora *evidentissime* coarctat. Ex. II. 1. Nam si avum eum aut proavum, ac non patrem, habuisset Iochebeth, quid opus fuisset, hanc *in Ægypto ei* natam dici? Num. XXVI. 59. Et Levi quidem ita modico ante Mosen natum intervallo obiit, ut Moses citra miraculum ex Iochebed, quemadmodum hæc ex Levi, nasci posset. Coarctat tempora etiam Kahath, filius Levi, de quo mox.

12. Annum 75 Abrahæ a Mose non pro notanda peregrinationis epocha poni, ex eo quoque patet, quod eum tum *ex Haran exivisse*, non, *in terram Canaan venisse*, ait. Gen. XII. 4. At epocha exitus ex Vr Chaldæorum, sive ex Mesopotamia, longe momentosior est, etiam apud Mosen. Gen. XV. 7. Nec tamen annos 5 inter exitum utrumque exprimit Moses. Intervallum quidem aliquot annorum importat habitatio in Haran, cum incremento rei familiaris: Gen. XI. 31. XII. 5. at ipsos 5 annos suggerit, quum retrorsum ab exodo ad nativitatem Isaaci 400 annos; a nato Isaaco sive anno 100 Abrahami ad exitum ex Haran, id est, ad annum 75 Abrahami, 25 annos; & summatim ab Exodo ad egressum ex Mesopotamia 430 annos numerat. Qui annos 430 ab anno 75 Abrahami incipiunt, ii ante ingressum in Ægyptum numerant annos 215, & in Ægypto annos 215. Sed hos evidenter refutat ætas Kahathi. Natus is est ante ingressum Iacobi in Ægyptum: vixit annos 133. & attigit Mosis nativitatem, quippe quem ipse quoque occuluit. Hebr. XI. 23, ubi πατέρες sunt *patres*, non *parentes*. v. *Gnom.* p. 955. & ed. II. p. 1063. Ergo nativitas Mosis non abfuit annis 133 ab ingressu Iacobi in Ægyptum. Porro 80 annis post natum Mosen fuit Exodus. Ergo Exodus non abfuit 213, nedum 215 annis ab illo ingressu. Quod supereſt, anni 210 numerantur retrorsum ab Exodo ad iter Iacobi in Ægyptum, & inde 220 ad annum Abra-

Abrahami non 75. sed 70. Notabilis illa quidem epocha est Abrahami 75 annos nati: sed annum quoque 85 (sive *decimum* habitationis in terra Canaan) & 86 & 99 Abrahami notat historia sacra, qui tamen lineam chronologicam nihilo magis ingrediuntur. Eosdem 430 annos, cum initio eorum ac fine, Paulus nobis expresse refert.

13. In Ægypto fuisse populum annos 210, agnoscunt Lyranus, Cajetanus, Arias Montanus. L. Capellus, qui *constantem* Hebræorum consensum declarat, Ioh. Meyerus, aliique. Eo spatio tantopere multiplicari potuere, & multiplicati sunt. Nam ante natum Mosen, ita replerunt terram Israelitæ, ut Ægyptios superarent, Ex. I. 7. 9. quanto magis deinceps? v. 12. 20.

A. M. 2227.

Ioseph, annorum 30, exaltatur, proxime ante 7 annos fœcundos. Annos 80 Ægypto præest. Anno 3 famis ingruente Iacobus in Ægyptum migrat.

A. M. 2446. Exodus.

1. Annus mundi 2446 est Per. Iul. 3217. Eo anno erat Exodus. *

2. Anno 3225 Per. Iul. mense novembri Constellationem singularem fuisse docet Iac. Kochius: postea

A. 3227

* *Characterem veri calculi sufficientem unus præbere annus potest. Exodum ego A. P. I. 3217. pono, idque cum* Scaligero, *qui de eo sic scribit*: Epocha omnium aut Sacræ Historiæ aut exoticæ certissima, examinata χαρακτηριστικῶς per feriam neomeniæ primæ Exodi &c. Hinc omnes rationes temporum biblicæ historiæ pendent. *Animadv. ad Euseb. f. 32. Posthæc optimi chronologi Exodum hoc anno posuerunt, a quo retrorsum ego certo tramite ad primum mundi annum, atque idem ego cum aliis prorsum ad annum, quo nos vivimus, devenio.* Zeugnis p. 63.

A. 3227 P. I. in vere Iſraelitas ex Ægypto exiſſe ſtatuit: atque in hiſtoria Iobi, quæ eodem tempore fuerit, & ad conſtellationem illam & ad Exodum alludi ait. comm. in Dan. Append. II. * Sub ipſum Iſraelitarum exitum ex Ægypto loquendi partes ab Eliphaz, Bildad & Sophar ad Elihu devolutas eſſe, non evicit ille, pag. 428. Conſtellatio vero illa, etiam ſi in libro Iobi ſpectetur, quod haud ſcio an quiſquam præſtare valeat, a viris illis æque reſpici vel proſpici, atque ut præſens recenſve commemorari potuit. Annos quidem filiorum Iſrael in Ægypto, & totius vitæ Iobi, æquo numero fuiſſe, 210, eoſdemque ſimul cœpiſſe & ſimul exiſſe, ſtatuunt Hebræi, apud Meyerum ad Seder olam p. 282. Certe longævitas Iobi non patitur eum tam procul infra Iacobum detrudi, ut ærumna demum Iobi & liberatio ejus cum Exodo conjungatur, ſubſequentibus 140 annis. **

3. Qua menſium ratione uſi fuerint *Iudæi veteres*, incertiſſimum eſſe docet Seldeni liber *de anno* eorum *civili*: naturæ tamen & ſcripturæ collatio rem in loco ita expedit, ut acquieſcere liceat.

4. In

---

* *Conſtellatio in ſe ipſa talis non fuit, qualem* Kochius *fuiſſe ſtatuit, atque in libro* Iobi *neque conſtellatio ejusmodi neque Exodus longe poſt* Iobum *conſecuta ſpectatur.* Weltalt. p. 84. 86.

** Iobus *adultos habebat liberos, cum ejus tentatio inciperet, & poſt hanc vixit 140 annos. Proinde ætas illius ætatem* Iacobi (*cujus anni non aſſecuti ſunt patrum ſuorum annos*) *ætatemque* Abrahami & Iſaaci, *qui circa annos 175 & 180 conſecuti & vitæ ſaturi obivere, longe ſuperavit: quid? quod procul dubio attigit ætatem* Serugi, Regu, Pelegi, *qui annos 200, 207, 209 vixerunt Gen. XI. 18 — 23. XXV. 8. XXXV. 28. 29. XLVII. 9.* Weltalt. p. 85.

4. In ipso exitu ex Ægypto sic habebant dies: Adar ult. April. 2. Fer. 5. Æquinoctium : conjunctio lunæ cum sole.

Nisan 1	3	6. Neomenia.
2	4	7. Pharmuthi 1.
10	12	1. Segregatio agni paschalis.
14	16	5. vesperi, Pascha : Pharmuthi 13.
15	17	6. Exodus.

Circa diem 3 aprilis fuisse æquinoctium, consentiunt chronologi : idque *die 2. aprilis* fuisse, probamus tali modo : Anno Dion. 1738. P. I. 6451. æquinoctium fuit d. 20. martii, *feria quinta*, post horam 7 a meridie. Ab anno 3217 P. I. id est, ab Exodo, tum elapsi erant anni 3234. Abjice annos 3200, sive octies 400, qui semper sunt *hebdomades* dierum rotundæ : supersunt anni 34, qui singuli (præter hebdomadas 52) habent dies $1\frac{27}{100}$, conjuncti vero habent dies 42, hor. $5\frac{23}{25}$. id est, *hebdomadas* 6 justas. Igitur 3234 ante annis æquinoctium fuit *feria item quinta*, adeoque die 2 aprilis, sub meridiem.

Eodem die 2 Aprilis, sub ipsum æquinoctium, vesperi, fuit conjunctio solis & lunæ : sed neomenia, *d. 3 Aprilis*, feria 6. ut docet Des-Vignoles tom. I. p. 564. quanquam & neomeniam ulterius in feriam 7 transferri oportuisse putat, (uti tempore passionis Dominicæ factum est a plerisque Iudæis,) & ipsam Exodum multis ante annis ponit.

Die 4 Aprilis fuisse diem 1 mensis Ægyptiaci Pharmuthi, patet ex hac Tabella :

De Aprili, post diem 4. restant dies 26 : de Pharmuthi, dies 29.

Majus habet	31:	Pachon habet	30
Iunius	30:	Pauni	30
Iulius	31:	Epiphi	30
Augustus	31:	Mesori	30
Summa,	utrinque,		dies 149

Poste-

Postero die, 1 Sept. erat Thoth 1. ut idem docet ibidem, p. 565.

Censet Andreas Mullerus, α vaga anni tum forma usos esse Ægyptios: β eandem cum iis anni formam habuisse Israelitas: γ exitûs tempore mensem Epiphi in vere fuisse: δ eundem esse mensem Abib. Quatuor hæcce capita statuit in Gloss. p. 2. 6. 7. De tertio, non assentimur: nam tempore Exodi fuit medius mensis Pharmuthi. Quartum, eam ipsam ob causam probari nequit. De primo, assentimur, historiæ veteris auctoritate. Secundum, in medio relinquimus: nec refert quicquam, quid post obitum patrum in Ægypto, ante exodum, populus hac in parte secutus sit. Quos menses habuerint patriarchæ, ex diluvii collegimus historia: menses per Mosen quomodo fuerint constituti, insignis docet locus Exod. XII. 1. 2. *Et dixit DOMINVS ad Mosen & Aaron in terra Ægypti dicendo: Mensis hic vobis caput mensium; primus is vobis, in mensibus anni.* Divinum in his verbis institutum inesse, patet ex eo, quod apud Mosen & post Mosen mensem primum semper ver habet. Illud quærunt multi, utrum in Dicto illo subaudiri debeat *est* an *esto*; utrum moris præsentis commemoratio sit, an mutatio. Notandum vero magis erat pronomen *vobis*, in utroque hemistichio, *Ægyptiis* videlicet oppositum, quorum in terra dixit ad Mosen & Aaronem Dominus. Quacunque mensium ratione in Ægypto usi erant Israelitæ, nunc norma eis datur. Prius hemistichium declaratur altero, addita *anni* mentione. Annus innuitur naturalis, solaris: mensis innuitur naturalis, lunaris. Anno tum non naturali, sed 360 dierum, utebantur Ægyptii, & mense 30 dierum, non naturali: unde mensis 1 Ægyptiorum, & ceteri menses, in anno Ægyptiorum, totum annum naturalem una hominum ætate permeabant. Israelitis alia omnia præscribuntur: *mensem* naturalem

lem & *annum* naturalem, & *primum* in menſibus anni vernum menſem Abib habere jubentur. Tali menſium *numeratione*, feſta in ſeptem priores anni menſes collata, certiſque menſibus & diebus affixa, eodem ſemper intervallo ita cohærebant, ut neque paſcha citius, ante ver, neque ſcenopegia ſerius, ingruente hieme, fieret, & in *medio* naturalis anni curſu tamen *ultimus* menſium haberet intercalationem.

Die 12 Aprilis, fer. 1. erat ſegregatio agni paſchalis.

Die 16 Aprilis, veſperi, fuit *Paſcha*, feria 5; & *die 17 Aprilis*, Exodus. Seder olam rabba: *Die 14 Niſan immolarunt Iſraelitæ paſchata ſua in Ægypto, & feria quinta erat. Poſtridie, veſpera ſabbati*, (feria 6,) *profecti ſunt de Raamſes.* Vid. ibi cap. V. cum annot. Meyeri. Quam pulcre his diebus reſponderit hebdomas paſſionis Dominicæ, videbimus capite V. Nunc progredimur in annis ab Exitu ex Ægypto.

SECTIO VII.

DE ANNIS CCCCLXXX AB EXITV EX ÆGYPTO AD TEMPLVM, 1 REG. VI. 1, ET INDE AD MORTEM SALOMONIS.

1.

Ingens momentum habet locus palmarius, 1 Reg. VI. 1. ubi ab Exodo ad Templum ſumma 480 annorum ſcripta exſtat. * Sed planiſſimus hic locus, qui

* *Cum ſex primis capitibus 1 Regum ſequentia arcte cohærent, & cuncta ſimul procul dubio multo poſt ſtructuram templi conſcripta ſunt. Experdantur nomina menſium chaldaica* Ziv, & Bul c. VI. 1. 38. *itemque formula*, uſque ad hunc diem *c. VIII. 8. 13. IX. 21. X. 12. XII. 19.* Zeugnis p. 82.

qui plurimis dubitationibus medetur, adeo tentatur a ſedulis hominibus, ut 480 anni variis conatibus in numeros annorum multo majores diducantur. Nonnulli ipſam lectionem Hebraicam ſolicitant. Familiam ducit *Alphonſus Des-Vignoles*, qui non 480, ſed 648 annos olim hîc ſcriptos fuiſſe, ſumma ingenii eruditioniſque vi conatur evincere. Sed textus Hebraicus, cui palma debetur, & Targum, & aliæ verſiones antiquiſſimæ, ita ſibi conſtant, ut nil loci relinquatur ſuſpicioni ſphalmatis. Verba Hebræa diviſim exprimunt numerum, *in octoginta annis & quater centum annis.* Quod ſi in altero utro inciſo errati quidpiam irrepere potuiſſet, (quemadmodum LXX ἐν τῷ τεσσαρακοςῷ καὶ τετρακοσιοςῷ ἔτει habent, vel annis 440 ab ingreſſu in terram Canaan ſurrogatis, vel voce τεσσαρακοςῷ per alliterationem ad τετρακοσιοςῷ arrepta; quo certe ipſo ſummam annorum infra 500 annos ſubſiſtentem vehementer confirmant:) ipſa tamen annorum ſumma tot ac tantas ſubire mutationes non potuit. Neque argumenta ſubactiſſimi Senis ipſos 648 annos præciſe efficiunt: ſed, ex notis 480, 48 retinere ſategit; quanquam Hebræos iiſdem cifris centenarios, decadicos, monadicos numeros vel unquam, vel ante tot veterum interpretum tempora expreſſiſſe, nullo veſtigio conſtat. Aliorum ad hos 480 annos additamenta, ab annis 520 ad 653 excurrentia, recenſet Iac. Dornkrellius in libro, *Grundfeſte der Geſchicht - und Lehr - Bibel*, ubi de hac ipſa periodo a fol. 73 ad 112 copioſiſſime diſputat. Vnus Ioſephus 578. vel 610. vel 633 annos ſubſtituit: aliqui apud Nicephorum, 757. Apud Spanhemium neſcio quis epocham ab Exodo ad initium ſive Samuelis ſive Saulis protrahit ad annos 810.

2. Hebraica verba tuetur, ſed novam eorum ex accentibus conſtructionem molitur *L. Gottfr. Kohlreiffius*, notari exiſtimans annum 480, id eſt, 3480, mun-

mundi conditi : unde tempora V. T. ita digerit, ut ab Exodo ad Templum ſint anni, non 480, ſed 704. & nativitas Chriſti cadat in annum mundi 4509. In controverſiam cum eo venit non ſolum Alph. Des-Vignoles, ſed etiam G. C. Hoſmannus : neque me admixtum velim, ſed tamen aliquid dicere cogit veritas. Primum, *periculo non vacat, annos V. T nimium extendere*, (quod quidem hi omnes faciunt,) *hac mente præſertim, ut ea, quæ per teſtimonium propheticum adhuc futura ſunt, excludantur*, quo ſpeciatim Kohlreiffius tendit. Deinde, hoc loco epocha Exodi & 480 anni indivulſo nexu cohærent. Aperte memorantur in textu I anni 480. II res, a qua anni illi ducuntur. III annus 4 & menſis 2. IV regnum Salomonis, a quo annus 4 cum menſe 2 ducitur. coll. 2 Chron. III. 2. At Kohlreiffio textus habet I annum 480 cum ellipſi numeri millenarii & epochæ mundi conditi. II Exitum filiorum Iſrael ex Ægypto. III annum ſubjunctum, qui ſit, ſubauditis ſeptem centenariis, annus 4 ab exitu. IV menſem cœptæ ædificationis templi & regnum Salomonis, ſine anni mentione. Accentuum valor, quo præcipue nititur, æſtimari debet ex ipſo loco, in quo analogia hemiſtichii valde prolixi accentui ___°, vocem *Ægypti* afficienti, inter ___ᵖ & inter ___ᶜ vim diſtinctivam confert, rariorem illam quidem, ſed tamen ſat multis aliis obviam locis, ut 2 Reg. X. 19. Ier. XXXI. 40. Zach. VIII. 19. 2 Chron. XIII. 11. XXV. 4. &c. confer Gen. VIII. 22. Ezech. IV. 9. & adde, quod ___° eandem vim habet 2 Sam. XI. 1, quam ___ᵖ in loco parallelo, 1 Chron. XX. 1. * Mos ille,

* Tliſcham (*ſepoſitis* gedolae & ketannae *adjectivis*), *quæ* 1 *Reg.* VI. 1. *exſtat*, Dn. D. Chriſt. Frid. Bauer in der Einleit. zur hebr. accent. p. 28 — 38. *& præcipue* p. 49 — 51. *generatim majorem*

ille, * quo anni per ellipsin centenarii numeri, vel certe millenarii, notantur, habet commoditatem elegantiamque in privatis plane monumentis, vel in iis, quæ memoriam rei neque perpetuam neque late patentem desiderant; neque ipsa formula לפרט קטון *æræ brevius expressæ* temere omittitur: scripturæ vero sacræ documenta, quæ per omnes millenarios decurrunt, & ad omnes gentes pertinent, compendium illud non admittunt. Tum si Scriptura epocham mundi conditi & adhiberet, & subaudiendam alicubi relinqueret; eadem epocha hoc quoque loco, qui videlicet exitum ex Ægypto exprimit, vel eo certe loco expressa esset, ubi nova erat, ubi primum introducta est: quum eam Iudæi, pridem receptissimam, tamen plerumque, etiam in titulis librorum & sepulcrorum, expresse memorant. Neque hic locus, 1 Reg. VI. 1, ita patitur incisa sua distrahi,

---

agnoscit Pasero, *quin plus triplo majorem, atque inter hos* Gerescho & Tlischae alteri *suas assignat stationes. Quo ipso hic locus ejusque recepta interpretatio vindicatur, &* Kohlreiffiana *hypothesis atque accentuatio dissolvitur.* Ehrenr. p. 23. Sakeph 1 *Reg. VI.* 1. *super voce*, hascheheni, *facit ad concludendam parenthesin, inter verba*, in anno quarto — cum regnaret Salomo super Israel. Weltalt. p. 74. coll. 5 f.

In accentibus quid ego (*pluribus abhinc annis*) *elaboraverim, in* Dn. Rathlefs Geschicht jezt lebend. Gelehrten *videre est* Lib. III. p 433. *& judicium de hoc meo labore invenitur in* Ioh Christoph. Speidelii comm. de accent. p. 216. 225. A. 1720. Weltalt. p. 47.

* *Vsus formulæ* liphrat Katon *apud* Iudæos *neque constans, neque universalis, neque adeo antiquus est. cujus contrarium qui tuetur, demonstrare debet.* Zeugnis p. 103. coll. Weltalt. p. 13. *Ex* Maimonide *&* Abenesra *apud* Kohlreiffium, *quorum uterque demum*

hi, ut anni 480 sine re, & regnum Salomonis sine anno, * &, in medio harum partium, exitus ipse ante annum exitus (coll. Num. XXXIII. 38.) exprimi putetur. Denique quanquam hoc inventum ætates patriarcharum & periodos insequentes longe ultra ipsam literam sacram diducit, tamen annis 3480, quos mundo condito adscribit, defuerant 40 anni, nisi pro *exitu ex Ægypto* surrogaret ingressum in terram Canaan: id quod fieri non oportere, paulo post confirmabimus. Refutat Kohlreiffianam hypothesin etiam *L. Offerhusius*.

3. Quum terra distribueretur, exierunt *quasi anni* 450, de quibus Act. XIII. 19. 20 agitur: neque *Iudicum* illa est periodus, ut paulo ante ostendimus. Annis autem 480 ab Exodo ad Templum adeo nihil addi potest, ut satis habere debeamus, si obtineamus, eam periodum non fuisse breviorem. Namque Matth. I. ut Thamar & Ruth, sic inter eas Rachab tanquam ex libris V. T. cognita memoratur. Ea 40 annis post Exodum, capta Iericho urbe, adolescentula certe erat, prudentia non mediocri: & anno

mum post medium seculi XII. scripsit, colligitur, formulam hanc primum in designanda aera contractuum, *& postea demum in* epocha mundi *receptam usu fuisse.* Ehrenr. p. 76. *In formula* Iiphrat Katon *adjectivum* Katon, *ut existimare licet, demum apponi nonnunquam cœptum est, quum* perat *in sexto millennio parvum adhuc & infra centum esset.* Zeugnis p. 104. *Exemplum* æræ brevius expressæ *nullum tueri* Kohlreiffius *potest, quod non multo posterius esset* epocha mundi Iudaica *hodie usitata, quam* Iudæi, *annis regum* persarum *jam oblivioni traditis, atque procul dubio templo secundo dudum jam vastato, protulerunt.* Weltalt. p. 15. & 13.

* *Annus quartus cum regno* Salomonis *per præfixum* Lamed *in verbo* limloch *indissolubiliter connectitur.* Weltalt. p. 15.

74 post natum Davidem fundatum est Templum. Quod si 40 & 74 annos de 480 subtrahas, remanent 366, quorum spatium per Salomonem Rachabæ maritum, & per Boazum, Obedum, Iessæum, dum gignerent, non sine miraculi specie expletur, præsertim cum Salmon, filius Nahasson, aliquo certe intervallo ante captam urbem Iericho, & sine dubio ante natam Rachab, natus fuerit. Neque ullo modo licet dicere, generationes hic aliquas a Scriptura esse prætermissas. nam Matthæus in tesseradecade secunda & tertia generationes quasdam prætermittens, primam plane integram præsupponit: quia numerum illum, 14, ejusque per tres tesseradecadas æqualitatem, sola tesseradecas prima, proprie talis, sustentat. alias in qualibet periodo æque 15 vel plures, æque 13 vel pauciores generationes potuisset constituere. Plane congruit Matthæus cum Luc. III. 32. 33, & uterque Evangelista cum libello Ruth, cujus clausula genealogiam a Phares ad David recenset. Moses prosapiam suam & Aaronis tam curate ad Adam usque, Ezra suam ad Aaronem usque, describunt: at huic genealogiæ, cui uni reliquæ omnes in Scriptura, ut vehiculum, inserviunt, regali, Davidis, imo Messiæ, sunt hodie qui saltus admissos imputent, modo suas temporum extensiones sufsulciant. Optandum est, ut temeritatem suam agnoscant. Non parva res agitur. In toto, ab Abraham ad Salomonem, sunt generationes 15, qui numerus nil addi patitur annis 910 (sive 430 & 480) a vocatione Abrahami ad Templum, Salomonis opera fundatum. Omnis genealogia ab Abraham ad David, per omnes tribus, hoc confirmat. 1 Chron. I—IX.

4. Hæc cum ita sint, quæritur, quomodo cumulati annorum numeri, in libro maxime Iudicum, qui tot servitutes, tot annos quietos, tot judices refert, ad 480 redigantur? Vna præsto est regula, eaque pla-

planissima: *Sive servitus minorem & quies majorem, sive servitus majorem & judex minorem annorum habet numerum; minor numerus semper sub majori continetur, & major sine minori summam annorum 480, adeoque Lineam chronologicam, ingreditur.* Sic ipsa summa, ne monade quidem violata, resultabit.*

* *Numeros in libro Iudicum obvios certa complecti summa vix quisquam potuisset, nisi summa deinceps in historia Regum concepta fuisset. Indicium temporis longioris in Scriptura per se, uti brevioris, absque numeris minoribus, fide dignum est: atque ubi illud ex numeris annorum minoribus scripturariis confici nequit, ibi opera numeris minoribus non arbitrariis modo, sed vel verisimilibus impensa parum prodest; etenim in longiore quadam disceptatione ex principio quodam semel adscito reliqua facile repræsentantur probabili specie: ubi vero ex numeris minoribus* mere *scripturariis intervallum longius, uti inprimis hoc 480 annorum, nullo mutato, nullo invito, totum efficitur, ibi demum minores isti numeri sese comprobant, ut scias, cur præ aliis scripti exstent? id quod læto gratoque animo agnoscendum est.* Anhang, III. Abth. §. 7. nr. 7)

Dummodo 480 anni ab Exodo ad Templum cum omnibus Rabbinis, cumque omnibus christianis interpretibus, qui hebraicum textum nec violant nec detorquent, retineantur: non cardo rei in eo vertitur, utcunque isti 480 anni colligantur & summentur. Zeugnis p. 69.

5. Hinc tale exiſtit Diagramma:

		numeri secundarii, minores:	primarii:	
A.	Moſes, in deſerto, * ſuſtinet annos		40	Deut. I. 3.
B.	Caleb		5	Joſ. XIV. 7. 10.
C.	*Servitus* ſub Cuſchan riſchataim erat annorum	8		Iud. III. 8.
D.	Othniel: Quies		40	11.
E.	*Servitus* ſub Eglon	18		14.
F.	Ehud: Quies		80	30.
G.	*Venditio* ſub Iabin	20		IV. 3.
H.	Debora, Barak: Quies		40	V. 31.
I.	*Calamitas* ſub Midian	7		VI. 1.
K.	Gideon: Quies		40	VIII. 28.
L.	Abimelech rex		3	IX. 22.
M.	Thola		23	X. 2.
N.	Iair		22	3.
O.	Venditio ſub Ammonitas		18	8.
P.	Iephtha, *judex*	6**		XII. 7.
Q.	Ebzan		7	9.
R.	Elon		10	11.
S.	Abdon		8	14.
T.	Vis Philiſtæorum		40	XIII. 1.
V.	Simſon, *judex*	20		XV. 20. XVI. 31.
X.	Eli		40	1 Sam. IV. 18.
Y.	Arca in agro Philiſtæorum	7 *menſ.*		VI. 1.
Z.	Arca in Kirjathjearim.		20	VII. 2.
AA.	David, rex ***		40	1 Reg. II. 11.
BB.	Salomo, initio regni, cum parte anni	4.	3.	VI. 1.
	Summa ſecund. 79. primar. 480 anni			ibid.

* A. Annus exitus ex Ægypto 1 | Num X. 11. XIII. 21.
B. Ab emiſſione exploratorum ad diſtributionem terræ 45 | Joſ. XIV. 7. 10.

Anno

6. Hoc Diagramma ordine declarabimus.

A. Moſes in deſerto: 40 anni.

Vim loco illi 1 Reg. VI. 1 afferunt, qui annos 480 non ab *exitu ex Ægypto*, ſed ab ingreſſu in terram Canaan incipiunt: qui præcipuus eſt *Dion. Petavii* error in chronologia. Eum Pſalmus CXIV non juvat, ſed redarguit. nam cum exitu Iſraelis ex Ægypto *maris* fuga præ receſſu *Iordanis* conjungitur. Eadem eſt ratio loci Deut. IV. 46. nam Sichonem Moſes & Iſraelitæ percuſſerunt *in exitu ex Ægypto*, id eſt, *ante* introitum in terram Canaan. conf. Ioſ. V. 4. 5. Iud. XI. 13. 16. Epocha *exitus*, ſtricte ſumti, Le-

 gem

Anno plene elapſo poſt exitum ex Ægypto *exploratores emiſit* Moſes *Num. X. 11. XIII. 21. atque ab emiſſione, non ab exitu, numeravit* Caleb *ad diſtributionem terræ 45 annos Ioſ. XIV. 7. 10. Exitus fiebat A. 3217. P. I. exploratio A. 3218. diſtributio A. 3263, quæ eſt radix annorum Sabbaticorum: & ante hujus anni exitum cœpit agricultura, Ioſ. XIX. 51. ubi terram (ſecundum LXX. Interpr.)* aggreſſi ſunt *colere. A. 3269, 3270 primus extitit annorum Sabbaticorum, qui inde per 1512 (vel ſepties 216) annos uſque ad A. 4781, 4782. P. I.* Dion. *68, 69. præciſe excurrunt, & veræ chronologiæ magnum addunt pondus* Cycl. p. 20. §. 36. Weltalt. p. 99. 100. Anhang III. Abtheil. § 4 f.

** *Anni 18 ſervitutis ſub* Ammonitis *integri præcedunt victoriam* Iephthae, *qua* Iſrael *liberabatur: & victoriæ demum ſucceſſerunt 6 anni hujus* Iudicis, *ut qui antea exul erat.* Weltalt. p. 100.

*** David Hieroſolymis, *33 annos accipit*, Salomo *uſque ad templum 4 annos, quibus quod deceſſit, 7 menſibus arcæ in agro* Philiſtaeorum *penſatur* (itidem ſub primarios numeros ponendis) Weltalt. p 99. 101. *Per hoſce numeros, in Scriptura* expreſſos, *tabella quæ hic exſtat, ita corrigitur, ut maneat* ſumma annorum *ab Exodo ad Templum* 480. Cycl. p. 21. § 36.

gem in monte Sinai datam involvens, multo est celebratior, & in Psalmo illo expresse memoratur: atque notatio chronologica *exitus ex Ægypto* ita a *mensibus* ad *annos* progreditur, ut semper stricte sumatur. Ex. XVI. 1. XIX. 1. Num. I. 1. XXXIII. 38.

B. Caleb: 5 *anni.*
C. Servitus prima: 8 *anni.*
D. Othniel: Quies: 40 *anni.*

Annos tantummodo 5, inquis, *inter ingressum in terram Canaan & inter quietem primam interjectos fuisse, quis assentiatur? bellum amplissimum, distributio terræ, constantia populi etiam post Iosuæ mortem, defectio prima, servitus 8 annorum, & liberatio per Othnielem, in istas cogentur angustias?* Respondeo: Non hæc omnia 5 annis includuntur, sed magna ex parte in annos 40 subsequentes procurrunt. Rem distincte per aphorismos explicabimus.

I. Ab ingressu in terram Canaan ad distributionem terræ sunt anni 5.

1. Insigne fidei constantiæque exemplum præbuere Caleb & Iosua: magnus inde utriusque viri honor. Iosua factus est dux populi: Calebo singulatim promissa possessio terræ. Tota ætas Iosuæ, 110 annorum, memoratur: Calebi anni ad *Lineam chronologicam* adhibentur.

2. Iosua rem gerente, sol quievit & luna stetit. Ios. X. 12 seqq. De eo miraculo copiose differit Scheuchzerus in Bibliis æri incisis, T. III. p. 22. seqq. Nos unum notamus, prorogatione illius diei non mutatam esse rationem annorum & mensium. nam sol non stetit solus, quem unum appellat Siracides, cap. XLVI. 5, sed & sol & luna steterunt, coll. Hab. III. (IV) 11.

3. Caleb

3. Caleb, post 40 annos ab Exodo, annos 5 sustinet. Hoc ipsius docet oratio: *Filius 40 annorum eram, cum mitteret me Moses exploratum. — Et nunc, ecce vitam dedit Dominus mihi, sicut locutus est: hos 40 & 5 annos, ex quo locutus est Dominus verbum hoc ad Mosen; quum ivit Israël in deserto. Et nunc ecce ego hodie, filius 5 & 80 annorum.* Ios. XIV. 7. 10. Hæc verba inter Exitum ex Ægypto & inter annos libri Iudicum interserunt annos 5, quorum videbimus initium & finem.

4. Initium hæc dabit paraphrasis verborum Calebi: α *Filius 40 annorum eram, quum* β Israel, Ægypto relicta, in deserto versari cœpit: & γ anno interjecto, δ *Moses exploratum me misit*, deque terra mihi danda locutus est. *Et nunc sunt anni 45, ex quo locutus est;* vel potius, *ex quo Israel in deserto versari cœpit.* Concisus est versu 7 sermo Calebi: exprimit incisum α, ac subaudit β. &, subaudito γ, exprimit δ. Enimvero hanc ejus mentem esse, patet ex versu 10, ubi quum annos 45 cum promisso Mosis jungeret, continuo declarat, se annos ambulationis in deserto dicere, quæ declaratio totum sermonem cum epocha Exodi (id quod Iac. Kochius comm. in Dan. p. 112 censet,) connectit, perinde, uti anni 40 erroris in deserto non a tempore explorationis *, sed ab ipsa Exodo numerantur. Num. XIV. 33. Ambulatio in deserto, loquente Calebo, jam 5 abhinc annis finita erat: quare initium 45 annorum eo magis cum ambulatione in deserto conjungi debet. Annus explorationis est de 40, non de 5, & ad pentateuchi, non ad libri Iosuæ rationes pertinet. Primaria pars in sermone Calebi, pro scopo libri, sunt anni 45, & in his 5 novissimi; secundaria ætas Calebi.

5. Finis annorum 5 tum erat, quum Caleb verba hæc loqueretur, finito bello. Nam belli finis &

* conf. supra emendationem diagrammatis nr. 5 in not.

ante sermonem Calebi & item postea memoratur. Ios. XI. 23. XIV. 7. 10. 15.

6. Sunt igitur ab Exodo ad portionem terræ Calebo datam anni 45, & subtractis 40 annis in deserto, ab ingressu in terram ad distributionem ipsam, anni 5.

7. Hic *cardo* est chronologicus totius libri Iosuæ: neque aliam temporis notationem hic liber habet, cum Deuteronomio & cum libro Iudicum arcte cohærens. Etenim Pentateuchus per librum Iosuæ continuatur, & liber Iosuæ per librum Iudicum & libros Samuelis. Verbum ויהי & *factum est* quatuor hosce libros Mosi subjungit, neque aliter se habent libri Regum. Proprie vero committitur libro Iosuæ liber Iudicum per dimissionem populi, mortem Iosuæ, & constantiam populi, Ios. XXIV. 28 — 31. Iud. II. 6 — 10, quemadmodum libris Chronicorum liber Ezræ per edictum Cyri. Quare *uti 40 annos in deserto excipiunt hi 5 anni, ita 5 hos annos excipiunt continuo tempora in libro Iudicum* subsequentia, mox curatius a nobis explicanda.

8. Ipso distribuendæ terræ initio, Caleb, in primaria tribu Iuda excellens, imo cum Iosua duumvir senectutis in tanto populo, portionem sibi promissam postulavit, non ex perversa aviditate, sed ut exemplo fidei fortitudinisque suæ, adversus hostes robustissimos, denuo hortaretur populum. At Iosuæ, tota distributione peracta, data est urbs Thimnath Særach.

9. Obtigit Calebo Hebron anno mundi 2492, ac tum Tribus alia post aliam sortita est portionem suam. Is annus fuisset sabbaticus, si anni sabbatici jam tum in cursu fuissent. Sub autumnum, sementim primam fecerunt Israelitæ, ineunte anno mundi 2493, qui inde primus erat agriculturæ, apud priores certe tribus, quæ si exspectare necessum habuissent, dum

dum reliquæ omnes ſuam partem occupaſſent, diu exſpectandum fuiſſet. Iud. XVIII. 1.

II. *Perbrevi intervallo poſt terram diſtributam mortuus eſt Ioſua.*

Vixit Ioſua annos 110. Sub Exodum fuerat נער id eſt, non *puer*, ſed *minor natu*, ad Moſen, ad Aaronem 83 annorum, & ad Seniores collatus: Ex. XXXIII. 11. coll. cap. XXIV. 13. 14. quomodo viciſſim in ſubole populi ex Ægypto egreſſi, juvenes, ad juniores comparati, *ſenes* erant. Ioſ. VII. 6. &c. Sæpe vocabulum נער etiam *adultos* complectitur, *ſenibus* oppoſitos. Gen. XIX. 4. Deut. XXVIII. 50. Ioſ. VI. 21. Ieſ. XX. 4. LXV. 20. Pſ. XXXVII. 25. CIII. 5. CXLIIX. 12. 1 Chron. XII. 28. Neque quiſquam annos Ioſuæ poſt tranſitum Iordanis ita amplificare poteſt, ut tali declaratione vocabuli נער non egeat. Quum igitur terra diſtribueretur, Ioſua, præ Calebo, qui tamen eodem tempore annos 85 habebat, *ſenex erat & provectæ ætatis*: Ioſ. XIII. 1. XIV. 10. quibus ipſis verbis ſenectus Ioſuæ paulo ante mortem ipſius iterum deſcribitur. cap. XXIII. 1. 2. 14. Itaque *vacationem* nactus eſt divinitus, nec bellare poſthac, ſed *tantum* ſortiri juſſus, urgente ſenectute. cap. XIII. 1. 6. Tum Calebo & mox etiam Ioſuæ urbes ſuæ obtigerunt. c. XIV. 13. XIX. 50. Interjectis autem *multis*, non *annis*, ſed *diebus*, Ioſua noviſſima habuit comitia, & mortuus eſt. c. XXIII. 1. 14. Etenim Calebo potius, poſteriſque ejus, quam Ioſuæ, qui *domus* ſuæ, ſed non liberorum meminit, cap. XXIV. 15, promiſſa erat poſſeſſio terræ. Num. XIV. 24. Ioſ. XIV. 9. Per hæc omnia maximum Ioſuæ munus in perbreve tempus contrahitur: neque quicquam eſt, quod annum 110 Ioſuæ ultra annum 85 Calebi longe producat. Ipſius quidem Ioſuæ muneri Ioſephus annos 25 adſcribit, (annis Ioſuæ & Calebi, memoriæ, opinor, lapſu, con-

confusis: nam 85 & 25 sunt 110.) &, post Iosuæ mortem, anarchiam 10 annorum, &, πρὸς τούτοις, *insuper*, 8 annorum (servitutis videlicet primæ) invehit, lib. 6. ant. c. 6. quos ipsos numeros neoterici, pro arbitrio valde augent. Sed ab Adamo ad Mosen, ab Othniele ad Sedekiam omnes articuli *numeris* suis absoluti sunt: quare nullo modo credibile est, in historia sacra unum hiatum inter Mosen & Othniel, suppresso annorum numero, admitti. Ipsa annos huic intervallo explendo sufficientes exhibet, Ios. XIV. 10. Ab hoc autem loco, id quod diligentissime tenendum est, ad Iud. III. 8. 11 nullam annorum mentionem facit: neque nos ulla tempora, quæ in historia sacra definitis & expressis annorum numeris non includuntur, aliunde in *Lineam* Scripturæ *chronologicam* inculcare debemus. Hoc esset *DEI verbis addere*. *Lud. Cappellus*, post annum 85 Calebi, unum annum pro distributione terræ, ante primam servitutem ponit, quanquam hanc totam quieti præmittit: solum septennium, apud Vossium, imperio Iosuæ tribuit Massæus, Ger. Mercator, & Adrichomius. Sane seniores *diu superstites* fuere ipsi Iosuæ: Ios. XXIV. 31. Igitur Iosua, sub divisionem terræ, populo semel iterumque confirmato, defunctus est.

III. *Constantia populi, terram obtinentis, non diu fuit sine labe.*

Populi constantia usque ad obitum Iosuæ & seniorum non impedit, quo minus mox sub obitum illorum, uti post obitum Mosis ipsius, nonnullos paulatim defeciisse agnoscamus. Deut. XXXI. 16. 20. 21. 27. Ios. XXIV. 23. Iud. II. 23. Populus ex Ægypto egressus & vere laudatur, Hos. XI. 1. Ies. LXIII. 8. Ier. II. 2. 3. Ez. XVI. 13. & vere reprehenditur, Ez. XX. 8. &c. pro diverso respectu. Sic initio *habitationis* inter gentes, Iud, III. 5, nonnulli defecerunt, &

& calamitatem populo contraxerunt, salva reliquorum constantiæ laude.

IV. Servitus prima ceteris longe fuit levior.

Gradatim post Iosuæ mortem & culpa & pœna Israelitas invasit, non multo aliter atque sub Roboamo. 2 Chron. XII. 1 — 12. Prima servitutum erat sine clade populi, sine ulla urbium amissione, sub rege remoto, Mesopotamiæ: secunda, gravior, sub rege viciniore, Moabitarum: tertia sub rege plane finitimo, Cananæo. Prima item perbrevis erat, & paucos fortasse trans Iordanem, ubi mulieres & liberi duarum tribuum & dimidiæ prius consederant, & gentibus prius assueverant, corripuit. Ceteræ, diuturniores fere, & duriores erant. Sex in universum erant servitutes, & totidem liberationes. Memorantur enim in libro Iudicum

I. Cuschan rischathaim:	Othniel.
II. *Rex Moabitarum:*	Ehud:
III. Iabin & *Sisera*:	Debora & Barak.
IV. Midian:	Gideon sive *Ierubbaal.*
V. Rex Ammonitarum:	*Iephtha.*
VI. *Philistæi:*	Liberatio inchoata per Simson sive *Bedan* (Robustum.)

Supervenerat, Samuelis tempore, incursus *Philistæorum* novus, & liberatio per Samuelem, qui 1 Sam. XII. 9 seqq. præsentia copiosius, sed superiora illa summatim complexus, dixit: *DOMINVS patres vestros vendidit in manum Sisera & Philistæorum, & regis Moab: & misit Ierubbaal & Bedan, & Iephtha & Samuelem.* Hac oratione *semiduplici*, fere sub servitutibus judices, & servitutes sub judicibus concise connotavit: noviſſimam, sextam, & servitutem & liberationem, recentis tum memoriæ, dupliciter allegavit. Omnia ordine partim chronologico, quod ad

ad Siseram & Philistæos, ad Ierubbaal & Bedan, & ipsum Samuelem, attinet, partim geographico, quum & rex Moab & Iephtha trans Iordanem fuissent, enumeravit. Primam servitutem solam intactam reliquit. Neque enim *Bedanem*, quem Græci pro Barak (ברק & בדן affini pictura) sed Hebræi & Hillerus pro Simsone habent, pro Othniele quisquam habuerit. Quare prima servitus cum ceteris non est comparanda: ceteræ inter se comparantur.

V. Nil obstat, quo minus constantia populi remanente servitus prima incidisse existimetur.

Quæ summatim & indefinite memorantur v. gr. in libro Iudicum a cap. II. 6. ad cap. III. 4, ea non ita sunt exaggeranda, ut specialibus documentis quicquam derogetur. De his & illis scriptor sacer cogitavit simul: sic igitur contemperanda sunt, ut nulla sit pugna. Etiam post primam servitutem memoria operum DOMINI populum in officio retinuit. Secunda servitus generationem, fateor, multo jam deteriorem pulsavit.

VI. Distributionem terræ excepit Quies 200 *annorum, cum quibus anni servitutum interim & munera judicum confluunt.*

Periodi temporum a Mose ad Salomonem, supra (*in Diagrammate*,) sunt partim uniformes, partim complicatæ. Vniformes sunt *A B L M* &c. suis singulatim annis comprehensæ: complicatæ sunt, quæ (*uncis ibidem notatæ*,) & servitutes, & quietes, i. e. quietis partes, vel judicatûs, diversis, in quolibet servitutis & quietis sive judicis concursu, annorum numeris, complectuntur. In hisce complicatis periodis *minor* numerus (sic constans habet Regula nostra) sub *majori* continetur, *major*que sine *minori* ad summam 480 annorum aggregari debet. Ita C absorbe-

ſorbetur in D. E in F. G in H. I in K. & in his *minor* numerus eſt annorum *ſervitutis*, *major quietis*. At in O abſorbetur P. & in T abſorbetur V. ut, ſine *quiete*, *major* ſit numerus annorum *ſervitutis*; *minor*, judicis. Sic tota, ut ſperamus, difficultas, aliter inexplicabilis, firma ratione expeditur. Hoc loco eas periodos, in quibus ſervitus & quies complicatur, ſpectari oportet. *Perſæpe* in ſacris literis *tempus aliquod notatur, præciſe accipiendum; ſed conjunctim cum eventu aliquo partem duntaxat, ſpatii explente ita memoratur, ut eventus reliquum ſpatium explentes ex toto rerum nexu adſciſci debeant.* Quiſquis in diluvio dies 40 pluviæ non ſeorſum, ſed ſub diebus 150 aquæ prævalentis numerandos agnoſcit, non poteſt recuſare, quo minus anni ſervitutum ſub annis quietis, quocunque modo quietem accipiat, contineantur: nam prorſus par eſt ratio. Sed alia quoque exempla occurrunt. Daniel capite IX. 2. annos 70 monarchiæ Chaldæorum per *Ieremiam* prædictos, adſcribit vaſtitati urbis Ieruſalem aliquanto breviori. Quin etiam Iudith ἐγήρασεν ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἑκατὸν πέντε ἔτη, cap. XVI. 23. tota vita per 105 annos ſenectutis expreſſa. Eſt hæc ipſa *diaſtole* chronologica, tam frequens. Eadem in ipſis certe *ſervitutum* annis invenitur, quum iis tempora peccati pœnam antegreſſi ſubinde includuntur. Eoque modo annos ſervitutum ſub annis tranquillitatum comprehenſos dicere poſſemus: ſed magis propria ſuppetit ſolvendi ratio. Terra שקטה *quievit a bello*: bis dicitur Ioſ. XI. 23. XIV. 15. Eodem verbo ותשקט & *quievit terra*, quies in libro Iudicum, idque quater, cum *ſervitutum* deſcriptio varia ſit, notatur: unde non prorſus aliena apud Vulgatum gloſſa eſt cap. III. 30: & *quievit terra 80 annis a præliis*: & in Thargum, cap. V. 31: *quievitque terra Iſraelis* מלחבר קרבא *a bello gerendo, per 40 annos.* Hæc tantummodo differentia eſt, quod ſub Ioſua *a bello* terra requievit; deinceps, eadem *ſine*

bello

bello quievit: & quod Ioſuæ vacatio juſta erat, ſed populi deinde ceſſatio minus laudabilis. Quies ceteroqui non per *bella* diutina eſt interpellata, (uti deinde *bellicoſiſſima* regni, ejuſque poſt Salomonem diviſi, tempora fuere,) ſed brevioribus ſervitutum temporibus incurſus tantummodo hoſtium in populum, vel vindicum in hoſtes, ſubiti ut plurimum, intervenerunt. Quare univerſum tempus *judicum* ut beatum laudari ſolet. Ieſ. I. 26. Act. XIII. 20.* Horum enim tempore, bellum; regum tempore pax erat extraordinarium quiddam. Immo plane perpetua fuit Quies reſpectu eorum populorum, quorum terra data erat Iſraëli. Alii erant reges, Meſopotamiæ, Moab, Midian, qui Iſraëlem ſervitute premebant: unus Iabin, Cananæorum rex erat; ſed hic quoque marginem tangebat terræ Iſrael, ad ſeptentrionem, & Chaſor, regia ejus, erat ultra lacum Samochoniten, ut Ioſephus docet lib. 5. ant. c. 9. Igitur quies, per Ioſuam cœpta, permanebat, per 200 præcipue annos: atque hi anni, ſervitutibus & judicibus intercurrentibus, in annos ſubinde *quadragenos* diſtribuuntur. Quemadmodumque hiſtoria V. & N. T. per millenarios & centurias digeri ſolet, quanquam ipſi articuli rerum diverſa habent tempora; ſic quies terræ per annos 200 protracta in tractus annorum 40 dividitur, ut, quid in ſingulis tractibus factum ſit, commode referatur: & quidem uti

* *Quæ ratio* theocratiae *in populo* Iſraelis *fuerit, hic diſpaleſcit. primum* DEUS Iehova *hunc ſuum populum per* Moſen & Ioſuam *rexit. quibus defunctis diutina terræ quies obtinuit, ubi etiam Iudices non continua ſucceſſione judicabant, ſed populum per vices a preſſuris liberabant. Poſtea cum filii* Iſraelis *hæc otia non optime ferrent: continenter frena pati neceſſum habebant, ſiquidem nunquam ſine judice vel ſervitute fuerunt. Tandem adeo regem habere poſtularunt, qui ipſis per iram datus eſt.* Weltalt. p. 102. nr. 12. Ehrenr. p. 91. Anhang III. Abth. §. 7. nr. 1)

uti duo millenarii vel duæ centuriæ interdum conjunguntur, sic duo tractus quadragenorum annorum conjunguntur Iud. III. 30, nulla singulari mutatione incidente. Subsecuta sunt graviora tempora, (de quibus mox,) sub Philistæis potissimum, donec Philistæi quoque, novissimi eorum, qui tempore Iosuæ remanserant, Iud. II. 23. III. 3, per Samuelem, & per Davidem, qui etiam Iebusæos Hierosolymis expulit, ad incitas redacti sunt. Tum subacta est terra. 1 Chron. XXII. 18.

VII. Annos Calebi quinque continuo excipiunt anni 40, qui Othnielem habent.

Perspiciet hoc, quisquis expenderit, quæ hactenus de Iosua non longis post terram distributam intervallis mortuo, de nexu libri Iosuæ & libri Iudicum, de notatione temporum concatenata, in duobus præsertim hisce libris, & de continua 200 annorum quiete diximus. Quam diu Iosua post annum 85 ætatis Calebi vixerit, quantum spatii fuerit a fine belli ad peractam distributionem terræ, & a morte Iosuæ ad peccatum Israelitarum, ad vim regis Mesopotamiæ, ad liberationem per Othnielem, non necessum habemus quærere. Anno illo 85 ætatis Calebi quievit terra *actu* a bello: & tum cœperunt 40 anni, in quorum initium, medium, finem, cadit ipse ejusdem quietis *status*, tota distributio terræ, &, ex intervallo, mors Iosuæ, peccatum populi, servitus 8 annorum, liberatio per Othnielem. Non modo finis, sed etiam initium servitutis est post initium 40 annorum quietis: & anni 40 quietis tam sero in textu ponuntur, quatenus eorum exitum excepit obitus Othnielis & nova servitus sub Eglon &c. Annos 40 illos, qui cum Othnielis munere conjunguntur, ab ipso Mosis obitu inchoant Tostatus, Lyranus, Ribera, & alii, teste Vossio. Hi in defectu, ut

ceteri fere in excessu, errant. Anni 5, quos Caleb sustinet, interjacent.

F. *Ehud:* *Quies:* 80 *anni.*
H. *Debora, Barak:* *Quies;* 40 *anni.* *

Post Ehud vindicavit Israelem etiam Samgar: cujus tempus non brevissimum fuit, quanquam neque ipse judicem egisse dicitur, neque anni ejus notantur. c. III. 31. V. 6. Itaque continetur in annis c. III. 30. V. 31. notatis. Quo ipso patet, annos quietis ampliores fuisse, quam tempora horum judicum.

I. *Calamitas sub Midian:* 7 *anni.*
K. *Gideon:* *Quies;* 40 *anni.*

Singularis est locutio, *Et quievit terra 40 annos, in diebus Gideon:* Iud. VIII. 28. quibus verbis docemur, hos 40 annos non exisse ante mortem Gideonis. Non dirimuntur 7 anni servitutis a 40 annis quietis, sed 1) hi 40 anni quietis distinguuntur a proximis totidem præcedentibus, quum per brevitatem servitutis facile cum iis confundi, &, ut 20 anni Simsonis bis notantur, sic 40 anni quietis bis notati videri possent. 2) Triennium, quod post mortem Gideonis Abimelech filius ejus regnavit, ab his 40 annis distinctum declaratur. 3) Varia ratio temporum, quæ liber Iudicum recenset, egregie exprimitur. Initio erat quies illa continua, 200 annorum, in quibus quatuor erant servitutes non nisi 53 annorum coajunctim, & judices non nisi necessitatis tempore excitati, Othniel, Ehud, Debora (ea enim, non Barak, Israelem judicavit,) & Gideon, per quos tamen

* *Liberatio a tertia servitute insigni cantico præsertim celebrabatur: adeoque hæc servitus ipsa sub* Cananitis *finitimis, & tempus post eam bonum eo majoris eras momenti.* Anhang III. Abth. §. 10. nr. 3) obs. (3)

tamen ipsos primi cujusque temporis maxima erat libertas. Othniel mortuus est post initium 40 annorum quietis primæ: ideo sub 40 annos mors ejus memoratur: sed tamen obiit ante finem annorum. nam a nativitate Caleb ad initium 40 annorum erant anni 85, & ipsis 40 annis additis in summa erant 125 anni, ante quorum exitum non mirum est Othnielem, cujus patruus fuerat Caleb, obiisse: ac nisi tum obiisset, terra diceretur potius quievisse in diebus Othnielis, uti quievit in diebus Gideonis. De morte ac de diebus Ehud ac Deboræ nil refertur. Gideonis denique dies cum 40 annis quietis quartæ copulantur, quippe qui ad finem 40 annorum pertigerunt. At ab eo tempore, cum Gideon surrexit, minore populus libertate gavisus notatur. Mox etiam graviorem ejus videbimus conditionem.

L. *Abimelech rex.* 3 *anni.*

Hoc trienni regnandi conatu factus est transitus a quiete diutina ad severiora tempora. Reliquus enim Iudicum liber nullos quietis annos refert, sed annos judicum, eosque continuos, præterquam ubi eos longiorum servitutum anni interrumpunt. Crescenti populi defectioni durior paulatim conditio respondebat.

M. *Thola: anni* 23.

Post Abimelechum surrexit Thola. Iud. X. 1. Particula *post* uniformes fere periodos connectit. v. 3. c. XII. 8. 11. 13.

O. *Venditio sub Ammonitas: anni* 18.
P. *Iephtha, judex: anni* 6.

1. Non 18 annorum, sed *unius* anni hanc oppressionem, eumque ab epocha jubilæi annum 18 fuisse, censet D. Hofmannus in chronol. sacra, p. 18. 75. 84. Parenthesin esse, docent accentus: *& vendidit eos in*

manum Philiſtæorum & in manum filiorum Ammon; (& attriverunt & conquaſſarunt filios Iſrael anno illo:) octodecim annos omnes filios Iſrael trans Iordanem &c. Iud. X. 7. 8. Talis parentheſis 2 Chron. XXXVI. 21. *Anno illo*, refertur ad actum venditionis, quem ſtatus ſervitutis ad *annos 18* eſt ſubſecutus.

2. Nervum chronologicum præbent, quæ Iephtha per legatos regi Ammonitarum ſummatim repoſuit: *Sedit Iſrael in Heſbon 300 annos.* Iud. XI. 26. Qui annos ſervitutum ſeorſum annumerant, ii coguntur ab Heſbon occupata ad initium judicis Iephtha, non 300, ſed minimum 325 annos putare: ſed amotis ſervitutum annis omnia recte procedunt. Ab Exodo, cujus epocham allegarat Ammonita, ad initium 6 annorum Iephtha, adeoque ad annum 13 ſervitutis, erant anni 306: ab ipſa occupatione Heſbon, anni 266. In medio ſunt 300 anni, rotundo numero. Iephthæ reſponſum hoſti datum huc recidit: Quum Iſraelitæ regionem hanc plus 300 annos, ut tua fert oratio, revera quidem propemodum 300 annos poſſederunt: cur non tum eam vindicaſti? Annos illos 300 numerat Kohlreiffius ab anno 1 Ehud, Iud. III. 15. coll. cap. X. 11. Atqui princeps preſſuræ illius, non Ammonitarum, ſed Moabitarum rex fuerat, 1 Sam. XII. 9, neque ea ſervitus interpellarat habitationem Iſraelitarum in Heſbon: neque Iſraelitæ tum eam recuperare neceſſe habuerant; neque rex Ammonitarum ullam ejus rei ad Iephtham mentionem fecit.

T. Vis Philiſtæorum: anni 40.
V. Simſon: anni 20.

Lineam chronologicam hiſtoria ſacra nuſquam non ſepſit, opportuniſſimis cautionibus, ubi in devia abituri eramus, adhibitis. Iud. VIII. 28. XVIII. 30. XX. 28. 1 Sam. VII. 2. 2 Reg. XIV. 17. Talem cautionem

nem hic quoque locus habet, ubi Simſon *in diebus Philiſtæorum* 20 annos Iſraelem judicaſſe dicitur, antequam in extremis ejus ſimpliciter dicitur, *judicavit Iſraëlem 20 annos.* Iud. XV. 20. XVI. 31. Itaque ſub annis 40 ſervitutis Philiſtææ continentur 20 anni Simſonis: & illorum initium longo intervallo fuit ante horum initium.* Poſt Simſonis obitum novos impetus fecere Philiſtæi: unde Simſon dicitur *cœpiſſe* Iſraelem liberare. Iud. XIII. 5.

X. Eli: *anni* 40.
Y. Arca in agro Philiſtæorum: *menſes* 7.
Z. Arca in Kirjathjearim: *anni* 20.

Notatio *temporum* inter Eli & David eleganter neque a Samuele judice, neque a Saul rege, mox rejecto, ſumitur, mixto tum regimine populi Iſrael. Annos non commode dabat *Samuel.* nam Prophetam agere cœpit ante mortem Eli, & poſtea judicem ille quidem egit, ſed, interjecto Sauli regno, ante regnum Davidis obiit.

* *Meæ libri Iudicum interpretationi patrocinantur*, Lutherus *T. IV. Ien. Lat. f. 716. ſeqq.* Melanchthon, *in Chron. Carion p. 44.* Selneccerus, *in Annot. ad Act. p. 193.* Bucholcerus, *Ind. chron. p. 8.* Calviſius, *in Iſag. chron. c. 39.* Friedlieb, *Theol. Exeg. V. T. fol. 459.* Cluverus, *in computo chronol. epocha 4.* Hainlinus *in Sole temp. & in Elencho chronol. fol. 104.* Behm. *manuduct. chron. fol. 49. ſeq.* Iac. Dornkrell, *in tabula chron. & paſſim in der hiſtoriſchen Zeit- und Geſchichtbibel.* Calov. *in chronico biblico, fol. 87.* Strauchius *lib. IV.* Brev. *chron. c. 13. q. 6. Hos anteceſſores nominatim citavi im* Zeugnis p. 72. *nuncque inſuper ipſa in eorum ſcriptis loca allegavi, quibus ipſos idem mecum ſentire pateſcit.* Ehrenr. p. 26.

Saul post mortem Eli, sene Samuele, factus est rex:* neque annos ab initio regni ad mortem ejus indiscriminatim notare voluit historia sacra, quanquam ei modo *biennium* videtur assignari, modo *40 anni*. Locus memorabilis est 1 Sam. XIII. 1: *Filius anni erat Saul, cum rex fieret: & 2 annos regem egit super Israel.* Tali sermonis forma ætates regum & annos regnorum deinceps constanter describit historia sacra: atque ita hoc loco annus 2 regni Saul non ut annus militiæ constituendæ, v. 2. sed ut finis regiæ dignitatis ponitur: ætas autem Sauli, *anno* includitur, qui non magis denotat aut *primum* annum in aliquo mundi conditi seculo, aut *primum* a jubilæo, (quorum ille Kohlreiffio, hic Hofmanno placet,) quam ceterorum regum ætates ad ejusmodi epochas alliguntur.

* Saul 1 *Sam. IX.* 2. *pro hebr. dicitur* bachur vatob, *robustus & pulcher. Versiones antiquæ habent, græca*, bene magnus & vir bonus, *latina*, electus & bonus. *quod quidem non convenit viro grandævo, nec vero etiam senerum adhuc juvenem indicat. Nostra ætatis humanæ divisione siquis vel* juvenis *vel* senex *dicitur: apud hebræos tribus gradibus vocatur vel* naar, *vel* bachur, *vel* Zaken: Thren. V. 13. 14. Eccl. XII. 1. *adeoque* bachur *versatur fere inter 20 & 60 annos. Cum 300000* isch bachur *cæderentur* 2 *Chron. XIII.* 17. *multi eorum viri fuerint maturæ ætatis. Quare* Saul, *quum nondum in medio esset inter 30 & 60 annos, facile dici* bachur *potuit, præcipue respectu senis* Samuelis *65 annos nati. Hic dixit*, ego consenui, & canui 1 *Sam. XII.* 2. *ad quem locum* R. Salomo ben Melech *ex* Mischna *hæc citat verba:* 60 annorum vir senex, 70 canus. *Exstincto* Saulo, David *erat 30 annorum,* Isboseth *40. hi 40 anni* Isbosethi ætatem Sauli satis longam *efficiunt, prout etiam reliqui liberi* Sauli, *cum rex fieret, jam adulti fuerunt: ac 30 anni* Davidis, *qui tunc, cum* Saul *rex bimus rejiceretur, vir erat, annos* regni Sauli valde coarctant. *Quapropter vox* bachur *de ætate* Sauli, *cum ungeretur, tam provecta, quam potest, accipi debet.* Weltalt. p. 110.

tur. Vtrumque hemistichium esse mendosum, nefas cogitare: alterum alteri & respondet & robur ac lucem affert. *Biennium* non explet spatia inter unctionem & mortem Sauli: 1 Sam. XV. 34 — XXVII. 7. neque idem in extremo, sed primo Sauli regnantis tempore quæri debet, & liquido invenitur.* Mox post expeditionem Amalekiticam dixit Saulo Samuel: *Abscidit DOMINVS regnum Israel abs te HODIE:* neque eum posthac adiit. 1 Sam. XV. 28. 35. Cum *biennio* regni congruit ætas *annua* Sauli, regnum nacti, de qua Ionathan in Targum & Lyranus in Glossa conferri possunt. Non merus historicus, sed historicus propheta, ex sensu spirituali pragmatico loquitur, & paradoxam in Saulo notationem ætatis cum paradoxa annorum regni notatione contemperat. Non humanam, sed regalem ætatem Sauli notare voluit historia sacra. Ceteri reges totius populi Israel, vel tribûs Iuda, aut ipsi regales erant homines, ut David, Salomo, alii; aut certe ex Davide orti, cui DOMINVS perennem dedit lucernam. 2 Chron. XXI. 7. Sed primus rex Israelitis a Deo datus singulari distinguitur initio ætatis, quæ tum cœperit, quum *aliud cor ei versum*, ipse *alius homo factus est*, 1 Sam. X. 6. 9, ut, quamvis parentibus privatis ortus, regni tamen esset capax. Vno anno cœpit esse homo regalis:

* *Biennio illo omnia bene acta regia comprehenduntur, quæ 1 Sam. X. 26. 27. XI. 6 — 15. XIII. 4. XIV. 47. 48. recensentur. Cum vero voci DOMINI in bello contra* Amalekitas *non obediret: rejiciebatur.* Samuel *lugebat illum, huic vero solenni de rege luctui, qui proinde non triginta dies (coll. Deut. XXXIV. 8) durabat, detrahere & sine longiore mora* Davidem *in regem ungere debuit. Tunc* Saul *amotus &* David *erectus fuit Act. XIII. 22. coll. 1 Sam. XIII. 14. Itaque biennium, quo* Saul *regnabat, & 40 anni Act. XIII. 21. unum eundemque habent terminum.* Anhang III. Abth. §. 7. nr. 4)

lis: & post biennium desiit esse rex. Hanc interpretationem, qui meliorem habet, postponat, licet: nemini eam obtrudo; in chronologia Saul bimus rex nil mutat. Reliquos Sauli regem agentis annos non memorat *Historia* sacra; quemadmodumque ea non Athaliæ usurpatrici, sed Ioaso occultato 6 annos adscribit, 2 Reg. XI. 3. 2 Chron. XXII. 12. sic Saulum, rejectum, ex serie annorum removet, ipsa *biennii* duntaxat mentione significans, intervallum inter mortem Eli & Sauli alio modo notari. Nec tamen *Davidi* paulo post uncto annos regni ante obitum Sauli adscribi cernimus: nec rursum, ut ipsos *40 annos* Saulum regnasse dicamus, ullo modo fert historia sacra. Hæc enim testatur, Arcam *20 annos sedisse in Kiriathiearim.* I. Sam. VII. 2. Ipso 20 annorum initio gesta sunt, quæ ibi v. 3 — 13 referuntur. neque alius 20 annorum terminus est, atque mors Sauli, cujus totum regnum 20 annis illis includi, ex eo patet, quod nulla Sauli diebus ratio Arcæ fuit habita, 1 Chron. XIII. 3, eaque in Davidis usque tempora in Kiriathjearim mansit. Annos autem 40 Paulus Act. XIII. 20. 21. *regi Saul*, per *diastolen*, ita adscribit, ut sub iisdem comprehendatur *Samuel propheta*, post unctionem Sauli, & ante regnum Sauli, & ante mortem Eli judicis. *

Quid

* Saulo *intereunte*, David *nonnisi 30 annos natus erat, qui tamen jam* vir belli *vocatus est*, *1 Sam. XVI. 18. cum primum* Saul *Spiritu malo agitaretur*, *necdum odium adversus* Davidem *concepisset. 40 igitur anni Act. XIII. 21. multo ante initium regni* Sauli *cœperunt*, *nec verba*, DEVM *populo*, *regem petenti*, DEDISSE Saulum, *40 annos*, *in regem cadunt biennio post rejectum. Supereſt*, *ut 40 hos annos a munere* Samuelis prophetico *incipiamus*, *& in rejectione* Sauli *finiamus.* Anhang III. Abth. §. 7. nr. 4)

Mens

Quid ergo est? Pro continuanda *Linea chronologica*, spatium inter *annos* Eli & inter *annos* Davidis, explent *menses 7*, quos arca Domini fuit in agro Philistæorum, & iidem *20 anni*, quos Arca *sedit in Kiriathjearim.* *

Mens Pauli *Act. XIII. 20. 21. hæc est:* Samuel propheta suo fungebatur officio: (*quod latet in vocula* κἀκεῖθεν) populus petebat regem: DEVS dabat ipsis Saulum. hæc omnia facta sunt in 40 annis. Weltalt. p. 109.

Samuel *judicabat* Israelem; *sed officium ipsius propheticum plus erat, quam munus Iudicis, immo quam munus Regis, & prope aa officium* Mosis *propheticum accessit. Officium Iudicis post mortem* Eli, *sed prophetæ multo ante incipit.* Zeugnis p. 74.

* *Divisio 20 annorum sequens a præcisa veritate non multum abludet:*

	anni	*menses*	
a. Samuel *solus*	(8 fere)		
b. Sauli *ætas regalis:*	1		1 *Sam XIII. 1.*
c. Sauli *regnum:*	2		1 *Sam. XIII. 1.*
d. Saulus *rejectus:* David *in angustiis:*		(2 vel 3)	
e. *Mox post* Samuelis *obitum*, David *in terra* Philistæorum	1,	4.	1 *Sam. XXVII. 7.*
f. David in Hebron:	7,	6.	2 *Sam. V. 5.*

Summa hc *præbet 3 annos, &* ef *8 annos, 10 menses: pro lit.* a *fere 8 anni remanent, pro lit.* d *vero pauci aliquot menses, quibus 20 anni explentur. A morte igitur* Eli *& adventu arcæ in* Kiriathjearim, *vel ab ineunte officio judicis* Samuelis *usque ad ejusdem obitum, sunt anni 11—12. atque ab initio regni* Sauli *ad ipsius mortem circiter* $3\frac{1}{2}$ *anni, in quibus multa continuo celeriter evenerunt, atque ea propter sine ulteriori indicio temporis perscripta sunt.* Anhang III. Abth. §. 7. nr. 3) Weitalt. p. 108.

Quum

Septem illi menſes ab annis præcedentibus & ſubſequentibus diſtincti ſunt, neque negligi debent, quanquam *Lineam chronologicam* ab Adamo ad Ioſiam nulli alii menſes ingrediuntur. Rediit arca ex agro Philiſtæorum in meſſe triticea. 1 Sam. VI. 13. Quare limites annorum, quos inde ab Abrahamo ver habuerat (*Sect. VI. A. M. 2046. n. 7.* & infra Sect. VIII. A. M. 3382.), iterum in ulteriorem anni partem protruduntur, & quidem in æſtatem, hoc loco, & in menſem 8 in Salomone. 1 Reg. VI. 38.

Dehinc omnia, Samuel, Iſraelem judicans, & Saul, regem agens, ſine alio annorum indicio in eos 20 annos conferuntur, donec eos nova *annorum* notatio, ineunte regno David, terminat, perinde uti 40 anni ſervitutis ſub Philiſtæis nullum alium terminum habent, atque initium annorum Eli. Hieroſolymitani, non Hebronenſis regni initio, Arcam ex Kiriathiearim adduxit David: 2 Sam. VI. 3. ſed tamen

---

Quum David 7 *annos* Hebrone *regnaſſet: inter mortem* Eli & Sauli *mortem 13 anni ſuperſunt. Clare eum hoc conſentit Seder olam cap. 13. ſub initium ejus & ſub medium.* Zeugnis p. 75. *Lamentatio filiorum* Iſrael 1 *Sam. VII. 2. quæ indicium 20 annorum continuo excipit, per accentus initio 20 annorum aut in fine eorum eveniſſe poteſt. Initio autem factam eſſe,* 1) *Hemphaticum docet* in Hajiamim, *quod ad manſionem arcæ in* Kiriathjearim *refertur.* 2) *quod deinde non dicitur,* in anno viceſimo, *coll. Iud. XIV. 17. 1 Reg. XX. 29. Eſth. IV. 16. V. 1. ſed denuo,* & lamentabantur filii Iſraelis poſt DOMINVM. 3) *totus eventus 1 Sam. VII. immo integra* Samuelis, Sauli & Davidis *hiſtoria.* Samuel *utique in iſtis comitiis* Mizpæ *munus ſuum ut Iudex v. 6. coll. v. 13. 15. non demum poſt, ſed certo ante hos 20 annos incepit, nec munus Iudicis integros 20 annos poſt* Eli *mortem vacare ſivit, ſiquidem poſt tempus* Gideonis *populus ſine freno manere non debuit* Ehrenr. p. 86. Anhang III. Abth. §. 7. n. 3)

men 20 annos Arcæ in Kiriathiearim totos poni ante 40 annos Davidis, firmo cognoscitur argumento. Eli judicavit Israelem annos 40, & arca fuit in agro Philistæorum, menses 7. in Kiriathiearim, annos 20. Summa, 60 anni, 7 menses. Intra id spatium & natus est * Samuel & post Samuelis mortem periit Saul, cui David successit. Decedit vero de summa, ante natum Samuelem, annus fere, 1 Sam. I. 20. post Samuelem mortuum, historia 1 Sam. XXV & XXVI. & annus 1, menses 4. cap. XXVII. 7. Ergo Samuel non vixit ultra annos 58½.

Quum

---

* Eli *judicavit* Israelem *annos 40 : sed multo ante & Ipse & ipsius quoque filii sacerdotes fuerunt 1 Sam. I. 3. IV. 15. 18. Circa annum ætatis* Eli *41. nec* citius Samuelis *nativitas poni potest, propterea quod jam ante natum* Samuelem *filii* Eli *sacerdotes fuerunt; nec* serius *quoque illa poni potest, in quo quidem erratum erat, quod initium muneris* Iudicis Eli *nativitate* Samuelis *anterius ac proinde Samuelis ætatem 1 Sam. VIII. 1. infra 56. annos fuisse statuebam. Namque is multo major natu erat, quam* Saul, *1 Sam. VIII. 1. IX. 2. &* Saul *certe circa 60 annos vixit 2 Sam. II. 10. nec multo ante mortem* Sauli Samuel *obiit 1 Sam. XXV. 1. XXVII. 7. Itaque* Samuel *plures annos, quam* Saul *vixisse & ante 40. annos judicis* Eli *natus esse debet.* Weltalt. p. 106.

Anni 20 arcæ in Kiriathjearim *nonnisi tunc suum habent terminum, quum ex* Kiriathjearim Hierosolymam *adducebatur 1 Chron. XIV. 5. 40 anni regis* Davidis *non sine caussa tam accurate in 7 & 33 dividuntur. Vbi 20 anni, quos arca in* Kiriathjearim *fuit, desinunt, ibi anni 33* Hierosolymis *incipiunt. Considerentur duo loca 1 Sam. VII. 2. 2 Sam. V. 5. & adde, quod hi duo libri olim unus fuerint.* Davidem, *expugnata urbe* Hierosolyma, *id primum egisse, ut arcam eo adduceret, colligere licet ex 1 Chron. XIV. 1. XV. 1. 3. 8. XVI. 3. Quæ 2 Sam. VI. 3. cum v. 12. connectuntur, ea 1 Chron. XIV — XVI. referuntur ordine chronologico.* Weltalt. p. 107.

Quum autem *senectus* ei adscribitur capite VIII. v. 1. de annis 58½ rursum decedit annus unus, cap. XIII. 1. & anni 2. ibid. & quæ triennium illud præceſſere, cap. VIII — XII. & quæ ſecuta ſunt, cap. XVI — XXIV. His quoque ſubtractis, remanent tamen anni 50 & aliquot amplius, ut *ſenis* nomen Samuel obtineat. Sed ſi ſubtrahas etiam annos 7, menſes 6 Davidis in Hebron, & initium regni in Ieruſalem, anni aliquot de annis 50 decedunt, & *ſenis* nomen Samueli adimitur. Quare 20 anni illi deſinunt, ubi 40 anni David incipiunt, quanquam tota manſio Arcæ in Kiriathiearim diuturnior fuit. Sæpe notatur unum tempus totum indefinite, & pars ejus inſignior definite. Deut. XXXI. 10. 1 Pet. III. 20. atque ita ſe habet locus ille 1 Sam. VII. 2: *& factum eſt, a die, cum ſedit Arca in Kiriathiearim, & multiplicati ſunt dies, & facti ſunt 20 anni. multiplicati ſunt dies*, in genere, dum ea tranſactis 27 annis tranſferretur Hieroſolymam: *&* ſpeciatim *facti ſunt 20 anni*, uſque ad obitum Sauli, arcam non curantis, quem excipiunt *anni* Davidis regis, arcam requirentis. Hac de cauſa *20 anni* memorantur ante ipſum Sauli regnum, non demum in hiſtoria arcæ Hieroſolymam translatæ. Anni 20 Arcæ ſurrogantur annis prætermiſſis, partim Samuelis, qui pro eo honeſte dicitur *Iſraelem judicaſſe omnes dies vitæ ſuæ*, partim Sauli, regis, rejecti: at de expreſſis 40 annis Davidis nullus excluditur. *

Toto

---

* Samuel & Saul *eo includuntur tempore, quod a nativitate* Eli *uſque dum arca fœderis ex* Kiriathjearim *adducebatur, effluxit: quod intervallum ſequenti tabella ſic* fere *proponi idque ſatis tuto poteſt.*

A. 1. Eli *naſcitur.*

circa A. 19. 20. Hophni & Pinehas *naſcuntur.*

40 *uterque ad ſacerdotium admittitur.* 1 *Sam I. 3.*

41 Sa-

Toto 20 annorum tempore vixit Abinadab, vel certe filii ejus, duo treſve. Vnus arcæ cuſtos, *Eleazar*, idem videtur fuiſſe, atque *Vza* (uti poſtea *Azaria* rex idem, qui *Vzia)* qui ex nimia familiaritate arcam tetigit, & percuſſus eſt: alter tertiuſve, *Achio.*

An-

---

41. Samuel *naſcitur.* 20.
44. Siluntem *deducitur.* 24.
48. *Miniſter* DOMINI *fit. Filii* Eli *mali, adhuc juvenes.* II. 11, 12, 17.
52. Saul *naſcitur.*
58. Samuel *miniſtrat coram* DOMINO, *& magnus fit.* 18. 21.
58. Eli Iudex, *40 annos* (IV. 18.)
68. Eli *grandævus* : Samuel *proficit* : Eli *coarguitur* : *etiam per* Samuelem, *cujus juventus hic ultima vice memoratur, illi denunciatur pœna.* 22. 26, 29. III. 1, 12.
70. Samuel *nunc magnus, & fidus propheta.* 19. 20.
71. Iſboſeth, Sauli *filius, naſcitur.*
81. David, Iſai *filius, naſcitur.*
98. Hophni & Pinehas *cadunt. arca aufertur.* Eli 98 *annorum, lapſu occumbit, poſtquam* Iſraelem *40 annos judicavit* IV. 11. 15, 18.
99. *Arca in* Kiriathjearim *20 annos.* 1 Sam. VII. 2.
106. Samuel *ætate provectus* : *populus de ipſius filiis queritur, & regem poſcit.* Saul *ungitur & alius homo fit.* VIII. 1, 5. X. 1, 9.
107. *Sequenti anno* Saul *fit rex* : *regnat biennium.* XIII. 1 (hebr.)

109.

AA. David: anni 40.

Annos 7 & menſes 6 regnavit in Hebron; annos 33, minus fortaſſe completos, in Ieruſalem: 2 Sam. V. 5. Enim vero 1 Reg. II. 11. 1 Chron. XXIX. 27. menſes 6 omittuntur: & tribus his peræque locis ſumma fit annorum 40, ſine 6 menſibus.

BB. Salomo, initio regni: anni 3, cum parte anni 4.

Quum templi ædificandi initium fieret, completus erat annus 480 ab Exodo; ſed annus 4 regni Salomonis inchoatus. nam non illius, ſed hujus mentioni innectitur menſis, iſque ſecundus: neque numerum v. gr. 480 annorum mutat menſis ille 2 exitum annorum proxime ſubſequens. Similis locus, Ier. I. 3 de anno 11 Sedekiæ & menſe 5.

Ioſephus Salomonem annos 80 regnaſſe ſcribit: ſed primum ea opinio aperte adverſatur hiſtoriæ ſacræ,

---

109. Saul *rejicitur*, Samuel *luctum debet abrumpere*. David *ungitur & perſecutione premitur*. *XV. 26. XVI. 1. 13. XVIII. 9.*

110. Samuel *moritur, cum 40 annos prophetæ munus geſſiſſet*. David *1 annum & 4 menſes in terra* Philiſtæorum *verſatur*. *XXV. 1. XXVII. 7.*

111. Saul *cadit. Filius ejus* Isboſeth *40 annorum, rex fit*. David *30 annorum rex fit*: Hebrone *habitat 7 annos, 6 menſes*. *XXXI. 6. 2 Sam. II. 10. 11. V. 4.*

119. David *occupat* Hieroſolymam, *& arcam ex* Kiriathjearim *adducit* Hieroſolymam. *V. 6. VI. 2.*

Weltalt. p. 104 f.

eræ, 1 Reg. XI. 42. 2 Chron. IX. 30. deinde annos regum Iuda & Iſrael, collatis annis regum Tyriorum, quos infra ex ipſo Ioſepho notabimus, ita diducit, ut Ithobali filiam, Iezabel, non poſſit Achabi conjugem agnoſcere. Neque annos 40 regni Salomonis impedit ætas Roboami. *Corroboratus is eſt in regno, QVIA 41 annorum erat, cum rex fieret*, uti ſcriptor ſacer docet, quanquam Abia Roboamum excuſat, tanquam *juvenem*, teneroque corde, qui juvenum, non ſenum, conſilio fuerat uſus, &, patre ad ſenectutem regnante, parum calluerat. 2 Chron. XII. 13. XIII. 7. Ducere porro potuit Salomo uxorem *Ammonitidem*, converſam fortaſſe, & Roboamum ex ea ſuſcipere, antequam regnare inciperet. Mirum tale matrimonium fuit, ſed tamen contrahi potuit, quamvis plures Ammonitidas ſenex demum Salomo duxit.

Annus fundati templi erat annus 1016 ante æram chriſtianam, A. M. 2927. Itaque ab anno 17 regni Salomonis, id eſt, ab A. M. 2940 ad 3940 ipſi *1000 anni* fuere, dum *Ieſum* parentes, impletis diebus purificationis, in templum introduxerunt, 3 annis ante æram communem. Atque ita reliqui 23 anni Salomonis, interjectis *mille annis*, paralleli ſunt cum 23 annis ætatis IESV Chriſti, (cujus typus erat,) qui interim, annorum *12*, in templo repertus eſt. Luc. II. 42. 46. Idem Salomo *miſeriam* hominis opulenti & opum uſu excidentis ita deſcribit: *etiamſi vivat mille annos BIS, bonum non videt.* Eccl. VI. 6. *Mille* anni, proverbio, longum tempus notant: cur *BIS* addit Salomo? Hebraiſmus, quæ amplificat, *duplicare* ſolet: ſed præterea non indignum ſapientia regis hujus fuerit, ætatem Meſſiæ, *mille* poſt ſeſe annis futuram, in tali elencho tranſilire, & *beatitudinem* ætatis illius, Luc. X. 24. XI. 31 celebratam, a contrario per ænigma innuere. Judicent ſapientes.

SECTIO

SECTIO VIII.

DE ANNIS A SCISSO REGNO AD IECHONIAM, EVMQVE CVSTODIA LIBERATVM.

A. M. 2963.

Hic incipit schisma regni, inter Roboam & Ieroboam sciſſi, copioſiorem requirens ſermonem.

1. Ad continuandam quidem *Lineam chronologicam* ſufficiunt anni regum, qui in *Verbis dierum*, ſic enim libros *Chronicorum* appellant Hebræi, recenſentur. Hoc ipſo titulo chronologicum ii libri ſcopum indicant, ita, ut ex Moſe & prophetis prioribus annos, nominibus, ab Adam ad David, adjiciendos, præſupponant. Deinde ibidem, a Davide ad Sedekiam, anni regum Iuda, ſeorſum ab annis regum Iſrael, percenſentur, &, quaſi nulla regum Iſrael memoria eſſet, conſerendi & in ſummam conſolidandi veniunt. Quare in canone chronologico hebraico ad annos regum Iuda, cum annis regum Iſrael currentes, loca libri alterius Chronicorum, in quem incidit Roboam cum poſteris, notavimus. Præclare pro annis ejusmodi *conſertis* militant, quæ Des-Vignoles t. I. p. 230. 231, de veritate annorum ſine menſibus & diebus in Scriptura & in catalogis regum priſcorum, diſſerit. Sed collatis *Regum* libris iidem anni eo ſunt firmiores, quod eorum annorum numeri in utriſque libris, & in eorum textu Hebræo, & apud LXX interpretes, & apud Ioſephum, plane iidem ſunt. *

Multa

---

* *Ab annis regum* Iudæ, *quorum numeri non ſolum in libris regum cum regibus* Iſraelis *complicati, ſed etiam in libris chronicorum, ſeorſum ab annis regum* Iſrael, *ordine continuo* ſcripti *exſtant, atque* in utriſque libris plane iidem ſunt, *nihil quicquam me dimoveto. Sufficiunt iſti ad lineam chronologicam hujus temporis vid.* Klemmii *Antiſcripturarius noviſſimus rejectus* p. 8 Zeugnis p. 147.

Multa libri Regum habent, quæ non exſtant in libris Chronicorum, & vice verſa: ergo annos non illi ab his, non hi ab illis ſumere neceſſum habuerunt: eoque plus ponderis conſenſio inter utroſque habet. Poſtremo ut apud Iudices & Patriarchas, ſic apud Reges, anni ad annos ſimpliciter addi debent, neque hinc inde pro incompletis ſumi: in quo præter cetera illud conſiderandum eſt, quod libri Iudicum & Regum cum aliis uno titulo *prophetarum priorum* comprehenſi, ut unum ſcopum, ſic unam methodum in annis ad unam *ſummam* redigendis habent.

2. Veruntamen annorum, quos regnarunt reges Iuda, collatio cum aliis annis propinquis, qui in hac Scripturæ parte exſtant, fructu non carebit. Nullius regis Iſrael commemoratur ætas; quorundam etiam regum Iuda ætas reticetur: ſed anni, quos regnarunt, curate notantur. Horum ergo præcipuum eſt momentum, ad chronologiam videlicet.

3. Hiſtoria *Regum* in antiquis codicibus unus eſt liber, quanquam in duos libros, eoſque æquales, vulgo dividitur, in Achazia, filio Achabi. Fas ergo chronologis fuit, biſidam ſeriem regum Iuda & Iſrael ita in duas periodos dividere, ut limites eſſent in Ioram & Achazia, uno tempore per Iehu interfectis. Vtramque periodum per Tabellam, ſæpius deinceps reſpiciendam, repræſentamus.

PERIODVS I.

Reges Iuda: Reges Israël:

A N N I

1 Reg.	absoluti & cardinales:		respectivi & ordinales:		absoluti & cardinales:	1 Reg.
XIV. 21.	*A.* Roboam	17			22. *B.* Ieroboam	XIV. 20.
XV. 2	*C.* Abia	3	18			XV. 1.
10	*D.* Asa	41	20			9.
25				2	2. *E.* Nadab	25.
33				3	24. *F.* Baesa	33.
XVI. 8				26	2. *G.* Ela	XVI. 8.
10				27	o. *H.* Zimri (7 d.)	15.
15. 16. 23				(27) 31 *	12. *I.* Omri	16. 23.
29				38 (39)	22. *K.* Achab	29.
XXII. 42	*L.* Iosaphat	25	4			XXII. 41.
52				17. (20)	2. *M.* Achazia	52.
2 Reg. III. 1				18 (22)	12. *N.* Ioram	2 Reg. III 1.
VIII. 17	*O.* Ioram	8	5			VIII. 16.
26	*P.* Achazia	1	12			25.

4. Continet hæc tabella sex columellas, lineis distinctas, quarum prima & sexta libros Regum citant. secunda habet reges *Iuda subjunctos*que annos, quos ipsi singulatim *regnarunt;* quinta habet reges *Israel*, *præmissos*que annos, quos ipsi singulatim *regnarunt:* successiones in ambobus regnis notantur ordine per literas *A* — *P.* tertia columella refert initia regum *Iuda* per annos regum Israel: quarta, refert initia regum *Israel* per annos regum Iuda, eosque *historicos* plerumque, interdum vero *methodicos*, postea explicandos, quibus vel asteriscus *, vel numerus alius in parenthesi, qui planior videatur, adjicitur. Annos cardinales columellæ secundæ & quintæ dicimus annos *absolutos*. annos ordinales columellæ tertiæ & quartæ dicimus annos *respectivos*. Itaque anni sunt I. regum Iuda vel regum Israel. II. absoluti vel respectivi. III. historici vel methodici. *

ci. * Has distinctiones qui menti infixerit, rem facile percipiet.

5. Primo aspectu anni absoluti & respectivi regum Iuda & Israel multis modis inter se pugnare videntur: sed affulget conciliandi spes bona. Expendantur, quæ dicemus.

6. Ipse textus, isque solus, veram tractandi sui rationem affert. Nullam aliam regulam præstruimus nobis, nullam inde exceptionem facturi: *observationem* tantummodo instituemus eorum, quæ in textu sunt; & quod doctrinæ in iis continetur, colligemus.

7. Anni regum Iuda regumque Israel, qui simul regnarunt, non solum per se commemorantur, sed etiam singulari prorsus & admirabili ratione connectuntur invicem.

8. Vbicunque regis alicujus regnum ultra 6 menses extenditur, anni sine mensium dierumque appendice ponuntur.

9. Anni regum Israel, iique cum regibus Iuda colligati, notabilem habent anomaliam: anni regum Iuda, iique cum regibus Israel colligati, multo sunt expeditiores.

10. Si reges Israel & anni eorum seorsum describendi fuissent, uti reges Iuda & anni eorum seorsum in libris Chronicorum describuntur, non dubium est, quin illorum descriptio aliquanto alia futura fuerit, atque est horum descriptio cum annis suis. Nunc horum descriptio, quæ est in libris Chronicorum, eadem est in libris Regum: sed illorum descriptio ad annos regum Iuda est accommodata. Ergo *anni*

* *Distinctio inter* annos biblicos & chronologicos *apud* Petavium, Vsserium, Strauchium, *ubi differentia sæpe plus quam unius anni est, eadem est cum distinctione inter* annos historicos & methodicos, Ehrenr. p. 94.

regum Iuda sunt norma & sui & annorum regum Israel. *

11. Etenim anni regum Israel exspirant in vastatione Samariæ, ac præcipuus eorum usus est, annis regum Iuda subsidium præstare: sed anni regum Iuda porriguntur usque ad migrationem Babylonicam, & ipsam ingrediuntur *Lineam chronologicam.*

12. Tota historiæ compages docet, eo consilio coagmentatam esse utramque regum seriem, ut veram quandam annorum consertorum *summam*, præcipue in regibus Iuda, quanquam in regibus Israel, usque ad Samariam captam, non possunt non totidem & innui & esse revera, exhiberet.

13. Vbi tempora subinde singulatim notantur, valde usitati sunt anni incompleti in historia, etiam sacra: sed ubi id agitur, ut articuli plures in *summam* quandam chronologicam colligantur, anni mere incompleti omnia turbant & luxant, nec nisi anni homogenei & æquabiles locum habent. Nam v. gr. anni 2 incompleti & 3 anni incompleti non efficiunt 4 annos consertos, sed possunt 4 annos & 10 menses, vel 3 annos & 2 menses efficere: at 2 & 3 anni conserti sunt 5. Itaque historia sacra annos regum Iuda & Israel ita coagmentatos refert, ut completi ab incompletis liquido discernantur, & anni absoluti regum Iuda conserti remaneant.

14. Illa

---

* *Qui numeri, in annis REGVM* Iuda *singulorum, in libris regum cum annis regum* Israel *connexi exstant,* iidem, *missa illa connexione, seorsum, omnes in libris chronicorum ponuntur; id quod indicio est, hosce numeros nequaquam ad istam connexionem accommodatos neque adeo demum ad illam exigendos esse. Neque connexio tanti est momenti, quanti summa horum annorum ipsa, adeo ut hæc multo gravior sit habenda, quam illa.* Ehrenr. p. 91. 92.

14. Illa annorum ſumma diſcitur ulterius, perſpecta ſcriptoris ſacri *methodo*. * Eaque methodus eſt nativa, ſimplex, priſcæ gravitati conſentanea; neque ad *artem* canonum citeriorum exigi debet, ubi nonnulli initia & fines annorum cum annis civilibus colligant. Ea lege v. gr. in notiſſimo canone, qui *Ptolemæi* dicitur, ſinguli principum anni non niſi ſingulis annis Nabonaſſareis reſpondent. At in libris ſacris v. gr. unus annus Ezekiæ reſpondet duobus annis Hoſeæ, & inde primus tertio, & tamen ſextus nono. Canones illi per principes ſingulatim decurrunt: at libri Regum reges Iuda & Iſrael colligant, & hæc colligatio ſolutiores ceteroqui annos poſtulat.

15. Hæc methodus & reges Iuda atque Iſrael ſingulatim notat: & articulos, quibus aliquot reges continentur, ſubinde determinat, divortia inter annos regum Iuda & Iſrael ad *æqualitatem* redigens: & ipſam inde ſummam accurate conſolidat. Minorum partium curam non abjicit: ſed tamen veritati majorum partium, ipſiuſque ſummæ, multo plus tribuit.

16. Idcirco per ſyſtolen illam & diaſtolen, de qua ſæpe diximus, ita partes minores majoreſque recenſet, ut cum interdum a veritate abire videatur, nunquam tamen abeat. Quod *hiſtoricum* eſt, & quod *methodicum* eſt, ita inter ſe contemperantur, ut omnes partes ſe invicem compenſent, in ordinem redigant, & in ordine contineant; ſimulque internoſci facile poſſunt.

* *De certa quadam Scriptorum ſacrorum* methodo *in ord. Temp. egi: & quoniam in ea* continua quædam analogia *apparet, ad hanc uſque horam retractare illam non poſſum. Eandem hanc methodum adhibet* Lutherus *in Ioramo & Ahaſia* Tom. IV. Ien. Lat. f. 733. cum Hieronymo & Lyrano. Zeugnis p. 21.

17. Neque solum *annos* memorat hæc methodus, sed etiam *numeros* ipsos ratione quadam technica & quasi masoretica notat, ut nil dubitationis erroris-ve nasci possit.

18. Noli putare, Lector, commentum hoc esse, idque recens. Redeunt huc cogitata interpretum præcipuorum, Iudæorum & Christianorum, atque hinc amplius comprobantur, v. gr. in anno 35 & 36 regni Asæ, pro 25 & 26. in annis 42 ætatis Achaziæ, pro 22. in annis ætatis 8 Iojachin, pro 18. 2 Chron. XV. 19. XVI. 1. XXII. 2. XXXVI. 9. Vid. Meyer. ad Seder olam p. 822. 920. 922. Quas ego difficultates * parcius attingo, ne inbecilliorum lectorum assensum in rebus gravioribus frangam. Quæcunque vera earum est solutio, *Linea chronologica*, recta progrediens, nulla ex parte mutatur.

19. Nunc ibimus per singulos reges, & per annos, quos regnarunt, eo temporis ordine, qui in Tabella per literas *A* — *P* designatur. Non potero non obscurus videri, in re tam valde implicita: sed qui patienter meditatus fuerit, operæ pretium, ut spero, feret, &, rem facilius explicari vix posse, testabitur.

A.

---

* *Epochæ secundariæ a nonnullis noviter excogitatæ plus obsunt; quam prosunt.* Weltalt. p. 118. *quo non omnium ejusmodi epocharum usus negatur, sed* noviter *modo* excogitatarum l. c. *Etiam in iis epochis secundariis, quæ aliquam merentur attentionem, cautione opus est, atque in difficultatibus e. gr. in anno 35 & 36 regni* Asæ, *& in anno 42 ætatis* Achaziæ (*annus 20* Iothami *adeo difficilis non est*) *a determinata significatione verborum textus non est recedendum.* Ehrenr. p. 162 & 163. conf. infra ad A. M. 3356. obs. XII. ad Ezech. IV. in not. *Præstat difficultates non resolvere, quam iis inferre vim.* Ehrenr. p. 26

A. *Roboam.*

Regnavit annos 17 longiores. nam ei Abia anno demum 18 Ieroboami, quem etiam post Roboam vi debimus regnare cœpisse, successit.

B. *Ieroboam.*

Salomoni successit Roboam: a Roboamo populus, duce Ieroboamo, defecit. Ieroboami quidem regnum anno uno ante mortem Salomonis incipit Alph. Des-Vignoles tomo I. chronol. p. 284. Sed obstat oraculum evidens Salomoni datum, *In diebus tuis non faciam &c.* 1 Reg. XI. 12. 34. 35. Prædictio regni per prophetam non facit initium regni: ne Davidis quidem regnum, rejecto Saulo, annorum numerum ante mortem Sauli orditur; neque ab Ozia, leproso, ad Iotham, regni vicarium, annorum quicquam transfertur. Vir eximius per *regulam* suam *GENERALEM & FVNDAMENTALEM de annis regum Iuda & Israel semper aut fere semper incompletis* in eas se conjecit angustias, ut non posset non sæpe cancellos, quos ponit Scriptura, migrare. Methodus in libris Regum adhibita non magis fert annos incompletos, quam canon Thrasylli & similes. Eaque regula v. gr. 2 annos postremos Ieroboami, & 2 annos Nadab & primum annum Baesa, conjunctim, in *duos* tantummodo annos vertentes coarctavit. Vnum Ieroboami regnum, veræ suæ longitudini restitutum, colligationem annorum apud reges Iuda & Israel, ut eam Des-Vignoles concinnavit, dissolvit ac retexit. Recte dixeris, paulo *serius* cœpisse Ieroboami regnum, quam Roboami, qui continuo successit Salomoni. Vide & expende 1 Reg. XI. 43. XII. 3. 12. 20. 2 Chron. XIII. 7. Itaque annos 22 Ieroboami incompletos fuisse, arbitramur.

C. *Abia.*

Triennium Abia ex anno 18 Ieroboam in annum 20 ejusdem pertigit, ita ut etiam Asa anno 20 Ie-

roboam regnare inciperet. erat ergo incompletum. Ex his jam exemplis duobus, Roboam & Abia, patet, singulorum regum Iuda annos esse modo longiores, modo breviores, adeoque, conjunctim, *consertos*,

D. *Asa.*

Asa regnavit annos 41, quos in *Omri* videbimus.

E. *Nadab.*

Regnavit annos 2, ex anno 2 in annum 3 Asæ. *Omnes anni, quibus reges Israelis Scriptura regnasse docet, ab annis regum Davidis sunt desumpti, adeo ut si quis regnaret in fine anni unius regum domus Davidis & initio sequentis anni, diceretur regnasse biennium.* Ioh. Meyer ad Seder olam, p. 844. 845. ex Abarbenel.

F. *Baësa.*

Regnavit annos 24, ex anno 3 in annum 26 Asæ.

G. *Ela.*

Regnavit annos 2, ex anno 26 in annum 27 Asæ.

H. *Zimri.*

In eundem annum 27 Asæ cadunt 7 dies Zimri: & initio horum dierum rex est factus Omri. Thibni, æmulo regni, ne dies quidem adscribuntur, quanquam annos 4 statuunt Rabbini, Zeltnerus sex: itaque nulla ejus in chronologia ratio duci, sed Omri eo accuratius debet considerari.

I. *Omri.*

Regnavit Omri in universum annos 12 incompletos, a diebus Zimri ad annum 38 Asæ: & tamen horum 12 annorum initium ducitur etiam ab anno 31 Asæ, additurque, *6 annos* regnasse Omri in Thirza, qua ex urbe sedem regni transtulit Samariam.

Hîc incidit regnum *Asæ*. Obtinet, Asa regnante, Ieroboam annos 2. Nadab 2. Baesa 24. Ela 2. Omri 12.

tum

tum Achab 3. in summa, 45. At Asa ipse, 41. Differentia, 4 annorum. De annis 45, aliquot regum, *quatuor* anni, bis numerati, semel decedunt: remanent igitur 41. Atque hos *quatuor* annos eleganter insinuat textus, quum unum idemque initium regni Omri cum anno Asæ 27, & (additis 4) cum anno Asæ 31 conjungit. Annus 27, *annos* ipsos; annus 31, masoretica quadam ratione, *numeros* annorum indicat. Enimvero utrumque indicium summam annorum nobis consolidat. Collige *numeros* annorum ab ipso schismate regni ad annum 31 Asæ, & ad annum 1 Omri: habes 51. Collige annos *historicos* ab eodem schismate ad annum 27 Asæ, & ad annum 1 Omri: habes 47. Redit differentia 4 annorum. Ergo annus 31 Asæ ponitur *methodice*, annus 27 *historice*.

Reliqui anni absoluti, & ab anno 27 Asæ, & ab anno 1 Omri, utrinque sunt 48. Id cum difficultatis nihil haberet, ab eodem loco anni respectivi (in columella quarta) sine incommodo *methodice* potuerunt exprimi, ita quidem, ut ab annis *historicis*, in parenthesi notatis, quos *numeri* annorum regum Israel absoluti cum reliqua compage important, abirent, & quidem in singulos reges longius. Ponuntur enim 38, pro 39. 17 pro 20. 18 pro 22. Nempe ut in Asa pro 27 mox 31 anni, sic in Iosaphato pro 22 vicissim 18 ponuntur, *quatuor* utrinque annorum differentia, & hanc analogiam sequuntur intermedii, 38 & 17.

K. *Achab.*

Regnavit annos 22, cum Asa 3, cum Iosaphato 19.

L. *Iosaphat.*

Regnavit annos 25. cum Achabo, 19. cum Achazia 2. cum Ioram 4.

(*Cognomines erant reges Iuda & Israel*, Ioram, Achazia, Ioas. *ex his regem* Iuda *nobis denotat* α, *regem* Israel β.)

Ante mortem Iosaphat in cœlum sublatus est Elias. nam tempore Iosaphat florere cœpit Elisa. 2 Reg. III. 11.

M. *Achazia β.*

Regnavit annos 2. ex anno 17 in annum 18 Iosaphati. Ipsum biennium, incompletum, est *historicum:* sed numerum anni 18, ex quo numerus 17 pendet, *methodicum* esse vidimus.

N. *Ioram β.*

Huic duplex adscribitur initium regni, ab anno 18 Iosaphat, quem jam spectavimus, & ab anno 2 Iorami α. 2 Reg. I. 17. Ab exeunte anno 18 Iosaphati *historice* sumto ad finem regni Ioram sunt anni 16. & ab ineunte anno 2 Iorami α *historice* sumto ad eundem finem regni Ioram β sunt anni 8. Regnavit autem vere Ioram β annos 12, & quidem cum Iosaphato annos 3. cum Ioramo α, 8. cum Achazia α, 1. & annus Iorami β 11 & 12 respondet anno *uni* Achaziæ α. Numerus annorum 12 *historicorum* medius est inter 16 & 8, & duos hosce extremos numeros *methodice* poni docet.

O. *Ioram α.*

Regnavit annos 8 ab anno 5 ad 12 Iorami β. & 8 illi anni initium habent ab obitu Iosaphat. Id initium tam sæpe, tam firmiter cum obitu Iosaphat, cujus loco tum rex factus sit, conjungitur, ut omnis suspicio de societate regni paterni excludatur. 1 Reg. XXII. 51. 2 Reg. VIII. 16. 17. 2 Chron. XXI. 5. 20. Locus 2 Reg. VIII. 16: *Et in anno 5 Ioram filii Achab regis Israel, & Iosaphat rege Iuda, regnavit Ioram filius Iosaphat, rex Iuda:* nos non urget. Incisum illud hebraicum, *& Iosaphat rege Iuda*, hoc unum infert, eo anno, qui erat quintus Iorami β. & quo ineunte vel etiam procedente Iosaphatus etiamnum vixerit ac regnarit, regnare cœpisse Ioramum Iosaphati filium.

lium. Locutioque, *Ioſaphat rege Iuda*, emphaſin habet, cum vi excluſiva, coll. 2 Reg. IV. 13. *habito in populo meo*, nil quærens in curia. Iſ. VII. 8. 9. *filius Remalia caput Samariæ*, ac non Hieroſolymorum &c. Sic, *Ioſaphat rex Iuda*, i. e. extremo ſuo tempore ſuum ſibi regnum habebat, nil jam cum regibus Iſrael eſſe ſibi cupiens. 1 Reg. XXII. 50. quo pacto magis redarguitur Iorami, filii, ambulatio in via regum Iſrael. Certe hæc mentio Ioſaphati nullam temporis notationem ſecum trahit, nullam annis Ioſaphat & Ioram mutationem apportat.

P. *Achazia* α.

Regnavit *annum*. Primum dicitur regnare cœpiſſe anno 12 Iorami β. deinde anno 11. 2 Reg. VIII. 25. IX. 29.

In *Linea chronologica* omnes regum anni ita ſunt diſtincti, ut v. gr. anni 4 non poſſint eſſe ultimi de 25 annis Ioſaphat & ſimul primi de 8 annis Ioram. Sed, extra lineam chronologicam, anno 11 Iorami β pro Ioramo α miſerrime ægrotante videri poſſet filius Achazias α regium munus ſuſtinuiſſe, & idem *huic* mortuo ſucceſſiſſe anno *illius* 12. Veruntamen ne Oziæ quidem annos Iothamo videbimus adſcribi. Simpliciter igitur anni 11 & 12 Iorami β per diaſtolen & ſyſtolen componuntur. Vide c. II. Sect. III. ad A. M. 130. n. 4.

20. Quæ cum ita ſint, tota ſumma primæ hujus periodi, ut ſupra in annis regum Iuda ſimpliciter collectis, ita hîc in annis regum Iuda & Iſrael collatis etiam atque etiam eſt, 95.

21. PE-

21. PERIODVS II sic se habet:

Reges Iuda:		Reges Israel:			
		ANNI			
	proprii & cardinales;	mutui & ordinales:	proprii & cardinales:		2 Reg.
2 Reg. XI.	*B.* Ioas occultatus, 6		28. *A.* Iehu		X. 36.
3					
XII. 1	*C.* Ioas rex 40	7			XII. 1.
XIII. 1		23	17. *D.* Ioachaz		XIII. 1.
10		37*	16. *E.* Ioas		10.
XIV. 2	*F.* Amasia 29	2			XIV. 1.
23		15	41* *G.* Ieroboam II.		23.
XV. 2	*H.* Azaria 52	27*			XV. 1.
8		38	0. *I.* Zacharia (6 m.)		8.
13		39	0. *K.* Sallum (1 m)		13.
17		39	10. *L.* Menachem		17.
23		50	2. *M.* Pekachia		23.
27		52	20. *N.* Pækach		27.
33	*O.* Iotham 16	2			32.
XVI. 2	*P.* Achaz 16	17			XVI. 1.
XVII. 1		12	9. *Q.* Hosea		XVII. 1.
XVIII. 2. 10	*R.* Ezekia 29: at hîc 6	3			XVIII. 1.

22. Hæc Tabella eandem cum superiore rationem habet: ex ea autem perspicimus, hujus periodi structuram paulo aliam esse atque superioris.

23. Hîc, in summa, apud Reges Iuda sunt anni 165. sed apud reges Israel, anni 143, menses 7. Differentia est annorum 21, mens. 5. quæ cujusmodi sit, videamus, temporis iterum ordine, qui in Tabella per litteras *A* — *R* designatur.

A. *Iehu.*

Iehu Regnum Israel obtinuit annos 28. & quidem 6, latente Ioas α. & 22, regnante eodem. unde anno demum 23 ejusdem regnare cœpit Ioachaz.

B. *Ioas α occultatus.*

In regno Iuda 6 anni non Athaliæ, sed Ioaso occultato adscribuntur, per euphemismum, quemadmodum

modum annos Arcæ in Kiriathiearim annis regni Saul subſtituit *Linea chronologica*. Anni illi 6 ſunt longiores: nam anno 7 Iehu rex factus eſt Ioas.

C. *Ioas α, rex.*

Regnavit ultra annos 40: cum Iehu, 22. cum Ioachaz, 17. & ad annum 2 Ioas β.

D. *Ioachaz.*

Ioachazo tribuuntur anni 17 & Ioaſo β anni 16. Hi ſunt conjunctim anni 33, quorum 18 concurrerunt cum Ioaſo α. & 15 cum Amaſia, ab anno 23 illius ad annum 15 hujus. Sed quia Ioas β jam *anno* Ioaſi α 37 (cui *annus* 39 ſurrogatur apud Aldum,) regnare cœpiſſe dicitur, patet, extrema regni Ioachaz & prima regni Ioas β, neſcio quomodo, inter ſe commiſceri. In annum illum 37 credibile eſt incidiſſe ſalutem illam, de qua 2 Reg. XIII. 5. & in ea re magni fuiſſe operam Ioaſi β ante obitum patris. conf. ibidem v. 14 ſeqq. & cap. XIV, 27.

E. *Ioas β.*

Hujus annos modo expendimus.

F. *Amaſia.*

Regnavit annos 29. ita quidem, ut anno ejus 15 ſucceſſerit Ioaſo β Ieroboam, & ipſe Ioaſo β ſuperſtes fuerit 15 annos.

G. *Ieroboam II.*

De hoc rege aphoriſmos aliquot proponimus.

I. *Ab initio regni Ieroboam ad initium regni Zachariæ, filii Ieroboam, ſunt anni* 53.

Regnavit Ieroboam cum Amaſia annos 15, qui anni *curate* notantur 2 Reg. XIV. 17. 23. & anno demum 38 Azariæ ſive Oziæ ſucceſſit Ieroboamo filius Zacharias, ita quidem, ut huic, 6 menſes regni potito, Sallum ſucceſſerit demum anno Oziæ 39. Sunt in ſumma anni 53, incompleti.

II. Ie-

II. Ieroboami vita & regnum pertigit ad initium regni Zachariæ.

Nulla throni vacuitas, certe non diutina, inter Ieroboamum & Zachariam cogitari potest. Iosias *octo*, Ioas *α sex* annorum, regno admoti sunt: finge Zachariam posthumum; non tamen aut *ipsos 12 annos*, de quibus mox, a regno is prohibitus, aut tam longum intervallum in historia tam accurata prætermissum fuisset. Imo cum continua successione congruit sessio in throno Israel Iehu regi ad abnepotem usque singulariter promissa. 2 Reg. X. 30. XV. 12.

III. Pro annis 53 regni Ieroboam historia sacra ponit annos 41.

Anni 41 exstant 2 Reg. XIV. 23, eosque pro 53 poni, patet ex utroque aphorismo superiore. Itaque *12 anni* detrahuntur.

IV. Anni 12, annis Ieroboam absolutis detracti, compensantur per 12 annos annis ejus respectivis additos.

Amasias cum Ieroboamo regnavit annos 15, adeoque Amasiæ mortuo successit Ozias, de quo mox, anno 15 Ieroboami. Neque tamen initium regni Oziæ cum anno 15, sed cum anno 27 Ieroboami conjungit historia sacra, *12 annis* adjectis. Hæc totidem annorum in unius regis annis detractio & additio, non casu, sed consilio facta est, *methodi* utique causa. Specialem causam, cur primum annos 41 Ieroboami pro 53, deinde annum 27 Ieroboami pro 15 posuerit historia sacra, ignoro: re quidem vera & illos & hunc * sita posuit, & annus 27 vel potius

* illos, *scilicet 41 non 53*, & hanc, *scilicet 27.* vid. ante, §. III. *Etiam in numeris annorum respectivorum ego nihil nec* mini-

mum

potius 41 Ieroboami valde insignis fuerit oportet. Paradoxa multis hæc methodus videbitur, sed non ridebitur ab iis, qui naturam stili hebraici norunt, & analogiam hujus methodi tot anomalias peræque solventem consideraverint. Neque vero hanc methodum Scriptura adhibet, nisi ejusmodi in locis, ubi ipsa veritas historica jam abunde declarata exstat. Certe hæc notatio annorum Ieroboami non magis paradoxa est, quam annus 18 Iosaphati idemque annus 2 Iorami α, de quo in fine periodi superioris.

V. *Indelibata certe est Linea chronologica.*

Sive placet inita a nobis ratio annorum Ieroboami, sive displicet, tota horum regnorum compages edocet, annos Amasiæ & Oziæ *historica* proprietate poni. Hoc sufficit ad firmitudinem *Lineæ chronologicæ.*

H. *Azarias sive Ozias.*

Qui primum *Azarias* dicitur, dicitur etiam *Ozias* עזיה עזריה una ex hebraico nomine litera exemta. Nam lepra percussus, sensit עז *robur* Domini: inde sæpius *Ozias* dicitur, præsertim in Chronicis, sed cum verbo עזר *juvare*, quo aperte ad nomen pristinum, (sicut verbo שמע ad nomen *Simeon*, *Iudæ* consortem, Deut. XXXIII. 7. coll. Ios. XIX. 1.) alluditur. 2 Chron. XXVI. 7. 13. 15. Hic regnavit annos 52 longiores: quorum frequens mentio. 2 Reg. XV. 2. 8. 17. 23. 27. 2 Chron. XXVI. 3. Et quidem cum eo regnavit Ieroboamus annos 39, inclusis Zachariæ & Sallumi mensibus 7. Menachem 10. Pekachia 2. Pækach in annum 2. Summa, anni 52 pleni.

I. Za-

---

mum quicquam *MVTO. Textum, uti est, indelibatum servo, tantumque modesta cujusdam tentaminis propositione ostendo, quomodo apparens inter numeros, expressione sua veros atque immotos, contradictio, adhibita quadam æquatione, tolli queat.* Ehrenr. p. 90.

I. *Zacharias.*
K. *Sallum.*
L. *Menachem.*
M. *Pekachias.*

Perbreve regnum *Zachariæ* & *Sallum*, nulla difficultate laborat. *Menachem* regnavit 10 annos pleniores, ex anno 39 in annum 50 Oziæ; & *Pekachias* 2 annos, ex 50 in 52 Oziæ.

N. *Pækach.*

Pækacho, anni 20; Hoseæ tantummodo 9 assignantur. Primus illius incidit in annum 52 Oziæ, & ultimus hujus in annum 6 Ezekiæ, quod intervallnm est multo majus, annorum 39. Id quoque curam aliquam postulat. Pækachi regnum per 20 annos facile cerneremus deduci ab anno 52 sive extremo Oziæ ad *annum 20 Iotham, filii Oziæ*, 2 Reg. XV. 30, si Iotham 20 annos regnasset. Neque tamen regnum Iothami 16 tantummodo annorum nos impedit. Annos 20 * non a nativitate Iotham, sed ab initio regni ejus notari, patet ex simiii locutione 2 Reg. XII. 1. XVI. 1. neque ante Oziæ obitum annos regni Iotham incipere possumus, quum modo vel annum 52 Oziæ habuerimus. Sequitur, ut primus annorum 20 Iotham idem sit, qui primus annorum 16. Etenim anni Iotham ultra mortem ipsius eo sermone, per ל præfixum, numerari potuerunt, quo anni abs quovis eventu pristino, v. gr. ab Exodo, 1 Reg. VI. 1. numerantur. Regi Elam servierat rex Sodom cum vicinis annos 12, & sub annos 12 numerantur annus 13 & annus 14. Gen. XIV. 4. 5. Festum tabernaculorum erat dierum 7, & tamen dies insequens dicitur octavus. Lev. XXIII. 34. 36. Annus sabbaticus erat septimus, & tamen primus & secun-

* *Annus 20.* Iotham *adeo difficilis non est.* Ehrenr. p. 163. *coll. supra ad* B. Ieroboam *in periodo* 1.

secundus hebdomadis sequentis dicuntur octavus & nonus. ibid. cap. XXV. 22. Numerus annorum ambulationis Israelitarum in deserto excurrit usque ad 45. Ios. XIV. 10. Igitur annus 20 Iothami idem est, qui annus 4 Achazi: Iotham autem potius citatur quam Achaz, *vel* quia ab hoc loco 2 Reg. XV. 30, quem ipsius Iothami descriptio sequitur, longius aberat Achaz: *vel* quia euphemismus sacer piorum præ impiis, ubi res fert, mentionem amat: *vel* quia ante Iothami mortem causas conspirationis cepit Hosea, quamvis postea demum eruperit: (conf. Meyer ad Seder olam p. 1121.) vel ex convenientia symbolica, ut numero annorum Iotham ultra *ipsum finem regni* & vitæ ejus producto notetur factum Hoseæ, *ipso regni* ejus *initio*, ut mox videbimus, *antiquius*.

O. *Iotham.*

Regnavit annos 16 incompletos, ex anno 2 Pækachi in annum ejus 17. De anno Iothami 20 modo diximus. Pro Ozia, patre leproso, regiæ præfuit & populo jus dixit, nec tamen ei quidquam de Oziæ annis adscribitur, irrefragabili documento, nullius regis annos a duplici initio numerari oportere.

P. *Achaz.*

Annum 16 regni attigit: & regnavit annos 4 cum Pækacho, 9 turbulento statu regni Israel, 3 cum Hosea.

Q. *Hosea.*

Anno 20 Iotham, sive anno 4 Achaz, in Pækachum conspiravit Hosea, & demum exeunte anno 12 Achazi ipse regnare cœpit, annis 9 interjectis Accentus hebraici 2 Reg. XV. 30 proprie conspirationem Hoseæ in Pækachum, non regnum Hoseæ, cum anno 20 Iothami conjungunt. Regnum Hoseæ

per Assyrios retardatum esse, ex cap. cit. v. 29 colligi potest. Regnavit cum Achazo annos 3 plenos, cum Ezekia annos 5 plenos, ut mox videbimus. Hi postremi 9 anni de annis regum Israel expediti sunt, & faciunt, ut difficultates, si quæ sunt, eorundem annorum, chronologiæ nil obstent.

R. *Ezekias.*

Anno Hoseæ tertio elapso regnare cœpit. Anni Hoseæ cum annis Achazi & Ezekiæ ita copulantur:

Achazi	annus	Hoseæ annus
	12 exiens,	1 incipiens:
	13.	1. 2.
	14.	2. 3.
	15.	3. 4.
	16 inchoatus:	4.
Ezekiæ	1.	4. 5.
	2.	5. 6.
	3.	6. 7.
	4.	7. 8.
	5.	8. 9.
	6 incipiens	9.

24. Nunc annorum apud reges Iuda & Israel in hac periodo differentia complanatur. Dabat tabella regibus Israel annos 143, menses 7.
Accedunt in Ieroboamo II. anni 12.
& ante regnum Hoseæ anni 9.
Summa: 165.

Totidem erant anni regum Iuda: quibus ad annos 95 periodi primæ additis, existit summa annorum 260. Ipsi 260 anni regibus Iuda adscribuntur: sed apud reges Israel colliguntur anni 259, *menses 7, dies 7.* ut inter initia regni Roboam & regni Ieroboam intercedant *menses 5 propemodum.* Ob schisma regni jejunant Iudæi mense 3. die 23: & Ieroboam instituit festum mense 8. die 15. Hoc si pro auspicio regni

regni ejus habendum est, habemus illos *menses 5 propemodum*, a tertio ad octavum, inter utriusque regni initia interjectos.

25. Disceptationem nostram, Lector, de regibus, si placet, recognosce. I. Ne uno quidem loco sinceram Scripturæ lectionem solicitavimus: quo ea nos duxit, simpliciter secuti sumus. Nil suspectius est apud criticos textus hebraici sanitati diffidentes, quam numeri: & tamen hi quoque, contra ac nonnulli putant, ita sani reperiuntur, ut Linea chronologica annos plane indelibatos retineat. II. Annos longiores, ut longiores; breviores, ut breviores admisimus. III. Ad associationes, quibus nimium tribuit Zeltnerus ad 2 Reg. XV. 30. & ad interregna, nunquam confugimus. IV. Vbi regis alicujus initium regnandi dupliciter notatur, duplicis notationis rationem explicavimus. V. Stupenda discrepantia interpretationum, quarum recensionem Alphonsus Des-Vignoles non solum tolerabilem, sed etiam amœnam dedit, supersedemus. VI Difficultates si quæ sunt etiamnum, non ex hac demum analysi nostra nascuntur, sed antea exstabant. VII. Vbi violenta interpretatio nostra videri possit, ea magis annos regum respectivos, quam absolutos; magis annos regum Israel, quam annos regum Iuda tangit. VIII. Absolutos regum Iuda annos, in quibus cardo chronologicus vertitur, nulla monade demta aut addita retinuimus & confirmavimus. *

* *Duæ in O. T. sunt tabellæ, in iisque 32 reges* Iuda & Israel, *quorum anni concurrunt. Eorum vix sunt 7, in quibus methodum istam adhibui.* Moses *70 animas habet*, Lucas *in sermone* Stephani *ponit 75. quod tamen utrumque verum est, diverso respectu. Eadem ratio est mea interpretationis, quæ numeros in textu, prout scripta sunt*, religiosissime *retineo & tueor, simul vero respectum quendam aliarum rerum circumstantium a Scriptore sacro sapienter indigitatum propono.* Ehrenr. p. 94.

A. M. 3222.

Restant anni regum Iuda : in quibus

Ezekias, porro, habet	23	l. c.	
Manasse	55		2 Reg. XXI. 1.
Amon	2		19.
Iosias	31		XXII. 1.
Ioachaz		3 mens.	XXIII. 31.
Iojakim	11		36.
Iechonias		3 m. (& 10 d.)	XXIV. 8. (2 Chr. XXXVI. 9.)
Sedekias	11		2 Reg. XXIV. 18.

Summa, 133 anni pleni: sepositis annis Iechoniæ captivi, de quibus ad A. M. 3382.

Vt superiorum regum Iuda omnium, sic etiam horum *conserti* sunt anni. Vnius generis annos, illorum & horum, recte urget Des - Vignoles T. I. pag. 426. sed ille incompletos statuit: nobis completi sive conserti probantur. Eidem annus 15 Ezekiæ est 4005 P. I. adeoque sabbaticus, p. 270. coll. p. 696. sed id non fert historia sacra. Annum illum sabbaticum, qui erat 4005 P. I. præcessit annus 14. 15. 16 Ezekiæ, idque interjecto etiam anno 17. Et hoc congruit cum 2 Reg. XIX. 29. coll. cap. XVIII. 13. * Signum

* *Annus 14, 15, 16* Ezekiæ *2 Reg. XIX. 29. inter duos annos Sabbaticos incidunt, videlicet inter A. a creatione 3227. & 3234. Dicitur, primo anno edendum esse* Saphiach, *& secundo* Saschisch, *quid hæ duæ voces significent, Rabbinis & philologis nondum exploratum est. Vtrique tamen, ut fructui nemine serente nato, sementis & messis tertio anno opponitur. Multi eruditorum, quanquam non omnes,* Ezekiæ *annum 15, pro sabbatico, si non plane pro Iubilæo habent. Sed nullibi exstat, populo Israelis anno sabbatico* ex Sachisch, *sed ex divina ubertate antegressi anni edendum esse. Etiam citra annum Sabbaticum post invasionem* Assyriorum *aliæ causæ esse posuerunt, cur per duos continuos annos sementis*

&

Signum, huic regi in medio regni tempore datum, non mutavit motus cœleſtes. Solem retroiſſe (ἀνεπόδισεν) ait Siracides, cap. XLVIII. 26. Non autem per ſe regreſſus eſt ſol, ſed in gradibus horologii, Ieſ. XXXVIII. 8. id eſt, *umbra* regreſſa eſt, 2 Reg. XX. 9—11. & ab eo gradu, ad quem pervenerat, per 10 gradus reducta eſt ad gradum 15, qui numerus annos regi adjectos exhibebat. Cum temporibus Iojakim, Iechoniæ, & Sedekiæ, concurrunt anni Nebucadnezar, de quo infra.

A. M. 3246.

Ezekiæ ſucceſſit Manaſſe annos habens 12. Itaque triennio poſt vitam Ezekiæ prolongatam natus eſt.

A. M. 3334. & 3345. *

Nunc demum in Lineam chronologicam menſes iterum, duce Scriptura, inducimus. Nam menſes 3 Ioachazi, & menſes 3 Iechoniæ, ſeorſum ab annis *aliorum* regum illius ætatis tam curate poſiti, per ſe in cenſum veniunt, neque ſub majorem aliquam ſummam revocantur, ſed ſuum locum explent revera in Linea chronologica. Proſpicitur hac ratione, ut ſumma annorum mundi hactenus præteritorum ex autumno ad ver producatur, neque ſolum annus, ſed etiam pars anni attingatur, qua paulo poſt ab anno 11 Sedekiæ ad annum 19 Nebucadnezari fit tranſitus.

& meſſis ceſſaverit coll. Gen. XLV. 6. Signum erat eo illuſtrius, & ad exercendam fidem efficacius, ſi populo, quum Saphiach *primo anno duntaxat ad edendum ſufficeret, ſecundo nunc anno ex* Sachiſch *& ad edendum & ad ſementem tertii anni ſuppeteret, qui annus cum ubertate ſua annum ſabbaticum proxime anteibat. coll. infra c. XII. Sect. II. ad A. Iubil. 15.* Ehrenr. p. 95.

* *Recte facit* Des-Vignoles, *, quod A. P. J. 4116* Iechoniæ *captivitatem ponit. Circa hunc ipſum articulum quæ diſſerit ille, hæc medullam & frugem complectuntur totius ab eo elaborati copioſiſſimi operis.* Weltalt. p. 114.

A. M. 3356.

1. Annus est hic templi vastati, quod fundatum erat A. M. 2926. Stetit igitur annos 430.
Etenim a fundato templo regnavit Salomo annos 37
a schismate regni ad Samariam captam erant 260
inde ad Hierosolymam captam, 133

Summa, 430

Ipsa numeri figura, 430, *Lineam annalem* decet, in qua majores fere articuli rotundi sunt.

2. Scriptura, post ætates patriarcharum facili ordine concatenatas, temporum subinde summas facit, & figit

I. ab Abrahamo ad Exodum annos item 430;
sive ab Isaaco ad Exodum, annos 400.
in Mose:

II. ab Exodo ad templum fundatum, annos 480.
in prophetis prioribus:

III. a templo, cum urbe, combusto, ad instaurationem, annos 70.
in prophetis posterioribus:

IV. ab exitu verbi, ad Messiam, LXX hebdomadas, in Hagiographis.

Quod illustre est documentum Scripturæ per omnes suas partes *Lineam chronologicam* deducentis.

Pari ratione, annorum ante summam III. summa quædam fit aut nusquam, aut apud EZECHIELEM, cap. IV. 5. 6, 9, ubi *annis* 390 iniquitatis domus Israel & *annis* 40 iniquitatis domus Iuda totidem dies respondent. Ingens interpretationum est discrepantia; nos ex ipso textu observationes quasdam, & cum ils conclusiones educemus.

* I.

* I. *Obsidione prophetica Ezechiel obsidionem historicam jussus est repræsentare.*

Propheticam & *historicam* obsidionem dicimus, distinctionis gratia. *Prophetica historicam* 4 annis præcessit. Illa fuit anno 5 capti Iechoniæ: hæc anno 9 regni Sedekiæ. Iidem sunt anni Iechoniæ capti, & Sedekiæ regnantis.

* II. *Obsidio historica fuit vel activa vel passiva.*

Activa, ex parte Chaldæorum: passiva, ex parte Iudæorum. Vtramque repræsentavit obsidio prophetica.

* III. *Obsidio prophetica fuit dierum* 390 & 40 *junctim*, 430.

In sinistro latere jussus est cubare propheta dies 390, immotus; in dextro, dies 40. Vtrique dies nullam sui partem sinistri simul & dextri lateris cubitu degi potuerunt: illos autem immediate hi exceperunt. *PERAGES illa, & cubabis super latus tuum dextrum ITERVM* &c. v. 6. 8, 10. 11. Victus prophetæ, in diebus 390 seorsum, describitur versu 9. sed victus in diebus 390 & 40 describitur versu 10. 11. Victus immundior, v. 12—17, non habebat tempus definitum.

Series dierum est hæc:

Anno 5 captivitatis, P. I. 4120.
m. 4. d. 5. Iun. 12. sabbato: Visio Ez. I. 1. 2.
d. 12. 19. sabb. Primus dierum 390. c. III. 15. 16,

Anno 6 captivitatis, P. I. 4121. qui & Iudæis & Romanis embolimæus erat.

Iul. 12. fer. 4. Vltimus dierum 390
13. 5. Primus dierum 40
Aug. 21. 2. Vltimus dierum 40
m. 6. d. 5. 28. 2. Visio nova, c. VIII. 1.

* *IV. Obsidio historica non fuit dierum* 390 *& dierum* 40.

Initium obsidionis erat *anno 9 Sedekiæ, mense 10. die 10.* Annus 11 erat embolimæus: *cujus mense 4. die 9.* urbs capta est. Ier. LII. 4. 5. 6. Mediam hujus intervalli partem Alphonsus Des-Vignoles ita adscribit bello Chaldæorum atque Ægyptiorum, ut urbem antea obsessam censeat per 390 dies, & postea per 40 dies. Sed primum differentia inter tempora iniquitatis domus Israel & domus Iuda tali modo non apparet: deinde *continua* certe fuit obsidio ab anno 9 Sedekiæ, mense 10. die 10. *VSQVE* ad annum 11. & hoc spatium, quam strictissime sumtum, dies 432 infert. Anno 10, mense 12, die 10, adulta hieme, rex Ægypti nondum profectus erat Iudæis subsidio: Ez. XXIX. 1. neque anno 11 ante mensem 3 se recepit. ibid. cap. XXXI. 1. quo pacto ad continuos illos dies accedunt complures alii, & residua post Ægyptios reversos * obsidio intra spatium 40 diebus angustius includitur.

* *V. Fames gravior dierum minus multorum fuit.*

Victus 390 dierum in obsidione prophetica restrictus fuit, sed tamen in singulos dies paratus: eo consumto, victus 40 dierum non perinde in promtu erat. Sic in obsidione historica paulatim crevit penuria, & in famem desiit, validissimam postremo. Ier. XXXVII. 21. LII. 6.

* *VI.*

---

* *Sunt, qui existimant, auxilia Ægyptiorum non media obsidione advenisse, sed ante eam, atque infectis rebus revertisse. vid. imprimis Kohlreiffii chronol. liphrat Katon c. 10. quo ea, quæ Ord. Temp. h. l. habet, obsidionem neutpe longe ultra 390 & 40 dies protensam fuisse, amplius confirmantur, & 70 anni apud Zachariam, obsidione non interrupta cœpti, eo exsertiores repræsentantur.* Wellalt. p. 161.

* *VI. Numeri dierum obſidionis propheticæ non repræſentarunt ullum numerum dierum obſidionis hiſtoricæ: ſed* numeri *illi dierum, plane* annorum *numeros retulerunt.*

Patet ex §§ præcedentibus, & ex ipſo textu, ubi aperte dicuntur *ANNI iniquitatis*, iique in totidem dies conferuntur. Ipſe *ſenſus literalis*, non *myſticus*, annos ſpectat, qui per dies *figurabantur*. Multifariæ ſignificationis una illa actio prophetica fuit, & momenta, inter ſe contexta, diſtincte evolvere debemus. Propheta repræſentabat

1. hoſtem *obſidentem*: id quod maxime *ſignum* erat domui Iſrael. v. 3.
2. populum in urbe *obſeſſum*:
3. *numerum annorum* iniquitatis domus Iſrael, & *numerum annorum* iniquitatis domus Iuda.
4. *penuriam* victus, qua incolæ *Ieruſalem* in obſidione, ac potius in expugnatione urbis, & in diſperſione, eſſent laboraturi. v. 16. 17. cap. V. 2. 10. 12. 16. 17.
5. *immunditiem* panis, quem diſpulſi *Iſraelitæ* comeſturi eſſent. c. IV. 13.

Hæc omnia complectitur una prophetæ actio: tertiumque momentum a reliquis æque ſecernere debemus, ac reliqua a ſe invicem.

Pro diebus 390 & 40 obſidionis propheticæ *Hoſmannus* ſumit dies obſidionis hiſtoricæ, quos cenſet fuiſſe 531, & inde 531 annos ſtatuit inter finem captivitatis Babylonicæ & navitatem Chriſti. Sed numerus ille & juſto major eſt, quia annos 390 & 40, non 530, propheta repræſentavit: & juſto minor, quia annus ille, quem & ipſa veritas, ut vidimus, & Hoſmanni Canon, undecimum Sedekiæ exhibet, embolimæus fuit, & menſem ſive 30 dies ad numerum illum adjicit. Plura non reponimus.

E diverso *Des - Vignoles* dies obsidionis propheticæ ad totidem dies obsidionis historicæ *literali* eoque *figurato* sensu referri censet, *annorum* interpretationem scite sibi remittens, quia opus suum ab Exodo non ultra Captivitatem progrediatur. Tom. I. p. 486. Atqui ut annos ante Exodum elegante parergo intexuit, sic annos, quos ultra Captivitatem extendi putat, licuit, obiter saltem, intexere. Certe *anni iniquitatis* non debent in *dies pœnæ* mutari. Dies significant: anni significantur. annorum ergo potior ratio; annorum autem non nisi 390 & 40.

* *VII. Anni iniquitatis in clade urbis aut inceperunt aut exierunt.*

Non exierunt *ante* cladem urbis: non cœpere *post* cladem: non in *cursu* eorum ita includi potest clades, ut majores eventus quidam & inceperint eos & terminarint.

* *VIII. Non inceperunt illo tempore.*

Sive per 390 annos tantummodo, sive per 40 insuper annos in subsequentia descendas tempora, nullum invenies terminum iniquitatis domus Israel & iniquitatis domus Iuda, sive pro *reatu* accipias *iniquitatis* vocabulum, sive pro *pœna*.

* *IX. Ergo tum exierunt.*

Hoc necessario consequitur ex modo dictis. Non solum futuros annos in summam redigit *Linea* Scripturæ *chronologica*, sed etiam præteritos, imo hos magis. Exod. XII. 40. 1 Reg. VI. 1. Neque tamen Ezechiel non in ipso hoc momento prophetam egit. nam visionis tempore supererant 6 anni usque ad expugnationem urbis. Tum erat *finis*: *finis*, qui capite mox VII. v. 2. 3. 6. 7. 8. 10. 12. & capite IX. 1. significantissime denunciatur; ac *tempus iniquitatis finalis*. cap. XXI. 30. 34. XXXV. 5. Hunc igitur *finem* prædixit, præcise. Denunciabantur Israelitis

Num.

Num. XIV. 34. anni 40 jam tum inchoati: hic definiuntur anni 390 & 40 etiamnum currentes.

Injiciet hîc aliquis, annos quidem 40 iniquitatis domus Iuda exiſſe in expugnatione Hieroſolymæ: ſed annos 390 iniquitatis domus Iſrael exiſſe, ſi hiſtoriam ſpectes, in expugnatione *Samariæ*; ſi prophetiam, *initio* illorum 40 annorum. Reſpondemus: Iniquitas domus Iſrael terminum quendam habuit, jam ante *Samariam* captam, in tribu Naphthali: 2 Reg. XV. 29. & tamen etiam poſt *Samariam* captam. nam a diebus Pækach & Achaz populus manſit Ephraim annos 65, Ieſ. VII. 8,* per totum Ezekiæ regnum in media uſque Manaſſis tempora: immo conjunctas cum domo Iuda rationes habuit domus Iſrael ad ipſam uſque cladem Hieroſolymæ. Ez. IX. 8. 9. XI. 15. Ier. V. 11. 15. 20. XXX. 3 ſ. & paſſim: conf. 1 Chron. IX. 3. Quo ipſo argumento etiam illud conſtat, annos 390 non exiiſſe initio 40 annorum, ſed annos 390 & 40 exiiſſe in clade Hieroſolymæ. Non poterat propheta in ſiniſtro ſimul & in dextro latere cubans iniquitatem domus Iſrael & domus Iuda portare: ſed ipſi anni iniquitatis domus Iuda ſimul cum extremis annis iniquitatis domus Iſrael defluxerunt.

* *X. Anni 390 & 40 ſimul exierunt.*

Hoc ipſum modo demonſtravimus.

* *XI.*

---

* *Iam dudum epocha horum 65 annorum quæritur uſque ad expugnationem* Samariæ, *ſed fruſtra. Tunc enim* Ephraim *ceſſavit eſſe regnum, nondum* populus. Beod *in ſermone ſubinde notat tempus, quod cum ipſo ſermone incipit Gen. XL. 13. 19. Ioſ. I. 11. Ieſ. XXI. 16. Ier. XXVIII. 3. 11. Amos IV. 7. Eadem etiam hujus loci ratio eſſe debet. Non dicitur, antequam* annus *65 finitur, ſed intra 65 annos &c. Id quod v. 16 exſtat, eventum multo citeriorem indigitat.* Welt alt. p. 118 ſ.

* *XI. Anni iniquitatis sunt continuum quiddam, & insigne.*

Non colligitur summa eorum ex annis iniquitatis alternatim per annos obedientiæ interpellatis, quasi v. gr. de annis 910 ab Exodo ad urbem captam fuerint anni 480 obedientiæ, & interjecti passim illis anni 430 iniquitatis. v. gr. Ez. XX. 8. 1 Reg. XI. 4. Totum illud tempus continuam quandam iniquitatem habuit: 2 Reg. XXI. 15. & insignis quædam pars illius iniquitatis, item continua, notatur. Ac sane iniquitas Israel v. gr. sub Ieroboamo, qui Israelem PECCARE feciſſe toties dicitur, iniquitates superiorum temporum longe superat, & ab illo ipso initio continua sive perpetua fuit.

* *XII. Anni 40 cœpere sub præconium Ieremiæ.*

Memorabilis est titulus libri Ieremiæ, cap. I. 2. 3. ubi functio ejus ab anno 13 Iosiæ per dies Iojakimi ad annum 11 Sedekiæ deducta, ipsos *40 annos* refert. DOMINI verbum, permagni est: peccatores, id aspernantes, plane demum *iniquitas* perimit. Ioh. XV. 22. Matth. XI. 20 seqq. Hoc & Israelem & Iudam pessundedit: 2 Reg. XVII. 3 s. maximeque Iuda, *Ieremia*, magnificentissimo propheta, Ier. I. 5. 10 tot annos audito, ac spreto, insanabilem se fecit. Vid. Ier. XXV. 1. 3. 7. 8. 2 Chron. XXXVI. 12. 16. Sub Manasse potissimum accensa erat ira DOMINI in Iuda: 2 Reg. XXI. 11. 16. ac Iosias quidem, inprimis anno regni 8 & 12 & 18, Zelum exercuit, 2 Chron. XXXIV. 3. 8. sed tamen ira permansit. 2 Reg. XXIII. 26. XXIV. 3. Ipsi Ieremiæ, ut Des-Vignoles observat, memorabilis erat Epocha vocationis suæ: annus ejus 23 connexus est cum anno 4 Iojakimi, cui si reliqua regum tempora usque ad cladem urbis addas, ipsi anni 40 complentur.

Cum

Cum annis prophetæ Ieremiæ fere * fluunt anni Ezechielis. nam annus 5 Iechoniæ capti, quem allegat cap. I. 2. commode ex ipso contextu determinatur, ut idem sit *annus 30*, ex quo muneris sui causa fuerat *in medio populi*, partim ante captivitatem, partim *in captivitate;* adeoque munus capessierit sub pascha illud celebre, quod fuerat anno 18 regis Iosiæ. Ab eo certe anno numerantur anni 30, quæcunque numerandi causa erat. Nam inde anni posteriores 14 Iosiæ, Iojakimi 11, & Iechoniæ capti 5, quierant tempore visionis, summam illam *30 annorum* revera exhibent.

* *XIII. Anni* 390 *cœpere cum anno* 4 *Roboami.*

Exiere, quum urbs capta est: inde retrorsum ad schisma regni per expressos in libris Regum & Chronicorum numeros colliguntur anni 393. Subtractis 3 annis, a primo Roboami & Ieroboami anno devenitur ad quartum ineuntem, id est, ad ineuntes 390 annos iniquitatis domus Israel. Quarto anno regni Salomonis, quo templum est fundatum, respondet quartus Roboami, quo iniquitas domus Israel, 40 post annis, initium habuit. Nam Ieroboamus ineunte quidem regno initium horrendi illius *peccati* fecit, quod pœna tanta est insecuta, 1 Reg. XIV.

---

* *De annis 65 Ies. VII. 8. & de anno 30 Ezech. I. 1. quid mihi videatur, ut alii faciunt chronologi, proposui. nec ex iis ego sum, qui omnia tollere dubia audent. Satis habeo, si in fundamentalibus expeditum iter invenio: in accessoriis, quæ sæpe sunt difficillima, tutum quoddam tentamen facio. Si veram annorum 65 & 30 rationem non sum assecutus: mihi nil nocet.* Zeugnis p. 83.

Vbi numeri annorum sine expressa personæ alicujus vel eventus mentione exstant, uti 2 Sam. XV. 7. Ezech. I. 1. ibi cavendum, ne licentiæ opinandi indulgeatur. Ehrenr. p. 163.

XIV. 15. 16. sed non Hierosolymis: & ipse aliquanto post luit, cum domo sua excisus atque deletus de terra. 1 Reg. XIII. 34. Israel autem juxta atque Iuda cum Roboamo ambularunt in via Davidis & Salomonis, 3 annos: quibus elapsis, Roboam & OMNIS ISRAEL cum eo reliquerunt Legem DOMINI, quanquam rex & principes, premente Ægypti rege, se demittebant, & in Iuda res bonæ erant. 2 Chron. XI. 13. 16. 17. XII. 1. 6. 12. Eo igitur tempore cœpit, & ab eodem tempore per 390 annos perpetuata fuit *iniquitas*, non regum Israël, qui post Samariam captam nulli erant; non regum Iuda, qui sæpe boni erant; non domûs Iuda, quæ regum suorum fere sequebatur exemplum, sed *domûs Israel.* * In annis 390 gravius peccavit domus Israel, quam domus Iuda. Hos. IV. 15. XII. 1. Sed in annis 40 gravius peccavit Iuda, quam Israel: Ier. III. 8. 11. Ez. XVI. 47. 51 seq. ipsoque annorum 40 initio rudera propriæ iniquitatis Israel per Iosiam sunt deleta: 2 Chron. XXXIV. 6. ita ut reliquo tempore reliqui de Israel sub Iuda, & reliqua iniquitas eorum sub iniquitate Iuda, & reliqui anni de annis 390 Israel sub annis 40 Iuda, continerentur, quemadmodum antea ostendimus.

* *XIV. Periodus 390 annorum apud Ezechielem præsidio est Lineæ chronologicæ.*

Meri annorum numeri, quos regibus *Iuda* expresse adscribit historia sacra, annos 430 a templo fundato,

* *Adhuc semper justa fuit domus* Israel, *si conferas* iniquitatem *ejus sequentem non interruptam.* Weltalt. p. 120. *Propheta in diebus obsidionis suæ ne ex uno quidem latere recumbere in alterum potuit: & sic quoque anni iniquitatis* Israel *invulsi cohærent* (*hinc* iniquitas *dicitur, non* iniquitates) *itemque anni iniquitatis* Iuda. *De* Israele *seorsum & de* Iuda *seorsum sermo est, quare etiam anni 390 iniquitatis* Israelis *omnes post mortem* Salomonis *poni debent.* ibid. 121.

dato, annos 393 a morte Salomonis, annos 390 ab anno 3 Roboami, excluſive, inferunt. Hos numeros etiam alii poſſunt *amplecti*, qui locum Ezechielis aliter interpretantur, modo ne falſa *annorum*, qui ibi habentur, interpretatione præpediantur. Eos revera idem locus refutat, qui annos regum Iuda imminuunt, ut faciunt duumviri ſupra laudati. nam a morte Salomonis ad urbem captam Hoſmannus annos 384 numerat; Des. Vignoles, 376. uterque infra verum numerum. Sunt plures, ſunt 390 anni iniquitatis Iſrael, qui neque ante Roboamum incipi, neque ultra Sedekiam poſſunt extendi.

A. M. 3382.

Hic *TERMINVS* eſt *Lineæ chronologicæ*, quod ad annos attinet in hiſtoria V. T. continua ſerie notatos. Quare eximie notandus eſt hic annus.

A principio mundi ad Iechoniam regem ſunt *anni 3344, menſes 3.* Accedunt regni Iechoniæ *menſes 3*, cum *diebus 10:* 2 Chron. XXXVI. 9. *Dies 10* prætermittit liber II. *Regum*, methodo ad indicium temporis, de quo ſtatim agimus accommodata. Captus eſt לתשובת השנה in *vere*. ib. v. 10. hæc enim vis eſt locutionis. 1 Chron. XX. 1. 1 Reg. XX. 22. In cuſtodia detentus eſt annos 37. quos ſi addideris, ſumma dabit annos 3381 cum dimidio. Iechoniæ rationem habuit rex Babel ingruente *vere*, menſe 12, die 25. Ier. LII. 31. & ex carcere eum eduxit die 27. 2 *Regum* XXV. 27. quo pacto utriuſque loci dies ope accentuum conciliantur. Ille dies erat 30 Martii, feria 3. & hic 1 Aprilis, feria 5. Non ſine cauſa dies, cum re per ſe non maxima, ſed tamen cum exitu menſis 12 conjuncti, tam accurate notantur. A principio mundi, quod erat in novilunio Tiſri, uſque ad finem menſis 12, dimiſſionem Iechoniæ ex carcere biduo ſubſecutum, erant (in annis illis 3381½) menſes 41823. id eſt, dies 1235058 pleni: tum, detracto

tracto illo biduo, erant dies 1235056 pleni, id est, hebdomades 176436 & dies 4 cum initio feriæ 5, qua ipsa feria 5 ex carcere dimissus est Iechonias. * Tam præcisa notatio temporum, linea annali V. T. exeunte, eo pertinet, ut ipsa summa accurate exhibeatur.

Ab Adamo anni meri, sine mensium dierumque mentione, (exceptis 7 mensibus post mortem Eli,) ad Iosiam usque deduci possunt e Scriptura, & post Iosiam demum 6 menses addendi veniunt: (quos Iosephus cum 10 diebus in periodis ad summam redigendis studiose computare solet, l. 10 ant. c. 11.) unde patet, annos ab Adamo ad Iechoniam, ut consertos & consolidatos, recenseri, excepta aliquot mensium appendice, & in ipsa summa præcise tenendos esse. Dissentaneum enim esset, si historia sacra aliquot menses seorsum notaret, & in toto nullam eorum, *implicite*, rationem habuisset.

Dices: *Populus ex Ægypto eductus est in vere, adeoque Abraham 430 ante annis eodem die vocatus ex Mesopotamia exiit in vere: & Isaac 400 ante Exodum annis in vere natus fuit. Igitur omnes anni in vere incipi debent, ut confusio vitetur in Linea chronologica.* Resp. Hic locus est *observationis* exponendæ, quæ rem totam adjuvat. Annorum initia a creatione erant ingruente autumno, & inde anni patrum, per formulam v. gr. *VIXIT Adam annos 130, & genuit Seth*, ut *præteriti* notantur. Annus 500 Noe, & annus 100 Sem, ut *currentes* describuntur: sed suam protinus compensationem habent, ut vidimus c. II. Sect. V. Tum redit formula, *VIXIT Arphaxad* &c. donec Abraham dicitur fuisse *filius 100 annorum*, quum Isaac nasceretur, anno centesimo nondum completo: Gen. XXI. 5. unde etiam circumcisio Isaaci ante eam ætatem Abrahami memoratur. Gen. XXI. 4. 5. Confer, quod ad phrasin attinet, versum 4 proxime præcedentem, &, quod ad annos Abrahami attinet, caput XVII. v. 1. 17.

Vnus

* Limam, de qua Cycl. §. 87, ipse Auctor huic passui applicavit.

Vnus, post Noe & Sem, est Abraham, qui hac formula, ceteroqui perfrequente, *filius* centum *annorum*, ita notatur, ut in ipsam ingrediatur Lineam chronologicam. Sic fit, ut annoram initia a vocatione Abraham, a nato Isaaco, ab Exodo, a fundatione templi, ver habeat, *quinque* aut *sex* in anni cursu mensibus ante tempus Adami conditi. Ex. XII. 41. Gen. XV. 13. Vicissim acceleratio illa ita compensatur per menses *septem*, quos Arca fœderis fuit in agro Philistæorum, ut anni denuo in autumnum protendantur, (unde ex anno 4 regni Salomonis, mense 2, in annum 11, *mense 8*, anni 7 numerantur, 1 Reg. VI. 1. 38.) donec per menses demum Ioachazi & Iechoniæ appendix longæ periodi inde ab Adamo, ex annis permultis & mensibus pauculis consertæ, in ver terminatur. In autumno incipiunt etiam anni Artaxerxis, Neh. I. 1. II. 1. ubi in uno anno mensis Cisseu mensem Nisan præcedit. Adde annos Tiberii Luc. III. 1.

Ex hac observatione lector vigilantior, quoad sua sentiet interesse, dijudicabit, quando tabellæ nostræ, capite I. II. IV. annos currentes, vel præteritos, vel etiam ingruentes, referant: & inde reliqua annorum indicia interpretabitur.

Nunc, Lector, respira, quæso, ac respice. In tota *Linea chronologica* huc usque deducta nullum articulum, qui in Scriptura V. T. * non expresse indicatus esset, intulimus; nullum vicissim articulum, expresse indicatum, prætermisimus, quin locum ei congruentem assignaremus: & ipsos quidem Scripturæ constanter numeros, sine ulla mutatione, secuti sumus. Chro-

* *Annos mundi a creatione ad captivitatem Babylonicam omnes expressis in Scriptura V. T. numeris recenseri oportet, quamquam loca N. T. iisdem non repugnent.* Weltalt. p. 18.

Chronologiam V. T. Joh. Meyerus commentariis *Rabbinorum* ad Seder olam collatis copiose illustravit, & quæ ibi laudabilia congessit, ea præcipuos tractationis nostræ articulos valde comprobant. Ita versatiles & cerei sunt numeri, ita argutum est ingenium humanum, ut quilibet, pusilla sensim adhibita licentia, quicquid in loco opus est, exsculpere, speciosissimas opportunitates lucrifacere, &, quo tendat, possit evadere. Complura Chronologorum, recentium præsertim, syntagmata, talibus artibus adornata sunt: quæ cum inter se valde dissentiant, indicium veritatis, quæ per se una est, talis concinnitas non præbet; &, qui telas ejusmodi admirantur, eodem tempore cauti sint oportet. Criterium hoc esto; *Quisquis chronologus, sub quocunque obtentu, hoc sibi sumit, ut numeros annorum in Scriptura modo contrahat, modo extendat, is suum ipse systema non solum suspectum reddit, sed etiam revera dissolvit.* Ipsa Scriptura annos completos & incompletos, ad residuas in extremo appendices usque, contemperat: nostrum non est, *facere* summam annorum, sed *tantummodo colligere* simpliciter. Id egi pro mea parte: & tamen servatis Scripturæ, & deinceps historiæ externæ numeris, egregii *concentus* exoriuntur. Quos characteres falsæ temporum tractationes affectant, hos genuina sibi demum jure vindicat.

CAPVT III.

DE

ANTIQVA GENTIVM CHRONOLOGIA,

DIGRESSIO.

SECTIO I.

RATIO HVIVS DIGRESSIONIS.

§ I.

Quæ ab extrema ætate regum Iuda gentium reges & anni eorum ad sacram chronologiam conferunt, in progressu adhibebimus. Exculta est autem

autem paulatim per homines polyhiſtoras antiquior externarum gentium chronologia, præſertim collectaneis Georgii Syncelli in lucem productis: & in hoc genere excellit Roberti Cary & Alphonſi Des-Vignoles induſtria. Nimium tamen nonnulli Ægyptiorum dynaſtias, Chaldæorum Saros, Sinarum cyclos mirantur, & fragmentis fugientibus tantum tribuunt, quantum teſtatiſſimo Scripturæ ſacræ tenori, imo ex fragmentis ea quam plurimum adornant, quæ a Scriptura quam longiſſime diſcrepant, hujus auctoritatem tum demum ſalvam putantes, ſi cum illis concilietur, hujuſque textum ſolicitantes, ut cum illis concilietur. Tales ita ægrotant animo, ut delirent, polito hoc, & tamen exulcerato, ipſorum quoque cauſa, tempore.

§ II. Sed enim cum documentis illis annos in Græca Geneſeos interpretatione additos facilius componi putant, & Hebraico textui duntaxat recentiori diffidunt. Veritatem quidem Hebraicam toto hocce ſyntagmate vindicamus: & omnia illa, quæ ab externis adſciſcuntur, ad Moſen & prophetas dijudicata, *Confluentem* veri & falſi exhibent, & vix illuſtrando primævo temporum canoni, nedum confirmando ei aut convellendo, idonea deprehenduntur. Certe re propius inſpecta, neque reformidari debent, neque cupide advocari, quæ in hoc foro venditantur a literatis.

§ III. Equidem pro mea parte ad antiqua illa externorum populorum tempora non ſine faſtidio, fateor, excurro aut proſpicio. Eoque tantummodo nomine aliquid attingo, ut ne ii, qui talia ſuſpiciunt, neceſſarium quiddam a nobis prætermiſſum eſſe dictitent. Sufficit ſibi abunde Scriptura ſacra, neque hic Sol, a lychno vel pruna, jubaris ſui adjumentum repetit. Qui idonea monumenta antiquitatis quamlibet levi de cauſa repudiant aut corrum-

punt, dum sua ipsi systemata tueantur, perversi sunt: sed rursum, qui veritatem Scripturæ vel per discrepantiam externorum scriptorum solicitari posse, vel per eorum consensionem demum stabiliri putant, nesciunt quid sit Volumen Dei, quid sit fides, quæ hac quoque in parte testimonium Dei a mendacio discernit. DEVS est verax, omnis autem homo mendax; etiam in evolvendis temporibus. Scripturæ systema chronologicum plane aptum est: eorum reliquiæ & micæ, qui foris sunt, nullo modo cum illo comparari debent. *Qui simplicem veritatem quærunt, ii caput hoc, tanquam corollarium quoddam aut episodion, commode præteribunt.*

SECTIO II.

DE SINENSIBVS.

§ I.

SINICOS annorum mundi numeros, millium millia sonantes, si proprie accipiantur, inprimis retundit A. Müllerus, passim, præcipue in Basilico Sin. p. 3 seqq. & in comment. alphab. de rebus Sin. p. 6. 15 seqq.

§ II. Quod ad moderatiores annorum numeros attinet, quis definiet, ubi, post periodos astronomicas, vera tandem, eaque vernacula illorum chronologia non partim ex fabulis, partim ex Scripturis interpolata, incipiat? *

§ III. *Initium* quidem *temporis historici* Sinarum *juxta* Martinum *Martinium referendum* est *ad annum 2837 ante Christum*, (*non 2847.*) *A Xinnungo enim initium repetit, quia de annis Fohii primi regis controversia est apud scripto-*

* *Si novissima de* Sinensibus *testimonia audias, antiquiora in hoc regno monumenta genuina nulla prostant, nisi ex duobus tribusve seculis ante* Christum natum, *uti* D. Baumgarten *refert, in den Anmerk. zur Weltbist. Th. 1. s. 254.* Weltalt. p. 124.

Scriptores Sinicos, ut ipse Is. Vossius, primarius chronologiæ Sinensis cultor, scribit in Auctario, p. 43. conf. Cary f. 162. Eo tempore annos 50 habebat Noachus: isque vixit ante diluvium annos 600, Semus 100, ille postea 350, hic 500. Non mirum, si de annis eorum antediluvianis particulæ quædam ad historias orientales adhæserunt. Noachus annos 500 natus genuit Sem, Ham & Iaphet. Igitur pro anno 500 Noachi annum 50 videntur Sinæ arripuisse, quippe quorum *Fohi* Noachus habetur, ut *Xinnung* sit Semus.

§ IV. A primo homine *Puon-cu* ad Fohi numerant annos 38693 circiter. vid. Müller. ad Abdallam Beidavæum, p. 2. Sæpe autem antiqui pro perbrevi tempore *anni* vocabulum posuere. Quid si tali ænigmate intervallum ab Adamo ad Noachum Sinensium aliquis comprehenderit? nam totidem menses Sinarum semisolares, nempe 38693, ab Adamo condito porriguntur in annum Noachi 557, mundi 1613, longe ultra medium annorum 120, de quibus Gen. VI. 3. Sin id displicet, non recuso, quin illas annorum myriadas Müllerus *nugas* appellet.

§ V. Quam hæc tenuia sunt! nec tamen amplius frugis (de chronologia loquimur) a Sinensibus apportatur. Pluris illud unum est, quod *apud SIAMENSES ab orbe condito ad sex annorum millia putantur*, ut ex Ferdinando Mendesio aliisque docet Grotius lib. I de ver. rel. christ. cap. 16. Progredimur ad eas gentes, quarum antiquitates interdum historiam sacram tangunt.

SECTIO III.

DE ÆGYPTIIS ANTIQVIS.

Cum uno propemodum Ægyptiaco populo Iacobus, ne de Abrahamo dicamus, & posteri ejus, negotium habuere, ad Exodum usque. Prisca autem

illius populi tempora, ope Iosephi & Syncelli, commodius sunt digesta. Marshami inventis & cogitatis addidit multa Rob. Cary, Part. II. chron. lib. 1. cap. 20. & Alph. Des-Vignoles, lib. VI. cap. 4. quibus ducibus quid profici possit, experiemur.

Propositio 1. *Reges Ægyptii, apud Mosen, fuere Heliopolitani.*

Complura Ægyptiorum regna fuerunt, sed duo præcipua, alterum Heliopoli, alterum Diospoli sive Thebis. Heliopolitanos quidem fuisse reges illos, quorum benignitatem Israelitæ sub Iosepho, odium sub Mose sunt experti, docet (1) ipse locorum situs, quod ea pars Ægypti vicina erat mari angusto terræque Canaan: (2) Iosephi socer, sacerdos *On*, quæ apud LXX int. & apud Ptolemæum est Heliopolis. (3) *Zoan*, sive *Tanis*, sive *Tinis*, urbs infimæ Ægypti, quæ in Ps. LXXVIII. 12. 43 ita memoratur, ut etiam ibi potius, quam Heliopoli, Mosis tempore Pharaonem habitasse credamus. (4) ea, quæ ex Manethone mox proferemus. Quanquam enim is falsa veris miscet, tamen ipsa mixtura illa demonstrat, qui fuerint reges. Eos igitur reges, quoad opus est, cum dynastia, quæ iis præmittitur, per Tabellam repræsentamus, quæ cur in annis Per. Iul. tardius progrediatur, quam in annis regum, propositio 4 indicat.

DYNASTIA DEORVM.	Anni,	coll.
1. Vulcanus,	724.	
2. Sol,	86.	810.
3. Agathodæmon,	56.	866.
4. Saturnus,	40.	906.
5. Osiris,	28.	934.
6. Isis,	7.	941.
7. Typhon,	28.	969.

SEMI-

SEMIDEORVM.

8.	Orus,	25.	994.
9.	Mars,	23.	1017.
10.	Anubis,	17.	1034.
11.	Hercules,	15.	1049.
12.	Apollo,	25.	1074.
13.	Ammon,	30.	1104.
14.	Tithoës,	27.	1131.
15.	Sosus,	32.	1163.
16.	Iupiter,	20.	1183.

REGES HELIOPOLITANI.

P. I.		anni,	coll.
2464 b.	1. Mestraim	35	
2498 c.	2. Curudes	63	98
2560 d.	3. Aristarchus	34	132
2594 b.	4. Spanius	36	168
2629 d.	5. 6.	72	240
2700 d.	7. Serapis	23	263
2723 b.	8. Sesonchosis	49	312
2771 d.	9. Amenemes	29	341
2800 b.	10. Amasis	2	343
2802 b.	11. Acesephtres	13	356
2815 a.	12. Achoreus	9	365
2823 d.	13. Armiyses	4	369
2827 d.	14. Chamois	12	381
2839 d.	15.	14	395
2853 c.	16. Amesises	65	460
2917 c.	17. Vse	50	510
2966 d.	18. Rameses	29	539
2995 c.	19. Rameso-Menes	15	554
3010 a.	20. Thysimares	31	585
3040 d.	21. Rameses-Sues	23	608
3063 b.	22. Rameses-Meno	19	627
3082 a.	23. Rameses-Baetes	39	666

Universitäts Bibliothek Rostock https://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn1853554960/phys_0157 DFG

3120 c.	24.	Ram. Vaphris	29	695	Manethon:	
3149 b.	25.	Concharis	6	701		ann. m.
3155 a.	26.	Silites	19	720	Salatis	19.
3173 d.	27.	Beon	44	764	Beon.	44.
3217 b.	28.	Apachnas	36	800	Apachn.	36. 7
3252 d.	29.	Apophis	61	861	Apophis	61.
3312 d.	30.	Sethus	50	911	Ianias	50. 1.
3362 a.	31.	Certus	29	940		
3390 c.	32.	Aseth	20	960	Assis	49. 2

Propos. 2. *Sub rege* 32, *qui* Aseth *sive* Assis *vocabatur, ad annum dierum* 360 *adjecti sunt dies* 5.

Ex Manethone docet hoc Eusebius & alii.

Propos. 3. *Id factum est fortasse anno* 3392 *Per. Iul.*

Imperatore Antonino Pio II. & Bruttio Præsente COSS. Initium anni Ægyptiaci sive primus dies mensis Thoth, & simul initium anni magni (sive cycli canicularis) fuit *a. d. XII. Kal. Aug.* ut Censorinus hodie habet, cap. XXI. Id erat anno Dion. 139, P. I. 4852. d. 21 Iul.

Diem 20 Iul. & annum 136 Dion. sumit Des-Vignoles. De die, assentimur, unitate facile inter describendum omissa, in *XII* pro *XIII Kal.* sed annum accuratissimi scriptoris, Censorini, testimonio nixum, retinemus. Etenim ab anno Dion. 136 ad 139 nulla erat anni Iuliani ab Ægyptiaco discessio. Annus insequens 140 erat intercalaris, novam discessionem afferens.

Cyclus canicularis habet annos 1461 Ægyptiacos, dierum 365. & 1460 Iulianos, dierum $365\frac{1}{4}$. Cœpit cyclus anno 4852 Per. Iul. d. 20 Iul. fer. 1. Igitur cyclus tum finitus cœperat anno 3392 Per. Iul. d. 20 Iul. fer. 3. non anno 3389. Illum annum probat Petavius

tavius & Marshamus; hunc, Des-Vignoles, qui tamen ipse, ut apparet, uter annorum verus esset, multum consideravit. Antiquiorem prætulit, citeriorem multa commendant. Non cornicum, ut ajunt, oculos configere cupio: momento non caret hæc differentia.

Regnavit Aseth annos multos, quorum quis potissimum cum anno illo 3392 Per. Iul. concurrat, ex catalogo constitui non potest.

Propos. 4. *Anni regibus Heliopolitanis adscripti fortasse fuere dierum* 360.

Syncellus eos quidem annos cum annis mundi, id est, Iulianis, dierum $365\frac{1}{4}$, copulat: sed non inde tuto colligitur, illos ad hos non demum reduci oportere. Permulta pro annis dierum 360 ante regem Aseth usitatis dicit Des-Vignoles: & ea omnia pro annis horum quoque regum militant. An etiam Manethoni annos Iulianos adscribemus, apud quem Salatis & alii eosdem annos habent, quos apud Syncellum, certe non longiores? nam menses adjicit Manethon, Syncellus non adjicit.

Propos. 5. *Israelitæ educti sunt ex Ægypto anno* 3217 *Per. Iul.*

Id demonstratum vides capite II toto, collato IV.

Propos. 6. *Hinc reges Ægyptiaci & anni eorum ad annos Per. Iul. accuratius alligantur.*

Illud, *fortasse*, quo & *tertia* propositio laborat & *quarta*, ipse regum catalogus expungere non potest: historia autem sacra, quanquam suffragium ab illo non desiderat, tamen eum adjuvat.

Annus ille 3217 Per. Iul. quo Israelitæ educti sunt ex Ægypto, si conferatur ad annum 3392 Per. Iul. quo Aseth ad annum dierum 360 dies 5 adjecit, an-

nos 360 dierum ante eam adjectionem infert, & annos ipsius Aseth figit.

Hac de causa *annos regibus adscriptos, 360 dierum, in annos Iulianos resolvimus*, & ad annos Periodi Iulianæ alligavimus. Ab anno 1 *Mizraim* ad annum 44 *Beon* sunt anni 764. dierum 360, id est, dies 275040, sive anni Iuliani 753 & dies $6\frac{3}{4}$. qui exiere anno 3217 Per. Iul. (tum certe Ægyptii in mari periere, sub pascha :) adeoque cœperunt anno 2464 P. I. circa æquinoctium vernum. Nil attinet, primos notare dies annorum eorum, in quos initia regum incidunt: trimestria ab Ian. Apr. Iul. Oct. per *a b c d* notavimus.

Examinemus catalogum, servato temporis ordine, initioque ab ipsa illa prisca dynastia facto.

Vulcanus &c.) Ex Ham, posteri ejus; ex Mizraim, ac postea ex Israelitis, Ægyptii nonnulla antediluviana audire potuerunt, quæ per hos ipsos interpolata sunt. Mathusala vixit annos 969, & proxime ante diluvium obiit: totidem annos Ægyptiaca deorum dynastia habet. Tota vero dynastia *sedecim* habet nomina: & hæc congruunt *decem* patribus ab Adamo ad Noachum, *tribus* Noachi filiis, Sem, Iapheth, Ham, quorum etiam nomina emicant, & *tribus* fratribus Mizraimi, de quo ipso mox. Rudi penicillo utimur: limatiora etiamsi eruas, quid profuerit? Annos 1183, quos tota illa dynastia refert, pro annis 360 dierum habet Des-Vignoles, eosque ad annos 1166 Iulianos reducit. Assentimur: & annos 360 dierum etiam apud reges subsequentes valere statuimus. Mundus ante diluvium stetit annos 1656. subtractis illis 1166, remanent 490, qui vel intervallum ab Adamo ad primos Ægypti colonos, vel dynastiam, ab aliis interpositam, *heroum* quindecim, inter semideos, & inter diluvium sive Chamum & Mizraimum, complectuntur. conf. Ioh. Meyeri

Meyeri diss. de *profanæ historiæ novitate ac incertitudine*, notis in Seder olam adjecta, pag. 125. Schuckfordi hist. sacr. & prof. Vol. 1. p. 15. Variæ sunt conjecturæ, vel innoxiæ, vel inutiles. Non immoramur.

Rex 1 Mestraim] Sic apud Syncellum scribitur, pro *Mizraim*. Is erat secundus *Hami* filius. Ægyptus dicitur *terra Mizraim*, imo etiam *terra Ham*. Ps. LXXVIII. 51. CV. 23. 27. Anno 2428 Per. Iul. natus est Arphaxad: sub idem tempus natum esse Chusch, & Mizraim, existimare licet. Annum 2371 Per. Iul. pro primo anno Mizraimi habet Marshamus; sed eo tempore ne Sem quidem natus erat: annum 2429 Des-Vignoles: nos, annum 2464, qui in progressu considerationis hujus stabilietur.

Rex 9 Amenemes] Anno 2792 P. I. profectus est Abraham ex Haran in terram Canaan, & paulo post in Ægyptum. Id factum est circa annum 21 hujus regis.

Rex 18 Rameses] Hoc rege, Anno 2984 P. I. Ioseph, annorum 17, in Ægyptum delatus est. Hujus regis nomen secuti sunt alii complures: & ex aliquo eorum appellata est urbs *Raamses* cum regione illa. Gen. XLVII. 11. Ex. I. 11. XII. 37. Vixit Ioseph in Ægypto annos 93, & ab ejus morte sunt anni 139 ad exitum ex Ægypto. Summa, 232. Hoc temporum tractu duæ mutationes in serie regum Ægypti notantur. Ex. I. 8. II. 23. Complures autem reges in annis illis 232 fuisse, non potest propterea negari.

Rex 19 Rameso-Menes] Anni *quindecim* regis hujus, ab æstate anni 2995 P. I. ad ver anni 3010, cum historia Iosephi suaviter congruunt. Insidias regi, novo videlicet, fecere pincerna & pistor: uterque in carcere somniant: utrique somnium interpretatur Ioseph: respondet eventus. *A fine biennii DIERVM*, Gen. XLI. 1. id est, interjecto solido biennio, coll. Num. XI. 19. 20. ipse Pharao somnium habet: Iosephus interpres exaltatur. Inde anni sic habent:

A. M.

A. M.	P. I.	
2227.	2998.	Iosephus instantes *septenos* annos ubertatis & famis prædicit: & *continuo* (Gen. XLI. 29. in Hebr. & 32.) prima messis copiosa subsequitur.
2236.	3007.	Elapsis septem annis ubertatis, & duobus famis, residui sunt quinque famis. Iacobus in Ægyptum migrat.
2239.	3010.	Rex moritur.
2240.	3011.	Septimus annus famis, in quo administratio Iosephi conciliavit Thysimarem.

Rex 20. Thysimares] Iacobus mortuus anno 3024 P. I. Sepulturæ ejus favit rex, anno regni 15. Hic *Thysimares* videtur fuisse *Timaus*, quo regnante pastores Manetho ait Ægyptum vi occupasse. Congruit similitudo nominis, & Israelitarum, a sepultura patris, reditus in Ægyptum.

Rex 22. Rameſſe Meno] Obiit Iosephus anno suo 110, P. I. 3078, anno 16 hujus regis.

Rex 23. Rameſſe-Baëtes] Hoc regnante obiit Levi, annorum 137, circ. A. 3094 Per. Iul. In *Seder olam rabba* Iosepho brevissima, Levi longissima inter fratres ætas adscribitur. cap. 3. Consummata illa generatione, crescunt Israelitæ. Ex. 16. 7. Multo antiquiorem Exodo esse hunc regem, paulo post videbimus.

Rex 24. Rameſſe-Vaphris] Rex novus, *Iosephi ignarus*. Ex I. 8. Iosephus obierat 43 ante annis, & juvenem cœpisse hunc regnare, patet ex regni diuturnitate. Hic Israelitas premere instituit. Aaron natus anno 3134 P. I. & Moses 3137. Eo triennio valde exasperata est ærumna. nam Aaron non est expositus, Moses est expositus. Rex tum regnarat annos 16. habebat filiam ea ætate, ut Mosen adoptaret.

Rex

Rex 25. Concharis] Qua propinquitate huic regi deceſſoris filia, quæ Moſen adoptarat, conjuncta fuerit, non conſtat. Non diadema, ſed *delicias & theſauros Ægypti* reliquiſſe dicitur Moſes. Concharis erat ultimus rex in ſua ſerie: cui ſubjungitur Silites cum ſucceſſoribus. Si cui prior illa ſeries minus expedita videtur, Silites tamen cum ſucceſſoribus, uſque ad Aſeth ſat firmitudinis habet.

Rex 26. Silites] Manethon, cujus fragmenta Ioſephus contra Apionem ſervat, ſcribit, in Ægyptum, regnante Timao, veniſſe *Hyc-ſos*, quos is *reges paſtores* vel *captivos* interpretatur. Primos ſex paſtorum reges adjecimus catalogo: porro eoſdem cum poſteris ait rerum potitos annis 511. & inde in Iudæam profectos *Hieroſolymam* condidiſſe. Iſraelitas aperte notat: unde etiam oppidum *Abaris*, quod condiderit *Salatis* (ſive *Silites*,) *Hebræorum* nomini reſpondet: idemque rex *frumenta* menſus, ex Ioſepho patriarcha fingitur. Annos regum Manethon, ſacerdotum Ægyptiorum princeps, ſub rege Ægypti Ptolemæo Philadelpho, ex archivis, accurate exhibet: neque tempus urbis celeberrimæ Hieroſolymæ a David captæ eum fugiebat; quamvis, quæ comperta habebat, cum interpolata Iſraelitarum Ægyptiaca hiſtoria commiſcuit. Anni 511, dierum 360, ſunt anni Iuliani 504. Regnare cœpit Silites anno 3155 P. I. adde annos 504. habes 3659, quo tempore, juxta Manethonem, Ægyptum oportet reliquerint Iſraelitæ. re enim vera anno 3661 Hieroſolyma facta eſt ſedes regni illorum.

Illud quæri poſſit, cur *Salatis* primus ſit Manethoni rex paſtorum? Tum *virtus* Moſis *in factis & dictis* increbuit, ante annum ætatis ejus 40. Multa narrat Ioſephus lib. X ant. c. 10. Nobis ſufficit teſtimonium Stephani, Act. VII. 22. Regnavit Salatis, ab anno ætatis Moſis 19 circiter ad 38. Exodum

dum nimis cito ponit Des-Vignoles sub rege 23, longo ante omnes *Hyc-sos* intervallo, quos idcirco aliter interpretatur.

Rex 27. Beon] Memorabilis rex. Regnavit annos 44, ab anno 3173 P. I. ad annum 3217. Primis ejus annis * Moses annorum 40 (Act. VII. 23.) exiit ad fratres suos: Ægyptium percussit: rege eum interficere conante, fugit, anno 3177 P. I. *In multis diebus ILLIS moritur rex Ægypti*, (Ex. II. 23, ubi *illis* refertur ad v. 11.) proxime ante Mosis ingressum ad Pharaonem, anno 3217 P. I. Nemo regum, qui infra 40 annos regnavit, huc conferendus est: & solus Beon est, qui huc conferri possit.

Multo autem memorabilior est hujus regis successor, *Pharao* ille, ceteroqui anonymus, ad quem missus est Moses. Cum quæritur, quis fuerit ille Pharao, tot Ægyptii reges opinionibus suspicionibusque interpretum appetuntur, ut numerosam dynastiam expleant: *Acherres*, *Alisphragmutosis*, *Amenophi III*, vel alius prior posteriorve, *Amosis*, *Apachnas*, *Assis*, *Bochoris*, *Cencheres*, *Ochy*, *Orus*, *Petisonius*, *Rameſſe-Baëtes*, *Themosis* sive *Tuthmosis*. Non est dubitandum, quin is inter regem 27 & 28, qui erant Beon & Apachnas, interjectus fuerit, & ab Ægyptiis historicis eorumve discipulis, ob ipsam præcipue regni brevitatem, vel etiam ob infamiam, prætermissus. Certe in ejusmodi catalogis brevitas regni, propria prætermissionis causa esse solet: omnes autem reges Ægyptii, qui circa hæc tempora nomen habent, diu regnarunt, & hujus Pharaonis perbreve fuisse regnum, multa evincunt.

In-

* *Quemadmodum non unus idemque* Pharao *fuit*, *sub quo* Abrahamus & Iosephus *in Ægyptum venit*, *quamvis inter utrumque nullius regis obitus memoretur: sic nequaquam dici potest*, *unum eundemque fuisse* Pharaonem, *sub quo* Moses *& natus sit*, *& Ægyptium percusserit.* Weltalt. p. 92.

Insigne est dictum : *Aboleberis de terra : & sane propter hoc stare feci te, quo ostendam tibi robur meum, & ut memoretur nomen meum in omni terra.* Ex. IX. 15. 16. Nil igitur aliud erat hujus regis *statio*, atque spectaculum roboris divini. Decessor obierat : hoc rege regnum capessente, Deus, exaudito Israelitarum suspirio & clamore super servitute, Mosen misit, in cujus annum octogesimum omnis ejus actio cadit usque ad ipsum exitum. Act. VII. 30. Ex. VII. 7. Tum rex cum copiis suis mari mersus est ipse. Nam in mersionis quidem descriptione rex non memoratur seorsum, sed turbæ eleganter miscetur, uti quinque reges Midian, Num. XXXI. 8. & Agag, 1 Sam XV. 3, coll. v. 9. at *currus Pharao* non sine sessore suo *periit*, & ipse *de terra est* deletus. Ipsum interiisse regem, negat Des-Vignoles, T. II p. 731. etenim quum exitum ex Ægypto nimis longe a Salomonis temporibus retrahat, regem 23, qui erat Ramesse-Baëtes, & ex 39 annis ejus annum 14 sumsit, in quem exitus ille caderet. Ignosce, magne vir : pereat potius totus regum catalogus, quam aperta Scripturæ verba violentur. Vid. Ex. XIV. 4. 6. 8. 10. 13. 17. 18 cum accentu, omnino, & 28. XV. 19. Psalm. CVI. 10. 11. denique Psalm. CXXXVI. 15. Sed tamen catalogum quoque vindicant anni dierum 360.

Rex 32. Aseth] Regnavit annos 20, qui quando cœperint aut exierint, cycli canicularis interest. (Si Manethonem audimus, qui ei annos 49 adscribit, regnare cœpit anno 3362 P. I. sed is duorum regum annos haud obscure conjungit. Anni 20 Aseth ab A. 3390 P. I. extremo mense septembri fluxere ad 3410 med. Iun. vel (si *decem menses* addas, quibus Apachnas, Ianias sive Sethus, & ipse Aseth sive Assis, a Manethone augentur,) ad 3411 med. April.

Nunc

Nunc tollitur, quicquid dubitationis superest ex propos. 3 de cyclo caniculari. nam annus 3389 P. I. exiit, antequam regi Certo succederet Aseth: sed *annus* illie 3392 initium cycli cum regno Aseth expedite conjungit.

Ab anno primo Mizraim ad ultimum annum *Aseth*, P. I. 3389. Des-Vignoles conatur exstruere periodum annorum 960, sive duos *cyclos parvos*, quorum uterque habeat annos 487, dierum 360, & 480 Iulianos. Nititur unica apud Syncellum annotatione: *Anno 5 Concharis, exierunt 700 anni, de Cyclo, quem Manethon appellat canicularem, a Mestraim.* Subleſta hæc annotatio, nescio cujus, non tantam certe vim habet, ut cyclum 480 annorum sustineat. Sic enim potius annus 20 regis 17 *Vse* notandus fuisset. Quum Concharis esset ultimus rex in serie sua, 700 anni, sive per se tota quædam summa sunt, sive pars summæ majoris, in eo notantur. Nullo vestigio cyclus a Mestraimo inchoandus deprehenditur: neque nisi unum cyclum canicularem, 1460 annos Iulianos, 1461 annos dierum 365 complexum, novit antiquitas.

Propos. 7. *Catalogum regum ita explicatum confirmant strictura Eratosthenis, Herodoti & Iosephi.*

1. Eratosthenes catalogum regum Thebæorum ex archivis Ægyptiacis in Græcam transtulit linguam, quem hac forma reddimus, additis Periodi Iulianæ annis:

Reges

REGES THEBÆI.

P. I.			anni,	coll.
2440.	1	Menes.	62	
2501.	2	Athothes F.	59	121
2559.	3	Athothes.	32	153
2591.	4	Diabies F.	19	172
2609.	5	Pemphos	18	190
2627.	6	Toegar Amachus	79	269
2705.	7	Stoechus F.	6	275
2711.	8	Goſormies	30	305
2740.	9	Mares F.	26	331
2766.	10	Anoyphes	20	351
2786.	11	Sirius	18	369
2804.	12	Chnubus Gneurus	22	391
2825.	13	Raüoſis	13	404
2838.	14	Biyris	10	414
2848.	15	Saophis	29	443
2877.	16	Sen-Saophis	27	470
2903.	17	Moſcheris	31	501
2934.	18	Muſthis	33	534
2966.	19	Pammus Archondas	35	569
3001.	20	Apappus Maximus	100	669
3099.	21	Acheſcus Ocaras	1	670
3100.	22	Nitocris	6	676
3106.	23	Myrtæus	22	698
3128.	24	Thyoſimares	12	710
3140.	25	Thymillus	8	718
3148.	26	Simphucrates	18	736
3165.	27	Chuther Taurus	7	743
3172.	28	Meuros	12	755
3184.	29	Chomaephtha	11	766
3195.	30	Anchunius	60	826
3254.	31	Penteathyris	16	842
3270.	32	Stamenemes	23	865
3293.	33	Siſtoſichermes	55	920
3347.	34	Maris	43	963
3389.	35	Siphoas, Mercurius Vulcani F.	5	968
3394.	36	Phruron, Nilus &c.		

2. Hîc quoque sunt anni dierum 360. Pauci sunt reges, de quibus aliquid subnectamus.

Rex 1. *Menes*] Magno veterum consensu *Menes* regum Ægypti est antiquissimus: ac *Mestraim* Syncello constanter idem, qui Menes. Hoc minus certum est, quam illud. Namque Mestraim annos 35 sibi assignatos habet, Menes 62. Idem annorum 35 & 62 initium quis præstabit? Herodotus ab Ægyptiis edoctus scribit, sub Mene omnem Ægyptum, præter Thebaicam provinciam, *paluſtrem* fuisse, (etenim *diluvium* paucis ante annis fuerat,) unde colligimus, prius in Ægypto superiore regnare cœpisse Menen, quam Mizraimum in inferiore. Mizraim, secundus Chami filius: Menes quis, nisi aut idem Mizraim, aut ipse Cham sive Ammon?

Ab anno 2429 P. I. & Heliopoleos & Thebarum reges incipit Des-Vignoles, *æram Ægypti* ratus hoc modo definiri: idem vero Exodum ponit anno 3069 P. I. & diluvium 797 ante annis (tom. I. p. 130.) adeoque anno 2272, ut annis demum 157. post diluvium regnare cœperit Cham, aut certe secundus Chami filius, Mizraim. Annus ille 2429 P. I. tertius erat a vero diluvii tempore. Serius, sed non multo serius, initium annorum Mizraimi & ipsius Chami fuit.

Notissima olim *Taneos* sive Zoan conditæ fuit epocha. nam per eam Moses sub exitum ex Ægypto descripsit tempus *Hebron*, septem ante *Zoan* annis ædificatæ. Num. XIII. 22. Erat illa antiquissima urbs in terra Canaan, hæc in terra Ægypti. Intervallum certe aliquod inter diluvium erat & inter Hebron a Chamitis conditam, & inde 7 *anni* ad habitationem Chami & Mizraimi in Ægypto. Sed quot post diluvium annis condita sit Hebron, non legimus.

Annus 2440 P. I. est annus 14 a diluvio: & eo tempore Mizraimus, secundus Chami filius, potuit esse

esse annorum 12. Quid autem tum acciderit, ut *Menes*, sive is Cham sive Mizraim fuit, actum aliquem vitæ suæ, Ægyptiis postea memorabilem, haberet, quis scit? potuere tum filii Noachi, recrescente genere humano, suæ quisque seorsum posteritatis principatum capere, etiam ante, quam inter se tam longe digrederentur: potuit Cham primo quoque tempore, sed tamen post maledictionem quarto ipsius filio Canaani inflictam, procul e domo paterna divelli: Potuit Canaan in regionem ex ipso postea appellatam venire, & Hebronem condere; potuit Cham cum Mizraimo in Ægyptum venire, & *Zoan* condere, & regni cunabula inter suos moliri, etiamsi Nimrod postea demum inceperit esse valens *in terra*, id est, *super alienos*. Gen. X. 8. Nil affirmamus: tantummodo reputamus, quid ii possint dicere, qui forte catalogum regum Thebæorum ad prima usque initia, defendendum putant. Iudæi divisionem gentium annis demum 340 post diluvium, sub Pelegi mortem, putant evenisse: vid. Meyer. ad Seder olam p. 234. 251 &c. Sed eam certe opinionem refutant antiquæ externarum gentium origines.

A *Minæo*, usque ad Salomonem, *plus* 1300 annos regnasse Pharaonas, scribit *Iosephus* l. VIII. ant. c. 6. Si annos partim antiquos breviores, ab Ægyptiis sumtos, partim naturales, eis annumeratos ponas, summa respondet. Cœpit *Minæus* sive *Menes* anno 2440 P. I. Inde anni 966, dierum 360, sunt usque ad epagomenas adjectas, anno P. I. 3392, & hinc porro anni 334 ad annum P. I. 3726, id est, in tempora Salomonis, qui regnavit ab A. 3694 ad 3726 & porro 3734. Sic ad hunc terminum ab anno 2440 P. I. sunt *plus* 1300 anni. Hic *Iosephi* locus redarguit interpolationes aliis ejus locis obtrusas.

Rex 11. *Sirius*] Hujus regis tempore in Ægypto fuit Abraham, sed non in Sirii ditione. Historia sacra sic habet:

Anno P. I. 2792. Abraham in Ægypto est.
2985. Ioseph in Ægyptum defertur.
2998. Somnium Pharao.
3007. Iacobi iter in Ægyptum.
3024. 3078. 3094. Mors Iacobi, Iosephi, Levi.
3134. Nativitas Aaronis.
3137. Nativitas Mosis.
3177. Moses Ægyptium occidit.
3217. Exodus.

Hæc si consideres, Heliopolitanos reges, non Thebæos, apud Mosen agnosces. Nam instante Exodo nullus Thebis tam longævus rex fuit, quam describitur Exod. II. 23. Neque Pharaonis, aquis mersi, novus Thebis successor invenitur. Aliam in partem utilis est Thebæorum regum notitia.

Rex 19. Pammus Archondas] In extrema hujus regis tempora cadit exaltatio Iosephi sub rege 19 Heliopoleos. Dices: *Pharao ille Iosephum OMNI terræ Mizraim præfecit.* Gen. XLI. 41. *Ergo eo tempore non potuere etiam Thebis reges esse.* Resp. Multarum regionum nomina primo angustiorem, deinde amplissimum tractum denotarunt. Certe Herodotus libro II docet, pridem disceptatum fuisse, quid terrarum contineretur nomine *Ægypti.* Aut *Thebæ*, tempore Iosephi, extra Ægyptum censebantur: aut tum suberat Thebæus rex regi inferioris Ægypti. Iesajæ quoque temporibus *regnum & regnum* habebat Ægyptus. cap. XIX. 2.

Rex 23. Myrtæus] Hic pro *Amyrtæo* habetur Herodoti, qui ita scribit: *Insulam, cui Elbo nomen est, nemo ante Amyrtæum potuit ἐξευρεῖν invenire. imo annos plus 700 non poterant eam ἀνευρεῖν reperire qui ante Amyrtæum fuerant reges.* Quid attinebat eam insulam tot seculis quærere, nisi aliqua ejus memoria *ex antediluviano tempore* superfuisset? Amissa erat igitur in *diluvio*,

&

& diu desiderata. A primo annorum 62, quos regnavit Menes, ad ultimum eorum, quos regnavit Myrtæus, non sunt 700 anni, ne dierum quidem 360. At a diluvio sunt anni 14 ad *Menem:* adde annos 698, dierum 360. Habes 700, eo cum excursu, ut insula illa regnante Myrtæo reperta locum haberet.

Rex 31. Penteathyris] Regnavit annos 16, quos quum Syncellus catalogum regum adornans ad annos mundi 3726 adderet, nactus est 3742. Postremam hujus summæ partem, 42, per hallucinationem, ut opinor, arripuit, & regi illi pro 16 annis adscripsit 42.

Rex 34 Maris] *Myris* Herodoto, lib. II. *Myris*, inquit, *nondum 900 annos mortuus fuerat, quum hæc ego a sacerdotibus audiebam.* Plinius ex tertio Herodoti libro aliquid referens, *eam historiam Thuriis* ab Herodoto conditam, addit. Thurios venit anno 4270 P. I. Obiit Myris anno 3389. P. I. annis Iulianis 881, annis propemodum 894, dierum 360, ante Herodotum Thurios profectum. Perpauci, ad 900, desunt anni, *intra* quos Herodotus in Ægypto versari & sacerdotes ei dicere poterant, *Myrin nondum 900 annos esse mortuum*, quanquam Athenas rediit, antequam Thurios iret, & anno 4268 historiam suam, aut aliquid ex ea, recitavit.

Triennium de regno Maris subtrahendum proponit Des - Vignoles, quo commodius digerat annos *Mercurii* & *Nili:* nos annorum numeros retinemus. Bene cohærent.

Rex 35 Siphoas, Mercurius Vulcani F.] Annum, antehac 360 dierum, nunc 5 epagomenis auctum, & regi Heliopoleos, *Aseth*, & regi Thebæo, *Mercurio*, qui etiam *Arminon* Censorini, sive *Hermes*, existimatur, idonea decernunt argumenta, apud Des-Vign. p. 773 seqq. Nil refert, uter eorum alterum sit imitatus: utrumqae admittit cyclus canicularis,

quem anno 3392 P. I. d. 20 Iulii cœpisse, propositione 3 vidimus. Eo anno regnavit *Aseth*, ut suo loco ostensum est: eodem anno regnavit *Mercurius*. Fac, Ægyptios annum 1 Meneos cœpisse d. 20 Iulii, in exortu caniculæ, Anno 2440 P. I. (etenim tuto sumitur media anni pars:) inde ad d. 20 Iul. A. 3392 P. I. sunt anni Iuliani 952. anni autem, dierum 360, propemodum 966, qui ab Epocha Meneos in medium Mercurii regnum desinunt, & huic regi epagomenas introductas & initium cycli caniculæris præclare asserunt.

Rex 36 Phruron sive *Nilus*] Hîc rursus dormitavit Syncellus, præcipue in annis Nili notandis. Des-Vignoles, quomodo Iac. Goar, Marshamus, & ipse, mederi conentur, edisserit. Primus Nili annus satis est expeditus: quot autem is annos regnarit, 5 an 19 an 24, nostra nil refert. Itaque catalogum regum hoc loco abrupimus. Succurrit *Dicæarchus*, a Nilo ad primam Olympiadem annos numerans 436. Nullum magis definitum antiquitatis testimonium de temporibus regum Thebæorum exstat, quam *bi 436 anni*: igitur eos potissimum in *æra Ægypti anno* 2440 P. I. figenda respeximus, quanquam mensis determinari non potest, nedum dies. Verum Olympiadum initium fuit anno 3830 P. I. Subtractis 436, remanent 3394. Itaque annus 3394 P. I. est annus Nili primus.

Propos. 8. *Chronologia regum Ægyptiacorum satis sibi constat.*

Respice, Lector, si vacat, methodum in utroque regum Ægyptiacorum catalogo a nobis adhibitam. Annos dierum 360, qui temporibus illis usitati foris erant, retinuimus, neque annorum numeros ulla ex parte mutavimus. Ita demum & in unam ætatem conferuntur *Aseth* & *Mercurius*, & in eum ipsum annum,

num, qui, Censorino teste, initium *cycli canicularis* & *epagomenarum*, habuit.

Eadem fuere monumenta antiqua, unde sacerdotes Ægyptii Herodotum docuere, unde Manethon suos commentarios desumsit, unde Eratosthenis catalogus est concinnatus: quemadmodumque Herodotus Eratosthenem, sic Eratosthenes, juxta cum Manethone, catalogum regum Heliopoleos comprobat.

Inter diluvium & inter Menen tantum obtinetur intervallum, quantum Hebraica veritas admittit: fuga Mosis & reditus ejus in Ægyptum in diutinum confertur regnum unius regis, sub cujus mortem Moses in Ægyptum redire jussus est: post exitum Israelitarum ex Ægypto, & Pharaonem mari mersum, Heliopoli rex novus datur.

Si quis Ægyptios reges aliquanto exactius componi posse docuerit, ei per nos liberum manet.

Sect. IV.

DE

ASSYRIIS ET CHALDAEIS.

§ I.

Assyriorum regum catalogum ab auctoribus antiquioribus protulit Iulius Africanus, ex Africano Syncellus, ex Syncello Des-Vignoles T. II. p. 163. Et hic quidem, annis Periodi Iulianæ & varietatibus Eusebianis adjectis, catalogum dedit tali forma adornatum:

REGES ASSYRII.

P. J.				Afr.	Eus.
2355	1. *Belus.*		55	55	0
2410	2. Ninus, F.		52	107	52
2462	3. Semiramis.		42	149	94
2500	4. Ninyas: Zames, F.		38	187	132
	Zameis.				
2542	5. Arius.		30	217	162
2572	6. Aralius.		40	257	202
2612	7. Xerxes.		30	287	232
2642	8 Armamithres.		38	325	270
2680	9. Belochus.		35	360	305
2715	10. Balæus.		52	412	357
2767	11. Sethos.		32	444	389
	Altadas.				
2799	12. Mamythus,		30	474	419
	Mamitus.				
2829	13. Aschalius,		28	502	
	Manca.	E. 30			449
2857	14. Sphærus.		22	524	
		E. 20			469
2879	15. Mamytus,		30	554	499
	Mamitus.				
2909	16. Sparthacus,		42	596	
	Spartetus.	E. 40			539
2951	17. Ascatades,		38	634	
	Astacadis.	E. 40.			579
2989	18. Amyntes,		45	679	624
	Amintes.				
3034	19. Belochus.		25	704	649
3059	20. Baletores,		30	734	679
	Bellepares.				
3089	21. Lamprides.	E. 32.	30	764	711
3119	22. Sosares.		20	784	731
3139	23. Lampraes,		30	814	761
	Lampares.				
3169	24. Panyas.		45	859	806
3214	25. Sosarmus;	E. 19.	22	881	825
3236	26. Mithræus,		27	908	852
	Mitreus.				
3263	27. Tautanes, E. S.		32	940	884
	Teutamus. S.				
3295	28. Teutæus.		44	984	924
		E. 40			
3339	29. *Arabelus.*		42	1026	0
3381	30. *Chalaus.*		45	1071	0

P. I.

P. I.	REGES ASSYRII.		Afr.	Euſ.
3426	31. *Anebus.*		38	1109	0
3464	32. *Babius.*		37	1146	0
3501	33. Teutamus II.		30	1176	954
	Tautanes II. S.				
	Thineus. E.				
3531	34. Dercylus.		40	1216	994
3571	35. Empacmes,		38	1254	1032
	Eupales.				
3609	36. Laoſthenes.		45	1299	1077
3654	37. Pertiades,		30	1329	1107
	Pyrit.				
3684	38. Ophratæus.		21	1350	
		E. 20			1127
3705	39. Ephecheres,		52	1402	
	Ophratenes.	E. 50.			1177
3757	40. Acraganes,		42	1444	1219
	Ocrazapes.				
3799	41. Thonus Concolerus,		15	1459	
	Gr. Sardanapalus.	E. 20.			1239

Decem regum annos Euſebius, rotunditatis fere gratia, mutat, ſic eos augens vel minuens, ut tota hæc mutatio 3 annos detrahat: ſed pluris eſt, quod regem 1 omittit, conſilio; regem 29. 30. 31. 32. caſu, per ſaltum in ſimilitudine nominum. Tota ſumma apud Euſebium habet annos 1239, apud Africanum 1459. Differentia eſt annorum 220.

§ II. Non immerito Africanus cenſetur ea, quæ apud veteres ſcriptores invenerat, curatius retuliſſe, quam Euſebius: ſed ipſi illi veteres, ab originibus Aſſyriacis tamen longiſſime remoti, nimiam Belo antiquitatem largiti ſunt. Anno P. I. 2355 fertur regnaſſe Belus: ſed ſerior fuit. * Anno 2426

* *Propter conjecturam, regem* Arium *fuiſſe* Ariochum, *& Ariochum ab* Abrahamo *occiſum, ſeries hic A. 2355 P. I. cœpta eſt, quod initium juſto ſerius eſt poſitum. Quare hic loci, ſalvis melioribus, quiddam convenientius proponam. Etiam* Caſtor Rhodius *ejusmodi confecit canonem, quo a* Nino I *ad* Ninum II.

1280

Diluvium fuit : anno 2440 Menes in Ægypto. Post diluvium genuit Chamus Chusch, Mizraim &c. Menes aut Mizraim aut Chamus ipse est: Nimrod pro Belo habetur. Menes Belo antiquior: Belus, regni majoris exemplum, una ætate, si placet, citerior.

§ III. Respice, Lector, si vacat, Assyriorum regum catalogum: nonne unus fuerit, qui habetur rex 12 & 15, eodem & nomine & annorum numero? unus item, qui habetur rex 21 & 23, eodem fere nomine, eodem plane annorum numero? Nonne hac indagine in mentem venit, unum quoque esse num. 22 & 25? &c. Idem de num. 9 & 10 vix abnuet, qui reputaverit, Caph finale in Assyriacis vocabulis servile esse. Non dicam, regem 17 & 18 idem par fuisse, atque 35 & 36, quanquam in utrisque post annos 38. anni 45 occurrunt. Modo 50 annis contractior fiat catalogus; jam locus ei erit. Quis spondet, non fuisse Periculum sive Tentamen, quod ne ipsi quidem auctori suo satisfaceret, & tamen postea ab aliis, nil melius habentibus, arriperetur? reges coævos & vicinos (coll. Gen. XIV. 1.) non fuisse pro successoribus admissos? neminem ante Africanum in addendo sumsisse sibi, quod postea in demendo sibi sumsit Eusebius? Incertissimus canonum est hic Assyriacus, ἀδέσποτος & collectitius: quo cadente, stant tamen alii, v. gr. regum Ægyptiorum, Tyriorum &c. ex archivis per scriptores nomine notos desumti; unde Eratosthenis nominatim canones *sanitatis* pridem nomine commendantur. Atque

---

1280 *annos numerat.* *Præmissis huic* 55. *annis* Beli *sive* Nimrodi, *annisque* 19 Nini II, *ablatis*, *efficiuntur* 1306 *anni*, *quæ ipsa una est ex summis illis*, *quæ tribuuntur* Ctesiæ. *Quo pacto* 106 *anni interessent inter* diluvium *&* Nimrodum, *&* 317 *annos haberet* Medorum regnum, Sardanapalum *inter &* Cyrum. *vid. Des-Vignoles Chronol. Tom. II. p.* 192. 202. 235. Weltalt. p. 127.

Atque hunc ipsum usum præbent canones ejusmodi, ubi recte se habent, ut sequiorum aliorum nimietati medeantur. In regibus quatuor, per Abrahamum devictis, vix dubium est, quin fuerit Assyrius. Fuit enim victoria amplissima. Jes. XLI. 2. Quid si *Arius* in catalogo regum idem fuerit, qui *Arioch*, rex Ellasar, in Genesi, Caph hîc quoque servili? Abraham reges devicit circa annum ætatis 83. Gen. XIV. XVI. 3. & tum *Arioch* quoque fusus vel etiam occisus fuerit Hebr. VII. 1. Id erat circ. ann. 2800 P. I. Inde talis fere exiitit rerum series:

Anno P. I.
2427. Diluvium.
2583. Belus.
2638. Ninus.
2770 — 2800. Arius.

Tali modo initium Nini collocatur *inter* speciosissimas antiquorum sententias. Orosius Ninum annis 1300 ante urbem conditam ait dominari cœpisse. l. 1. c. 4. Id esset circ. A. 2661 P. I. At antiquiorem Vellejus Ninum facit. *Imperium*, inquit, *Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant annis mille septuaginta, translatum est ad Medos, abhinc annos ferme septingentos septuaginta. quippe Sardanapalum eorum regem, mollitiis fluentem, & nimium felicem malo suo, tertio & tricesimo loco ab Nino & Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita ut semper successor regni paterni foret filius, Pharnaces Medus imperio vitaque privavit.* Idem, interjectis aliis rebus, sic habet: *Æmilius Sura de annis populi Romani: Assyrii, principes omnium gentium, rerum potiti sunt, deinde Medi, postea Persæ, deinde Macedones. exinde duobus regibus, Philippo & Antiocho, qui a Macedonibus oriundi erant, haud multo post Carthaginem subactam, devictis, summa imperii ad populum Romanum pervenit. Inter hoc tempus, & initium Nini regis Assyriorum, qui princeps rerum potitus, interfunt anni mille nongenti nonaginta*

ginta quinque. lib. I. cap. 6 & 7. Anni 1995 infra 2000 annos subsistunt, quamvis numerus alioqui mutationem subire potuit. A Vellejo, regum accipimus numerum: in annis, Sura non multum erraverit. A Nino & Semiramide apud Vellejum tertius & tricesimus est Sardanapalus; apud Africanum, nonus & tricesimus: ergo Africanus justo plures habet. Devictus est Antiochus anno, ut Vsserii Annales habent, 4524 P. I. & sequenti anno fœdus in æs est inciſum, & in capitolio dedicatum. Quod si Ninus regnare cœpit anno 2638 P. I. præcessit Antiochum annis MDCCLXXXVI, quem numerum non longe excedit numerus apud Vellejum.

Hæc non magis absona sunt, quam aliorum cogitata. In tanto externorum dissensu quis gustus de industria ejus præfert, qui quam pessime a sacra Scriptura abhorrent?

§ IV. Multo minus audiendi sunt, qui apud eundem Africanum duas ante Belum ac Ninum dynastias, unam septem Chaldæorum, alteram sex Arabum, conjunctim 440 annorum, invexerunt. Vid. G. Voss. Isag. chron. p. 36. seq.

§ V. Propius a vero absunt Historici. Apud Diodorum ab initiis Babylonici regni numerantur 1673 anni ad Cyrum, qui Astyagem cepit anno 4155 Per. Iul. ac Babylone potitus est Alexander anno 4383 Per. Iul. quo tempore Chaldæi numerabant annos, observationum astronomicarum suarum, vel etiam regni sui, 1903. Vtroque vestigio in principium rerum Babylonicarum confertur annus 2481 P. I. annis 54 post diluvium. Conveniunt hæc. nam Chami nepos, Nimrodus, principium regni sui nactus est Babelem. Gen. X. 10.

§ VI. De mundi principio Chaldæi ab Hebræis audierunt. nam ab Adamo *decimus* erat Noachus: & Chaldæi, *decem* sibi reges ante diluvium fuisse perhibue-

hibuere, intra 120 Saros, qui quidem numerus 120 annis Gen. VI. 3 respondet.

Sectio V.

DE TYRIIS.

§ I.

Iosephus tempus templi a Salomone fundati, cum *Tyro*, & cum Tyriorum colonia *Charthagine*, ita describit, ut illam annis 240 *ante* templum; hanc, propemodum 144 *post* annis conditam affirmet. lib. VIII ant. cap. 3 & 5 & lib. I. c. Apion.

II. Fundamenta templi jacta sunt anno 3697 P. I. Subtractis annis 240, *Tyrus* condita noscitur anno 3457. Recens tum erat memoria populi Israël a septenni servitute Midianitica liberati, & Iabini regis Cananæi antea, in climate Tyriis proximo, non solum devicti, sed etiam *exstirpati*. Iud. IV. 24. Is terror potuit Phœnices adigere, ut Tyrum, multo ante munitam, Ios. XIX. 29. paulatim sese reciperent, & pomœria urbis extenderent.

III. Idem Iosephus intervallum a templo Salomonis ad *Carthaginem* conditam per annos regum Tyriorum ex Menandro Ephesio, ut Menander ex monumentis Tyriis, descripsit.

IV. Tabellam hanc proponimus:

1	Hirom, Abibali filius, regnat annos	56
2	Baleazarus	17
3	Abdastratus	9
4	Nutricis filius	12
5	Astartus	12
6	Aserymus	9
7	Pheles	8 m
8	Eithopalus	32
9	Badezorus	6

10 Matgenus 9
11 Pygmalion, dum Carthago conderetur, 7.

V. De primo & secundo rege seorsum dicendum est aliquid.

Rex 1. Hirom] Apud Iosephum habet annos 53 vitæ, & 34 regni, aperto errore. Mentio fit *Hirom* sive *Hiram*, regis Tyrii, (1) tempore templi fundati, anno 4 regni Salomonis: (2) sub Hierosolymam a David 33 ante hujus obitum annis occupatam: (3) 20 post Salomonis ædificationes annis, quando Hiram oppida totidem vidit ab illo sibi data. Vnus fuit omnino Rex Hiram toto hoc tempore: 1 Reg. V. 1. IX. 10 seqq. neque is patrem habuisse ejusdem nominis dici potest ex 2 Chron. II. 13. nam artificis, non regis, ibi mentio est, coll. cap. IV 11. 16. Regnavit igitur Hiram annos propemodum 33 tempore Davidis, & annos 23 plenos tempore Salomonis. Summa, 56 anni, ad minimum. Quare apud Iosephum confunduntur anni vitæ & regni Hirom; quin etiam regni plures quam 53 erant anni: quod proximum est, accipimus, cum Petavio, annos 56. Etenim persæpe librarii Γ pro ς, & hoc loco facile $\bar{\nu}\gamma$ (53) pro $\bar{\nu}\varsigma$ (56) scripserunt. Quot vixerit annos Hiramus, nil interest ad chronologiam: regni quidem ejus annos 56 fundatio templi ita partitur, ut 36 anni eam præcedant, & 20 sequantur.

Rex 2 Baleazarus] Apud Iosephum huic obrepserunt 7 anni, (quos Iac. Kochius in Dan. sequitur, p. 126.) sed apud Theophilum Antiochenum & Syncellum remanent 17. Vni documento prævalent duo: & anni 17 ipsi Iosepho melius conveniunt, qui ad Carthaginem numerat a templo Salomonis annos 143, menses 8. ab Hirami regno, annos 155, menses 8. Fac, eum properanter menses 8 etiam pro annis 8 arripuisse; Baleazaro restitue annos 17; reliquo-

liquorum regum annos, ut Iosephus eos computat, collige, ut Hiromus habeat 34, &c. Provenient plane anni 155, menses 8. Sic Iosephi lectio sanatur: idemque in unius Hirami annis hallucinatus deprehenditur.

VI. Ceteri reges recte se habent, et inde anni a templo ad Carthaginem sic fluunt:

Hiram, a fundamentis templi jactis,	20.
Baleazarus	17.
ceteri novem,	96. 8 mens.
Summa,	133⅔ ann.

VII. Fundatum est templum anno 3697 P. I. Adde 133⅓. *Condita noscitur Carthago anno 3831 P. I.* Respondent ipsius Carthaginis tempora. Eam urbem excisam esse constat anno 4568 P. I. Quamdiu steterit, rotunde plerique norant: annos 737 definite ponit Solinus capite XXX. Ad 3831 adde 737. Habes 4568.

VIII. Nunc expedita est regum Tyri ad historiam sacram collatio.

P. I. 3661. David regnat Hierosolymis annos 33.
3662. Annus 1 Hirami, & legatio ad Davidem.
3694. David moritur: Salomo regnat.
3697. Sal. 4. Hirami 36. Templum.
3717. Sal. 24. Hirami 56. Oppida huic ab illo data.
3777 — 3809. Ithobalus, Astartes sacerdos, Pheletis interfector, rex Tyri & Sidonis: & A. 3792 — 3815 Achab rex Israel. Hic illius gener. Siccitas annorum triennii completi erat Achabi temporibus: siccitatem anni vertentis, Ithobali tempore fuisse, testatur Menander. Anno 13 Achabi cœpisse siccitatem, scribunt Hebræi: sic tota etiam in Ithobali tempora incidit.

SECTIO VI.

DE AEGYPTIIS
TEMPORE REGVM ISRAEL ET IVDA.

§ I.

In dynastia XXII, regum Bubastinorum, primus, *Sesonchis*, sive *Sisak*, regnavit annos 21, & secundus, *Osoroth*, sive *Zærach* Æthiops, annos 15. Hujus clades ingens facta est anno 11 Asæ, P. I. 3764, & inde retro ad annum 5 Roboami, quo anno *Sisak* impetum fecit, sunt anni 26, qui nos ab interitu *Zærach* sive *Osoroth* in annum 11 *Sisaki* sive *Sesonchis* ducunt. Cladem Æthiopum sub Asa Des-Vignoles in medios annos *Osoroth* confert, qui tamen ipse (ut quondam in mari Pharao) cum copiis suis interiit. 2 Chron. XIV. 12. Non ita expeditæ sunt dynastiæ regum Ægypti præcedentes & subsequentes, ut v. gr. annus 15 Osoroth alia ratione, atque per testimonium Scripturæ sacræ de ejus interitu, ad certum annum Per. Iul. alligari possit. E contrario, interitus ejus filum præbere possit ad dynastias hasce, si opus esse videatur, melius digerendas.

II. Omissis intermediis regibus, quorum anni magna apud scriptores discrepantia laborant, gradum facimus ad Dynastiam XXV & XXVI, ex qua reges quatuor & tempora eorum, apud Des-Vignoles percommode evoluta, repetimus.

P. I.

3979 — 3993. *Sevechus*, sive *So*. Ad hunc legatos misit Hosea, rex Israël, anno 6 regni, P. I. 3989.

3993 — 4011. *Tarcus*, sive *Thirhaka Æthiops*, contra regem Assyriorum movet, anno 14 Ezekiæ, Per. Iul. 4001.

4098

4098 — 4114. *Nechao.* Ei se opponit Iosias, & cadit, anno 4104 P. I.

4120 — 4145. *Apries*, sive *Hophra.* Sedekiæ opem fert, frustra, anno 4126 P. I.

SECTIO VII.

RECEPTVS.

De regibus *Syrorum*, *Medorum*, *Assyriorum* posteriorum, nil habet historia externa, quod ad Scripturam sacram conferri necesse sit. Quodque Des — Vignoles in Hophra rege Ægypti judicat, *non admittendum esse Herodoti auctoritatem, nisi in quantum potuerit conciliari cum Scriptura sacra*, t. II p. 150. id de hoc toto genere valet. Quæ diximus, sufficiunt si cetera cum Scriptura conveniunt, non tamen iis utimur; sin ei adversantur, etiam iis, quæ ex profanis adduximus, repugnant, & per eadem resutantur. Ex sacra Scriptura partim comprobatur chronologia eorum, qui foris sunt, non longe interdum discedens, partim redarguitur aut corrigitur, *Nexum* historiæ sacræ & profanæ, a temporibus extremis regum Israel usque ad ascensionem Domini, notissimo opere ornavit *Humfredus Prideaux*: cujus supplementum, quod ad tempora mundi priora attinet, *Sam. Schuckford* exhibet. Multa præclara habent tractatus illi: sed *ex abundanti* tantummodo consensio Scripturæ, sibi sufficientis, cum documentis profanis ostenditur. Scriptura est nucleus: cortex, vel putamina potius, chronologia vetus externa. Imitentur putamina formam nuclei: non magnopere mirantur aut lætantur, quibus nucleus per se & notus est & gratus. Ad ipsam *Scripturam* vindicandam nil facit chronologiæ externæ consensio: facit tamen ad *interpretationem* Scripturæ genuinam, etiam in chronologia, eaque veritatis Hebraicæ, confirmandam. Vtatur eo quilibet, quod pro sua sibi parte opus esse sentiet: cetera generose rejiciat.

DE ANNIS A MONARCHIA BABYLONICA AD EPOCHAM DIONYSIANAM.

SECTIO I.

DE ANNIS REGVM IVDA ET REGVM BABYLONIORVM CONCVRRENTIBVS.

§ I.

Anni patrum, judicum, regum Iſrael & Iuda, uſque ad Iojakimum, ſuis plane in Scriptura numeris abſolvuntur: neque in tam multis externis regibus, qui memorantur, ullus occurrit, cujus annos in toto eo tractu expreſſis numeris referri opus fuerit. Tempore captivitatis quilibet fere Iſraelita & genus ſuum uſque ad primum hominem recenſere, & annos mundi uſque ad creationem Adami expedite enumerare potuit. Magnum hodienum, quod ad annos illos mundi attinet, compendium! ſi literatis hanc Scripturæ ἀνταρχειαν hactenus ſequi integrum eſſet. Cum Iojakimi demum & Iechoniæ & Sedekiæ annis menſibuſque anni Nebucadnezaris curate notati concurrunt, donec exſpirantibus Iechoniæ annis ipſa nos Scriptura ſenſim ad documenta externa divino proviſu in mundo obvia dimittit.

§ II. Ex Scriptura hæc Tabella educitur.

	ANNO			2 Reg.	Ier.
Vaſtitas terræ prædicitur.	*Iojakim* 4.	Nebuc.	1		25, 1.
Iudaei 3023 capti.			7		52, 28.
Iechonias, poſt regnum 3 *menſium*, captus, cum 10 millibus.			8	24, 12 ſ.	
Vrbs obſeſſa, menſe 10.	*Sedekiæ* 9.				39, 1.
die 10.				25, 1.	52, 4.
Ieremias agrum emit.		10.	18		Ez 24, 1. Ier. 32, 1. 832.

832 capti.		18		52, 29.
Vrbs capta, die no.				
no *menſis*:			2. 3	
et quidem *menſis quarti*:	11			39, 2. 52, 6.
	inito poſt			
Nebuzaradan venit Hieroſolymam, et incendit urbem; menſe quinto:	Iechoniam captum Sedekiae regnantis anno 11			1, 3.
die *ſeptimo*:		19	8	
die *decimo*:				52, 12.
Gedalia occiſus, menſe ſeptimo.			25	41, 1.
745 capti.		23		52, 30.
Iechonias, menſe 12, *die* 25 benigne habitus:	anno captivitatis 37.	Evilmerodachi, anno *regnandi*:	27	
die 27 cuſtodia liberatus.		anno *regni*:		37.

§ III. Non temere accidit, ut multæ hiſtoriæ in V. T. bis referrentur. Sic enim diverſæ circumſtantiæ dupliciter inſinuantur. Exemplum dedere nobis dies decem, quos cum trimeſtri Iechoniæ regno libri Chronici memorant, libri Regum non memorant. Sic una eademque hiſtoria urbis captæ & vaſtatæ bis ponitur, videlicet 2 Reg. XXV. & Ier. LII. Primum ea periocha in libris Regum eſt perſcripta, deinde Ieremiæ libro attexta, & ad eundem accommodata.

§ IV. Tali modo complura nos Tabellæ nexus docet.

1) Anno 4 Iojakimi *exeunte* cœpit annus 1 Nebucadnezaris. Anno illius 11 *exeunte cœpit* annus 8 hujus. Regnavit Iechonias menſes 3, & Sedekias annos 11. Hi anni 11 & menſes 3 porriguntur ab anno 8 Nebucadnezaris *ineunte* ad 19 *ineuntem*.

2) Iechonias captus est verno tempore: & quia cœpit tum annus 8 Nebucadnezaris, *cœperunt* etiam ceteri anni Nebucadnezaris verno tempore.

3) Annus 19 Nebucadnezaris post captam mense quarto Hierosolymam occurrit demum in mentione mensis quinti, adeoque annum 11 Sedekiæ exeuntem vix attingit initium anni 19 Nebucadnezaris. Huc referre possis, quod dies nonus mensis (quarti) sine epitheto *quarti* notatur 2 Reg. XXV. 3. ut annus 11 Sedekiæ, ineunte vere, ante captam urbem elapsus innuatur.

4) Mensem illum 4 & 5 ita accipit Des-Vignoles, ut solido anno, post expugnationem, incensam esse urbem, censeat: Tom. I. p. 508. sed totum historiæ filum, omnia æstate una accidisse, evincit. Ier. XXXIX. 2. 8. 9. 10. (coll. cap. LII. 12-16.) XLI. 1. confer omnino cap. I. 3. & Ez. XXXIII. 21.

5) Colligitur hinc numerus annorum regni Nebucadnezaris. Regnavit ante captum Iechoniam annos 7 completos: capto Iechonia, annos 37, sic tamen, ut anno 37 exeunte incipiat annus regni Evilmerodach.

6) Vnitas anni Evilmerodacho adscripti valde est memorabilis: nam *seriem* annorum non interruptam, quos historia V. T. recenset, hic ipse annus ita terminat, ut sit primus eorum, qui ad eam seriem ex historia externa aggregandi veniunt.

SECTIO II.

DE CANONE PTOLEMÆI.

§ I.

DE annis Belsasar, Darii Medi, Cyri, Darii Persarum regis, Artaxerxis, Tiberii denique, Scriptura nonnullos citat singulatim: sed totam eorum anno-

annorum seriem, & omnes omnino annos reliquos, ut ex historia externa petendos præsupponit. Nunc igitur Scriptura nos ad externam historiam jubet excurrere. Id facimus.

§ II. Divina providentia accidisse, certo credimus, ut eo in loco, ubi in Scriptura anni contexti desinunt, anni regum externorum per alios non solum justa firmitudine, sed etiam facili compendio contexerentur.

§ III. Pertinet huc *CANON* ille mathematicus *Ptolemæi*, qui a tempore Iotham regis Iuda, ad Scripturam collatus, incipit, & annos 907 a Nabonassaro, ultra initium æræ hodienum usitatæ, ad Antoninum enumerat. Duas is Canon partes habet, quarum priorem terminat Alexander Macedo: posterior Ptolemæum habet auctorem; prior, Berosi esse existimatur, sed a Ptolemæo certe adoptata est. Recte igitur Ptolemæi totus dicitur Canon.

§ IV. Græce passim exstat: historiam, œconomiam, sinceram in numeris lectionem, firmitudinem, præclare pertractat Justus Henricus Jungmannus in Dan. lib. I. sect. III. & Alphonsus Des-Vignoles, libro V. capite maxime secundo; nos eum canonem instituto nostro accommodatum exhibemus.

CANON PTOLEMÆI.

Terminus a quo: CVRRENTE anno			Reges	Terminus ad quem: Anni singulorum:	Anni collecti:	Anni Mundi, a mensæ Sept. elapsi.
Per. Jul.	Ante æram Dion.		Assyriorum & Medorum.			
3967.	747.	Febr. 26.	Nabonassarus	14.	14.	3209.
3981.	733.	23.	Nadius.	2.	16.	3211.
3983.	731.	22.	Chinzirus & Porus	5.	21.	3216.
3988.	726.	21.	Iugaeus	5.	26.	3221.

3993.

3993.	721.		20.	Mardokempadus	12.	38.	3233.
4005.	709.		17.	Arkianus	5.	48.	3238.
4010.	704.		15.	Interregnum I	2.	45.	3240.
4012.	702.		15.	Belibus	3.	48.	3243.
4015.	699.		14.	Apronadius	6.	54.	3249.
4021.	693.		13.	Rigebelus	1.	55.	3250.
4022.	692.		12.	Meſeſſimordacus	4.	59.	3254.
4026.	688.		11.	Interregnum II	8.	67.	3262.
4034.	680.		9.	Aſſaradinus	13.	80.	3275.
4047.	667.		6.	Saoſducheus	20.	100.	3295.
4067.	647.		1.	Chyniladanus	22.	122.	3317.
4089.	625.	Ian.	27.	Nabopollaſſarus *	21.	143.	3338.
4110.	604.		21.	Nabocolaſſarus	43.	186.	3381.
4153.	561.		11.	Iluarodamus	2.	188.	3383.
4155.	559.		10.	Nericaſſolaſſarus	4.	192.	3387.
4159.	555.		9.	Nabonadius	17.	209.	3404.

Perſarum.

4176.	538.		5.	Cyrus	9.	218.	3413.
4185.	529.		3.	Cambyſes	8.	226.	3421.
4193.	521.		1.	Darius I	36.	262.	3457.
4228.	*486.	Dec.	23.	Xerxes	21.	283.	3478.
4249.	465.		17.	Artaxerxes I	41.	324.	3519.
4290.	424.		7.	Darius II	19.	343.	3538.
4309.	405.		2.	Artaxerxes II	46.	389.	3584.
4355.	359.	Nov.	21.	Ochus	21.	410.	3605.
4376.	338.		16.	Arogus	2.	412.	3607.
4378.	336.		15.	Darius III	4.	416.	3611.
4382.	332.		14.	Alexander Macedo.	8.	424.	3619.

Græ-

---

* Ioſephus *lib. 10. Ant. & lib. 1. c. Apion. pretioſum quoddam monumentum ex* Beroſo Chaldaeo *de iiſdem regibus producit, qui proximi ante* Cyrum *fuerunt, adeoque ad explicationem LXX annorum pertinent. Vi illius regnavit*

Nabopolaſſar *annos*	21.
Nebucadnezar,	43.
Evilmerodach	2.
Nerigliſſor.	4.
Laboſordach	9 *menſes*
Nabonidus	17.

Plane conſentit Canon (*excepto quod* Laboſordachum, *cujus regnum non integri erat anni, pro ſua methodo omittit*) *quo quidem pacto* Ioſephus & Canon *ſeſe mutuo præclare confirmant.* Weltalt. p. 140.

Græcorum.

4390.	324.	12.	Philippus Aridaeus	7.	431.	3626.
4397.	317.	10.	Alexander II	12.	443.	3638.

In Ægypto.

4409.	305.	7.	Ptolemaeus Lagi	20.	463.	3658.
4429.	285.	2.	Pt. Philadelphus	38.	501.	3696.
4467.	247.	Oct. 24.	Pt. Evergetes	25.	526.	3721.
4492.	222.	18.	Pt. Philopator	17.	543.	3738.
4509.	205.	13.	Pt. Epiphanes	24.	567.	3762.
4533.	181.	7.	Pt. Philometor	35.	602.	3797.
4568.	146.	Sept. 29.	Pt. Evergetes II	29.	631.	3826.
4597.	117.	21.	Pt Soter	36.	667.	3862.
4633.	81.	12.	Dionyſius	29.	696.	3891 curr.
4662.	52.	5.	Cleopatra	22.	718.	3913.

Imperatores Romanorum.

4684.	30	Aug. 31.	Auguſtus	43.	761.	3956.
4727.	A. D. 14.	20.	Tiberius	22.	783.	3978.
4749.	36.	14.	Cajus	4.	787.	3982.
4753.	40.	13.	Claudius	14.	801.	3996.
4767.	54.	10.	Nero	14.	815.	4010.
4781.	68.	6.	Veſpaſianus	10.	825.	4020.
4791.	78.	4	Titus	3.	828.	4023.
4794.	81.	3.	Domitianus	15.	843.	4038.
4809.	96.	Iul. 30.	Nerva	1.	844.	4039.
4810.	97	30.	Trajanus	19.	863.	4058.
4829.	116.	25.	Adrianus	21.	884.	4079.
4850.	137	20.	Antoninus	23.	907.	4102.

§ V. Ex quo in manibus hominum verſatur hic canon, duo potiſſimum exſtitere chronologi, qui eum alia & alia ratione ſolicitarent. Alter contrahit tempora eo comprehenſa, alter quodammodo dilatat.

§ VI. Nam ſi *I. C. Artopæum* audias, Nabopolaſſar idem fuit, qui Darius Hyſtaſpides, & Nebucadnezar idem qui Xerxes. &c. Vide inprimis Diſſ. ejus ſextam de ſummis imperiis, pag. 13 ſeq. Aſſenſum nactus eſt non tam Sam. Artopæi filii, in comm. ad Schraderum, p. 73. quam C. F. Paullini & C. Thomaſii. Rationes ejus refutavit Caſp. Abel in *Hebr. Alterth.* p. 536 ſeq. Non tam diu regnavit Nabo-

Nabopolaſſar, quam Darius Hyſtaſpides: diutius regnavit Nebucadnezar, quam Xerxes; & quum hi duo quædam habuerint ſimilia, multo plura habuere diſſimilia, vel in eo, quod alter Babylonem ornavit, alter fœdavit. Non ſolo canone Ptolemæi nititur diverſitas Nebucadnezaris & Xerxis: agnita ea eſt a chronologis ante repertum canonem, totoque teſtimonio antiquorum ſcriptorum, etiam eorum, quos Ioſephus excerpſit, nititur. Neque ita fluctuat Olympiadum ratio, ut hanc partem non ſuſtentent. Accedit ſucceſſio pontificum Hebræorum a Cyri tempore, apud Rob. Cary & Humfr. Prideaux; & aliorum regum ſeries, Ægyptiorum maxime, ſive ad reges Perſicos, ſive ad cyclum canicularem, quem capite III attigimus, conferantur.

§ VII. Contra, *Iac. Kochius* initium quidem canonis, ab aliis demonſtratum, approbavit, ſed ipſum canonis textum, per cumulatas conjecturas, ita mutandum eſſe ſtatuit, ut regnum Nebucadnezaris Anno 4099 P. I. (non 4110.) & Darii Medi Cyrique, A. 4175 (non 4176.) incipiat. Comm. Germ. in Dan. p. 131. 157 ſeqq. quo pacto in hac utiliſſima canonis parte, pro 66 annis, 76 anni producuntur. Præcipue, ne omnia repetamus, eclipſin aliquam allegat, quam una cum anno 5 Nabopolaſſari ex anno 127 Nabonaſſari in annum 109 Nabonaſſari Kepplerus & Megerlinus retraxerint: ſed hos, mendoſa canonis editione deceptos, ſolide refutavit; & Nabopolaſſari annos totumque canonem vindicavit Des-Vignoles lib. V. cap. 8.

§ VIII. Vterque, Artopæus & Kochius, Evilmerodachum non poſt mortem Nebucadnezaris, quod tamen indubium eſt, ſed inſaniente Nebucadnezare regnaſſe putant, quæ Marſhami quoque opinio fuit. Septem tempora inſaniæ pro ſeptem menſibus habet Artopæus, Kochius pro ſeptem annis. Menſes ſeptem

ptem si cum anno illo regni Evilmerodach conciliari possint, septem anni non possunt. Regnum Nebucadnezaris insanientis non dicitur administrasse filius ejus: principes potius innuuntur Dan. IV. 33. &, si filius id administraverit, cogitandum erit, vicariis regni neque regnum ipsum, neque tempus regni in Scriptura assignari solere. 2 Reg. XV. 2. 5. 33. Vnum Evilmerodachi regnum loco suo, post mortem Nebucadnezaris, restitutum, utriusque cogitata redarguit.

§ IX. Vidit Artopæus, vidit Kochius, sub finem 70 annorum Hierosolymæ luctuosorum continuo incipere lætiores LXX hebdomadas apud Danielem. Hoc verum est, ut infra ostendimus: sed illi ejusmodi rationes inierunt, a quibus ipsi abstinuissent, si meliorem quoque viam obtinendi scopi, & 70 annis 70 hebdomadas annectendi, vidissent.

§ X. Initium canonis Ptolemæi ab anno 747 ante Æ. D. sive 3967 P. I. d. 26 Febr. extra dubitationem collocarunt eruditi: unde nodus ille, cujus solutionem Alstedius in thes. chron. p. 23 desperat, hypothesibus suis impeditus, facile solvitur. Neque decursus ab illo initio ad metam usque ambiguus est.

§ XI. Iudæi, quorum æra usitata annos 182 de annis mundi detrahit, hoc uno satis refutantur. Reges Persicos, & locum Dan. XI. 2, nimis anguste accipiunt.

§ XII. Cum Canone hocce colligari poterant anni *Olympiadum*, quorum primus iniit medio anno P. I. 3938. & anni Vrbis *Romæ*, quorum primus, si Varronem sequare, cœpit anno P. I. 3961. Sed doctis illis ambagibus sine incommodo supersedemus. Si quis eas requirit, Com. Camilli de Sylvestris & Alphonsi Des-Vignoles chronologia inprimis satisfaciet.

§ XIII. Magnam totus canon opportunitatem habet. Ab anno 3967 P. I. *d 26. Febr.* sunt anni 907 ægyptiaci (dierum 365) ad annum 4873. d. 14 Iul. & 236 post diebus obiit ultimus in canone princeps Antoninus, A. D. 161. P. I. 4874. *d. 6. Martii.* Itaque ab initio canonis ad finem sunt anni Iuliani (dierum $365\frac{1}{4}$) *totidem*, nempe 907. iique, mensium, ac non dierum pauculorum ratione habita, exacti, a cal. mart. ad cal. mart. quanquam Ægyptiacos annos non solicitamus.

§ XIV. Vniformi methodo Canonem Hebraicum capite II. & Canonem Ptolemaicum, hoc capite, adornavimus: idque chronologiæ studiosis non incommodum fore speramus. Itaque annos mundi hîc quoque, ut sub initium *septembris* partim elapsos, partim currentes, adjecimus.

§ XV. Congruentia canonis cum historia sacra etiam ante Nabocolassarum reperitur in Mardokempado sive Merodacho. Regnavit is ab A. 3993 P. I. ad 4005. & anni 15, Ezekiæ divinitus additi, fluxere ab A. 4001 ad 4016. Ergo Mardokempadus post signum Ezekiæ datum vixit anno P. I. 4002. 4003. 4004. 4005. Floruit tum astronomia, ut ex Ptolemæo patet. nam eclipses in annis regum Babyloniorum a Mardokempado orditur. Eo magis regem illum umbra solis Ezekia postulante retrogressa commovere potuit.

SECTIO III.

DE LXX ANNIS,

IN QVOS CONFERRI SOLET CAPTIVITAS BABYLONICA. *

§ I.

Gravissima est periodus *annorum LXX*, qui vulgari sermone *captivitati* Babylonicæ assignantur. Ea perio-

* *In chronologia primum* historia *seorsum tota expediri debet, nec* tempora *ei* prophetica *præmature immisceri par est. In quo quidem*

periodus & per se evolvi meretur, &, dum evolvitur, *Nexus* ille, quo anni regum Iuda annique regum Babyloniorum & Persicorum conjunguntur, id est, *Cardo* chronologiæ, evidentius expeditur.

§ II. Prima annorum illorum LXX mentio facta est Ier. XXV. eo anno, qui erat Iojakimi quartus & Nebucadnezaris primus. Tum dictum est divinitus: *Et servient gentes istæ regi Babylonis LXX annis: cumque impleti erunt LXX anni, visitabo regem Babylonis &c v. 11. 12.* Deinde ad populum, qui jam Babylonem migraverat, Ieremias hæc perscripsit verba DOMINI: *Vt impleti erunt Babeli LXX anni, visitabo vos: & suscitabo super vos verbum meum bonum, & reducam vos in hunc locum.* c. XXIX. 10.

§ III. Respexerunt huc alii homines sancti. *In anno uno*, inquit Daniel, *Darii filii Ahasveros de semine Medorum, qui rex factus est super regnum Chaldæorum: In anno uno regni ejus, ego Daniel intellexi in libris: numerum annorum, quod erat verbum DOMINI ad*

---

dem a multis peccatur. idem vero a me subinde evitatum est, quicquid in eo existimetur de me. V. g. annos regum Babyloniorum & Persarum explicavi, antequam interpretatus sum LXX annos apud Ieremiam et Zachariam. *Ord. T. c. IV. sect. II & III.* Iudaei *chronologiam adornarunt, quæ cum interpretatione Scripturæ* ipsis *collibita conveniat, id quod & in* Iosepho *observari potest. Eruditi veteres Christiani ab eadem ratione non prorsus abstinuerunt. Evitando igitur partium studio maxime conducit, si a captivitate Babylonica externis gentium monumentis nitimur. Quæ deinde cum testimoniis* propheticis *consentanea reperiuntur: iis nihilominus inde eo majus accedit robur.* Zeugnis p. 61 f. *Quisquis in analysin temporum prophetic orum non ingreditur, veram tamen summam annorum mundi potest amplecti, quos ista, nulla illorum ratione habita, ad nostram usque ætatem enumerat.* Ehrenr. p. 103.

ad Ieremiam prophetam: ut complerentur vastitatibus Ierusalem septuaginta anni. Et liber 2 Chronicorum, post commemoratam Iojachini captivitatem & urbis templique vastationem in extremo sic habet: *Et deportavit reliquum de gladio Babelem; & fuere illi,* (Nebucadnezari,) *& filiis ejus, servi, donec regnaret regnum Persarum: Ad implendum verbum DOMINI per os Ieremiæ,* (*donec satisfacerent terræ sabbata sua: omnes dies desolationis requievit;*) *dum complerentur septuaginta anni. Et anno uno Cyri regis Persarum, ad consummandum verbum DOMINI per os Ieremiæ; excitavit DOMINVS spiritum Cyri regis Persarum, & præconium fieri jussit per omne regnum suum, etiam scripto, his verbis: Sic dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi DOMINVS Deus cœli: & ipse commisit mihi, ut exstrueretur sibi domus, in Ierusalem, quæ est in Iuda: quisquis in vobis est ex omni populo ejus, is propitio Iehova Deo suo ascendat.*

Fit etiam LXX annorum mentio in visione, quam habuit Zacharias *anno* 2 Darii: *Et respondit Angelus DOMINI & dixit: DOMINE exercituum, quousque tu non misereberis Ierusalem, & urbium Iuda; quum iratus es hos LXX annos?* Cap. I. 12. coll. v. 7. *Et anno 4 Darii* idem jussus est dicere: *Quum jejunastis & planxistis* (mense) *quinto & septimo, idque hos LXX annos; egone sum, cui jejunastis?* cap. VII. 5. coll. v. 1.

§ V. Sunt LXX anni apud Ieremiam: sunt LXX anni apud Zachariam. Anni LXX apud Ieremiam aliquanto prius decurrunt, quam anni LXX apud Zachariam. Vtrisque evolutis, anni LXX apud Danielem & in Chronicis, qui neque ante utrosque illos incipiunt, neque ultra extenduntur, magis patescent.

§ VI. Primum agemus de LXX annis apud *Ieremiam*, hisce aphorismis;

1. *Ini-*

1. *Initium captivitatis fuit, cum Iechonias abduceretur.*

Res ipsa loquitur: & inde annos captivitatis numerat Ezechiel, cap. I. 2. XXXIII. 21. XL. 1. & sæpius.

2. *Idem præcipue initium apud Ieremiam spectatur.*

Eorum, qui Iechoniæ tempore abducebantur, magna habetur ratio capite XXIV. & ad eos pertinebat beneficium reditûs, præ iis, qui usque ad vastationem urbis remanserunt.

3. *Anni LXX non sunt captivitatis.*

Ecquid magis in omnium ore est, quam LXX *anni captivitatis Babylonicæ?* Frequens videlicet error, e via removendus. Non fuit, inquam, captivitas LXX annorum, si ab Iechonia abducto, nedum, si ab urbe vastata, ducatur ejus initium. Vtrumque, quem descripsimus, Ieremiæ respice locum. Prior declarat, gentes, universe, *servire* debuisse regi Babel LXX annos, & verba præcedentia de *vastitate terræ* magno accentu disterminat. Idem sensus est alterius loci. Non dicitur, *ubi compleveritis Babylone LXX annos*, sed, *ubi completi erunt Babeli anni.* Dativus commodi לבבל *Babeli* notat *dominatum* Babelis florentis, cujus correlatum est *servitus.* Vt alibi aliarum gentium periodi definiuntur, sic his locis periodus Babelis notatur. Servitutem LXX annorum oportuit servire gentes, universas non diutius, singulas non tamdiu: & servitus plerumque citra transportationem sive captivitatem esse solet. Firmiter igitur & constanter negamus, populum Iudaicum LXX annos Babylone fuisse. * Annos LXX rerum

* Vitringa *interpretationem 70 annorum, quam ego tueor, vocat certam, veram, communiorem Hebræorum & Christianorum* pera

rerum potita est Babylon: annos LXX servierunt ei gentes, nec non Iudæi: & ab Iudæis quidem factum est initium. Ier. XXV. 18. 29. Anni LXX ab urbe vastata notabilem habent metam, apud Zachariam: sed apud Ieremiam prius inceperunt. Anni LXX a Iechonia capto exissent anno tertio Cambysis, cujus tempora Iudæis non ita secunda fuerunt, ut finem LXX annorum tristium ferant. Hæc ipsa opinio, quæ LXX annos captivitatis statuit & ab Iechonia deducit, multis chronologis tantas parit ærumnas.* Inprimis ei innititur non sane vera extensio Canonis mathematici, quam in filiis Nebucadnezaris adhibet cel. Kohlreiffius Chronol. sacr. p. 253. Captivitas, quam tempore Iechoniæ subiit populus, intra LXV annos soluta est.

4. *Annos LXX Scriptura a primo anno Nebucadnezaris deducit ad primum annum Cyri.*

Anno 4 Iojakimi, innectitur *annus 1* Nebucadnezar: Ier. XXV. 1. eoque ipso anno & prædicti primum sunt LXX anni, v. 11. & revera cœperunt: v. 9. 29. quare & eximia notatio temporis datur versu 3, & respectu *Iudæorum* dies *prophetæ* huic præsentissimus notatur, versu 18.* & aliis locis insignis ille

peritiorum sententiam. Hypotyp. hist. sacræ p. 63 seq. Weltalt. p. 139. *LXX anni servitutis non noviter a me excogitati sunt. A multis interpretibus agnoscuntur. Citationes* im Weltalt. p. 138. 139. 262. *horum plusquam quinquaginta notitiam offerunt.* Iudaei *quidem adhuc etiam postea regibus Persicis servierunt Neh. IX. 36, quod vero a Babylonica LXX annorum servitute gentium multo diversissimum fuit.* Zeugnis p. 91.

* *LXX annos servitutis, quæ ante vastationem cœpit, propheta demum post vastationem ponit, non quod servitus incepisset serius, sed LXX anni eo loco memorantur, quo propheta continuo*

ille annus sæpius memoratur, Ier. XXXVI. 1. XLV. 1. præsertim Ægyptiis devictis. c. XLVII. 2. **

Eo *anno*, quem Cyri *primum* historia sacra dicit, *LXX anni* certo sunt terminati: primus autem annus Cyri is demum fuit, quum prædicare potuit, *omnia regna terræ* divinitus esse sibi data.

5. *A*

---

tinuo debuit addere, quid proxime post LXX annos Regi Babelis obventurum sit. continua serie nunciabantur (1) *servitus liberorum* Hiskiae 2 *Reg. XX. 18.* (2) *LXX annorum servitus populi Ier. XXV. 11. & NB. posthæc demum* (3) *Vastatio urbis e. XXXVIII. 17 — 23. eodem ordine eventus ipsi consecuti sunt.* Zeugnis p. 88.

* *Formula*, secundum diem hunc, *Ier. XXV. 18. indicat*, prophetiam *& jamjam inchoantem* traditionem *ad vastandum* (*qualis antea quoque facta est 2 Chron. XXIX. 8.*) *tunc*, *videlicet initio LXX annorum*, *4 anno* Iojakimi, *& anno 1* Nebucadnezaris *coincidisse*, *quemadmodum Hierosolymitanis*, *ultimo* DOMINI IESV *egressu ex templo*, *domus sua* deserta relinquebatur. *Matth. XXIII. 28.* Zeugnis p. 88.

** *Istos 70 annos ab anno 4* Iojakimi, *uti ego*, *sic multi alii incipiunt*, *quos non sine caussa contra ac soleo im Weltalt. p. 138. citavi* Ehrenr. p. 102.

Vbi filius succedit patri, *annum filii primum semper a morte patris*, *nec unquam citius*, *scriptura inchoat. eaque ratio est* Nebucadnezaris, *filii* Nabopolassari, *in cujus annis libri* Regum, Ieremiae et Danielis *a se invicem non discedunt.* Nebucadnezar *quidem Dan. I. 1. 5. coll. II. 1, & Ier. XXV. 1. jam vocatur* Rex Babylonis, *sed* per anticipationem, (*quoniam suus ipsi pater magnam dederat potestatem, & quoniam certus is fuerat successor, jamque res magnas gerebat*) *namque ei tertii modo anni* Iojakimi *mentio, & nullius anni* Nebucadnezaris *adjungitur. Initium igitur triennii Dan. I. 5. aliquanto prius erat, quam initium regni* Nebucadnezaris: *hocque triennium ab ineunte* Iojakimi

5. *A primo anno Nebucadnezaris ad Cyri primum canon Ptolemæi numerat annos 70, minus 4.*

In Periodo Iuliana, Canoni adjecta, ab anno 4110 ad 4176 sunt 66. De quadriennio, considerandum.

6. *Anni 4 vel præcessere annos 66, vel secuti sunt, vel partim præcessere, partim secuti sunt.*

Si præcessere, præfigendi sunt priores 4 anni Iojakimi; quod minus commodum est: nam mox quidem post Iosiæ obitum calamitas venit, 2 Reg. XXII. 20. quem populus & civitas luctu, Ieremias cum cantoribus & cantatricibus lamentis sunt prosecuti; 2 Chron. XXXV. 24. 25. & trimestre Ioachazi regnum ad irritandum duntaxat regem Babylonis fecit, Ægyptii regis æmulum: sed anno demum illo quarto Iojakimi prædicti sunt LXX anni. Si secuti sunt, annus *primus* Cyri nimis longe ultra victoriam ejus de Babyloniis differtur. Dividendi sunt igitur, ita, ut minor pars præcedat, major sequatur.

7. *Nebucadnezar regnavit ab anno 4109. P. I. ad 4153.*

Canon Ptolemæi regnum Nebucadnezaris incipit anno 4110 P. I. d. 21. Ian. Sed ad peculiarem canonis illius methodum Scriptura non est alligata. Na-

---

jakimi *anno 3*, *per* Iojakimi *4*, *quo exeunte primus annus* Nebucadnezaris *cœpit*, *in exeuntem 5 annum* Iojakimi *decurrebat*, *quo* Nebucadnezar, *ineunte regni sui anno 2*, *somnium Colossi vidit*, *ac* Daniel *ante istius triennii exitum singulari hac occasione præsentatus Regi fuerit.* Ehrenr. p. 98. 99.

Annus 4 Iojakimi *magna sui parte elapsus fuit*, *cum primus* Nebucadnezaris *annus inciperet.* Tres *enim* anni *fuerunt a priore parte dimidia* tertii *anni* Iojakimi *ad posteriorem partem dimidiam* secundi *anni* Nebucadnezaris, *Dan. I. 1. 5. 19. II. 1.* Weltzt. p. 156.

Nabopolaſſaro anni 21 & Nabocolaſſaro anni 43 tribuuntur, junctim 64. Summa quidem vera eſt, ſed ita dividenda, ut ille annos valde incompletos nanciſcatur, hic valde completos obtineat. In omni hiſtoria facilius habentur numeri annorum ſummatim, quam dies illi, quibus alter principum decedit, alter ſuccedit. Nebucadnezaris annos extendere, adeoque Nabopolaſſari contrahere, Scripturæ nos cogit veritas. nam Evilmerodachus ineunte regno Iechoniam libertati reſtituit. Eum Nebucadnezar interjectis annis 37, anno ſuo 8, vinxerat. Ad 37 adde tantummodo 7. Regnavit Nebucadnezar annos ferme 44.

Eclipſis lunaris, quæ fuit anno Nabon. 127. P. I. 4093. d. 22 apr. remanet in anno 5 Nabopolaſſari, ſive 21 annos regnavit, ſive infra. Anno 4153 P. I. ineunte, Nebucadnezari ſucceſſiſſe Evilmerodachum, canon Ptolemæi agnoſcit.

8. *Poſt Nebucadnezaris mortem Evilmerodach & Belſaſar regnarunt uſque ad finem LXX annorum.*

Divinum erat effatum: *Servient* Nebucadnezari *omnes gentes & filio ejus & filio filii ejus, DONEC veniat tempus terræ ejus quoque.* Ier. XXVII. 7. *Poſt TE* (filioſque) *ſurget regnum aliud.* Dan. II. 39. Reſponditque eventus. *Reliqui de gladio ſervierunt regi Chaldæorum & filiis ejus, DONEC regnaret regnum Perſarum*, 2 Chron. XXXVI. 20. id eſt, per Plocen, donec regnum Perſarum antehac modicum ad monarchiæ faſtigium perveniret.

Memoratur Nebucadnezar, paſſim: Evilmerodach, rex Babel: 2 Reg. XXV. 27. & Belſaſar, rex Chaldæorum, Dan. V. 1. 30. quo loco Nebucadnezar, *pater* dicitur, id eſt, avus, v. 2. 11. 18. & Belſaſar *filius*, id eſt, nepos. v. 22. Sic enim ſeries evincit hiſtoriæ. Vtrum Evilmerodach an alius Nebucadnezaris filius fuerit pater Belſaſari, minus liquet.

Pro uno Belsasar in historia externa memoratur *Nericassolassarus* (conf. nomen, Ier. XXXIX. 3.) *Laborosoarchodus* (quem ob novem tantummodo mensium regnum prætermittit Canon Ptolemæi,) & *Nabonadius*: quorum primus fuerit gener Nabuchodonosori, non filius; secundus, filiæ, non filii filius: tertius, ne propinquus quidem, quem Cyrus Babylonico imperio exutum, Carmaniæ præfecerit.

Evilmerodach perbreve regnum habuit: unde colligas, Belsasarum tenella ætate ei successisse, & regium nomen cum luxu ei fuisse relictum a proceribus ipsum imperium gerentibus & de eo contendentibus; atque ita a Daniele annum 1 & 3 Belsasar & interitum ejus; ab externis scriptoribus pro eo alios & alia recenseri. Finge, regnum Persicum & cum superioris regis filio atque herede, & cum eo duce, qui nunc rerum potitur, uno tempore a tertio quodam haud pridem fuisse superatum; alii, ut opinor, historici, in pertexenda Persicorum regum serie, illius rationem forent habituri, alii hujus. Sic Daniel legitimum potius, quamlibet malum, regem descripsit; Berosus cum sequacibus, usurpatores regni chaldaici & tempora eorum recensuit. Et hinc mirari desinemus, quomodo Berosus multo alia de suis principibus, præsertim de Nabonido, non occiso, sed, post cladem, Carmaniæ præfecto, ac Daniel de Belsasaro ejusque cæde, scripserit. Vtut est, Daniel propheta, de regibus Chaldæorum, quibuscum ipse egit, veritatem scripsit, quicquid Berosо tribus seculis seriore & assecli ejus fiat.

Inter Evilmerodachum & Cyrum Scriptura memorat regem Chaldæorum Belsasarum: annos id ipsum spatium explentes, aliis quamlibet principibus adscriptos, externa suppeditat historia. Ita consolidantur omnia.

9. *Evil-*

9. *Evilmerodach regnavit annum completum.*

Iechoniam liberavit Evilmerodach eo anno, qui & annus appellatur, quo *regnavit* ſive regnum ſuſcepit, & annus מלכתו *regni ejus*. Ier. LII. 31. Vnde patet, ſi ultra annum regnarit, tamen eum non compleviſſe biennium. Abſolute appellatur annus, non annus primus, uti annus unus ſive primus adſcribitur Cyro & aliis. Fortaſſe regnavit *18 menſes*, pro quibus *18 anni* ſcribuntur apud Ioſephum, quem tamen Syncellus ait congruere cum ſcriptoribus *biennium* Evilmerodacho aſſignantibus. Biennium aſſignat etiam Ptolemæus.

10. *Belſaſar complures annos regnavit.*

Quanquam ultra annum regni Belſaſar tertium, Dan. VIII. 1. nullus in Scriptura memoratur, tamen multo diuturnius fuiſſe regnum ejus, ordo libri Danielis docet. Duas is partes habet:

I. Hiſtoricam, de rebus ſub Nebucadnezare. c. I-IV.
ſub Belſaſare. c. V.
ſub Dario Medo. c. VI.

II. Propheticam; de iis, quæ vidit & ex angelico ſermone cognovit:
anno Belſaſaris 1 & 3. c. VII & VIII.
anno Darii Medi 1. c. IX
anno Cyri 3. c. X-XII.

Anno 1 Darii Medi ait c. IX. 21, ſe *initio* vidiſſe Gabrielem: hunc autem viderat anno 3 Belſaſar, c. VIII. 1. 16. ſicut anno 3 Belſaſar dixit, ſe vidiſſe *initio*, quæ viderat anno 1 Belſaſar. c. VIII. 1. VII. 1. Ergo inter annum primum tertiumve Belſaſar, & inter mortem ejus, intervallum non mediocre fuit. Quot autem annos regnarit, aliunde erui debet.

II. *Belsasaris interitum continuo excepit & Darii Medi & Cyri regnum.*

Belsasare occiso, regnum accepit Darius Medus. Dan. V. 31. De nexu quidem hujus versiculi ambigunt docti, utrum cum antecedentibus, an cum consequentibus cohæreat. Cum consequentibus cohæret, quatenus & ætatem Darii commemorat, annorum 62, quorum causa per tres principes se sublevari voluit, v. 2. 3. & ea refert, quæ Danieli sub Dario acciderunt. Sed multo arctius cum antecedentibus cohæret per particulam &, quæ sæpe quidem abundat, sed hoc loco vim habet, collato c. VI. 1. ubi Daniel & non ponit, novam incipiens relationem, uti c. III. 1. V. 1 &c. Neque ubi mors unius regis & continuo accessus alterius ad regnum memoratur, de successione dubitandi causa est.

Hoc ipso loco id inprimis valet. nam cum interitu Belsasar aperte conjungitur translatio monarchiæ a Chaldæis ad Medos & Persas. c. V. Neque Chaldæis Darius Medus annumerari potest; neque Chaldæorum regnum vocavit, neque inter Belsasarem & Darium Medum quisquam regnavit.

Dario Medo conjunctus est Cyrus. Hic, Medum habuit avum maternum; ille, patrem. Erant ergo consanguinei. Ad utrumque simul pervenit Belsasaris regnum: unde Dan. VI. 28 conjunguntur. Datum enim est Medis & Persis, & quidem per divisionem, quæ verbo *Vpharsin*, *Peres*, *Perisath* notatur. c. V. 28. Datum est Medo Dario & Persæ Cyro, non ita, ut post Darium Cyrus demum rex fieret, quæ non divisio fuisset, sed successio: neque ita, ut aliæ provinciæ Dario cederent, aliæ Cyro. nam quum unus Darius in *toto* regno 120 præfectos constituit, c. VI. 1. 3. coll. c. V. 31. quid Cyro remaneret? coll. Esth. I. 1. Quod supereſt, ejusmodi fuit divisio, ut unius potestatis monarchicæ partem capesseret Darius, partem Cyrus; ille, si placet, civilem, hic militarem.

Hinc

Hinc sub Dario non solum Medorum jus allegatur, sed etiam Persarum. c. VI. 8. 12. 15. Hinc historia externa nullum inter Babylonios & Persas intervallum facit. Hinc cum fine regni Babylonici historia sacra immediate conjungit regnum Persicum. 2 Chron. XXXVI. Adeoque idem fuit & Darii Medi primus annus & Cyri primus.

Habebat Darius annos 62. ac Cyrus prope totidem; nam 7 post annis obiit septuagenarius: sed Darii non nisi unus notatur annus, Dan. IX. 1, & perbreve regnum ejus fuit. Sub idem tempus Daniel c. I. 21. scripsit: *Et erat* (ויהי) *Daniel usque ad annum primum Cyri regis.* Tum nempe librum adornavit, Iudæisque Babylone Hierosolymam revertentibus impertiit, cui postea sermonem anno 3 Cyri revelatum adjecit, cap. X—XII. Darii vix ullum, extra Danielem in historia vestigium apparet: memoriam ejus absorpsit Cyrus, qui & simul & postea floruit, quemadmodum etiam illud *Vpharsin* præ Medis ad Persas adsonabat. Itaque Cyrus anno suo primo Iudæis solus, ut de eo solo prædixerat Iesajas, reditum promulgavit, OMNIA regna terræ sibi divinitus data commemorans.

Belsasar non dicitur in ipsa Babylonis expugnatione interfectus: sed tamen interitus ejus, finis 70 annorum, initium regni Darii & Cyri, expugnatio Babylonis, liberatio Danielis a leonibus, revelatio 70 hebdomadum, liberatio Iudæorum, perbrevi spatio conveniunt, ut collatio testimoniorum, quæ ex libro 2 Chron. ex Ieremia, ex Daniele produximus, evincit: quanquam series rerum, non uno loco de scriptarum, vix potest distincte proponi. *

* Belsasar *adhuc in vivis erat, cum urbis suæ* extrema *pars occuparetur. Audiebat hoc, Ier. LI. 31, atque adeo* in medio *urbis versabatur. Congruunt apprime, quæ* Herodotus *ex recensione*

12. *Annus* 1 *Cyri est* 4179. *P. I.* *

Ex canone Ptolemæi annus 1 Cyri incipit anno 4176 P. I. d. 5 Ian. Tum nempe devicit *exercitum Babylonicum:* sed postea demum obsedit urbem ipsam, & post obsidionem non brevem cepit. Ipsum tempus urbis captæ indicat Xenophon. Scribit enim libro 8. fol. 160. Cyri pædiæ, *Cyrum hieme Babylone degere solitum 7 menses, vere Susis* (in Persida) *tres, æstate duos Ecbatanis:* & subjungit, *admodum senem Cyrum profectum esse in Persas* τὸ ἕβδομον ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἀρχῆς, *septima vice, dum rerum potiretur*, & obiisse. Septem igitur hiemes interceßere inter Babylonem captam & inter

---

sione incolarum tradit, quum extimæ urbis partes expugnarentur, mediam urbem Bacchanalia vixisse. Simul quoque tunc impium illud convivium fuit, quo nocte subsequente Belsasar *occisus & regnum ipsius* Medis & Persis *datum est Dan. V. 26 — 31.* Weltalt. p. 152.

* *Tabella sequens immotos in Scriptura temporis* Cyri *terminos, quantum satis est, comprobabit:*

A.	*Anno* 4109 *P. I.*	Nebucadn.	1. *Servitus.*
B.	4127.		19. *Vastatio urbis: Iejunium* 5, *&* 7 *mensis.*
C.	4179.	Darii Medi & Cyri	1. *Finis Servitutis.*
D.	4197.	Darii	4. *Finis Iejunii.*

Si a duobus numeris æqualibus (70 *anni sunt* AC et BD,) *duos item æquales numeros* (52 *annos* BC) *subtrahas, duo residui* (AB *&* CD) *æquales sunt.* AB, *a* 1 *ad* 19 *annum* Nebucadnezaris *sunt* 18. *anni, adeoque* CD *item sunt* 18 *anni. Annus igitur* 1 Cyri *scripturarius certo fuit A.* 4179 *P. I. prout alii quoque chronologi agnoscunt. Vid. Sylvestris Chronol. p.* 61. *Annus* 1 Cyri *in Ord. Temp. c. X. Sect. I. § X & XIX. secundum* Cyri Ptolemæi *Canonem, sed hoc loco secundum Scripturam positus est, atque hic* (*non* ille, *uti Ordo Temp. l. c. habet*) *primus quoque annus* Darii *censendus est.* Weltalt. p. 162. Zeugnis p. 94.

inter Cyri mortem. Mortuum esse constat anno 4185 P. I. in vere: Babylonem ergo ceperat anno 4178, ante hiemem utique, & quidem mense Iulio. Vid. Des-Vignoles t. 2. p. 566, ubi præcedentem annum, sed eundem statuit mensem. Tum demum potuit Cyrus dicere, *regnum terræ sibi datum esse divinitus*. Igitur annus Cyri *primus* a capta Babylone respondet anno P. I. 4178 & 4179. & hoc *primo* anno, 4179 P. I. captivitatem, &, quæ diuturnior fuerat, servitutem solvit, Iudæis libertati restitutis, qui ante mensem septimum venerunt in ipsam urbem sanctam, adeoque verno tempore Babylonem reliquerant. Ezr. III. 1. coll. cap. III. 8. VII. 9.

13. *Anni 70 apud Ieremiam sunt ab anno* 4109 *Per. Iul. ad* 4179.

Patet ex aphorismo 4. 7. 12. Tota periodus sic colligitur:

Iojakim, ab anno regni quarto, regnat annos	7
Iechonias, post regnum trimestre, in vinculis est annos	37
Evilmerodach regnat annum	1 completum.
Sunt in summa anni	45. Vnde colligas, Belsasarum regnasse annos 25.
Nebucadnezar regnavit annos	44
Evilmerodach	2 incompletos.
Niricassolassarus	4
Nabonadius	17
Cyrus, dum Iudæos libertati restituit	3
Summa	70

Breviter: partem annorum LXX majorem, ante Evilmerodachum, ipsa articulatim Scriptura refert:

fert: reſiduum eorum, profana explet hiſtoria: eoſdem univerſos Scriptura *ſummatim* comprobat.

§ VII. Anni LXX apud Zachariam, c. I. 12. VII. 5, de quibus § IV, pari ratione explicantur. Exiere LXX anni ipſo *quarto*, ut hinc ordiamur, anno Darii, ut evincit emphaſis voculæ זה c. VII. 5. coll. v. 3. *Ieiunaſtis & luxiſtis, IDQVE hos 70 annos.* * In annum lugubrem primum cecidit menſis quintus A. 4127 Per. Iul. Tum enim vaſtatum eſt cum urbe templum. Menſe 7. erat initium anni ſequentis. Inde in *annum 70* lugubrem cecidit menſis 7, (qui cum emphaſi notatur Zach. VII. 5. coll. v. 3. c. VIII. 19. ubi menſes luctuoſi ipſam urbis calamitatem reſpiciunt:) & menſis 9, (de quo ibidem verſu 1 agitur,) Anno 4196 Per. Iul. id eſt, Darii quarto.

Hoc conſtituto, ab anno 2 Darii retrorſum venitur ad initium LXX annorum, per quos iratus erat Dominus ſuper Ieruſalem & ſuper urbes Iuda, id eſt, ad obſidionem urbis. Zach. I. 12. Ier. XXXIV. 1. 7. Citius non exarſit ira ſuper Ieruſalem: nam non combuſta fuiſſet urbs, ſi ad Chaldæos exiſſet Sedekias, Ier. XXXVIII. 17. At ab obſidione, ſi non vaſtitatis, at certe vaſtationis ducitur initium. Tum ipſi incolæ domos deſtruxere, munitionis cauſa: tum exarſit ira DOMINI: tum, impedita agricul-

* *Pronomen* זה *in propria ſua ſignificatione invictum hic perſtat.* Hu *ſignificat* ille, Sæh hic. *ut* haijom hahu, *dies* ille, haijom haſſæh, *dies* hic. "Sæh, pronomen demonſtrativum Propinqui," *Coccei Lex. coll. 195.* Sæh *ponit* Moſes *ad 40 annos in deſerto, ipſo quadrageſimo anno, Deut. VIII. 2. 4. (coll. Ioſ. XIV. 10.)* David *deinceps non ponit Pſ. XCV. 10.* Sæh *præſertim ubi* Adjectivo numerali *præponitur, notat quiddam, quod ad ipſum ſermonis diem pertingit. Gen. XXXI. 39. 41. XLV. 6. Eſth. IV. 11 ſeq.* Ehrenf. p. 167.

cultura, sabbata jam agere terra cœpit. Ier. XXXIII. 4. 5. 2. Reg. XXIV. 20. 2 Chron. XXXVI. 21. Obsidionis initium erat Anno 4125 Per. Iul. exeunte, 2 Reg. XXV. 1. Inde Anno 4195 Per. Iul. mense Febr. erat terminus iræ, Zach. I. 12 s. Habes 70 annos. Rursum annos regum externa præbet historia: annosque 70 *summatim* comprobat prophetia. Si quis annos, a vastatione urbis ad annum 2 Darii, amplificandæ rei, & misericordiæ commovendæ causa, 70 pro 68 dici putat, veritati chronologicæ nil decedit. nam ab anno 9 & 11 Sedekiæ manent anni 70 ad annum 2 & 4 Darii. Initium eorum non potest ante annum 9 Sedekiæ poni: exitus eorum non potest ultra annum 4 Darii differri.

§ VIII. Nexus varios annorum in Scriptura sacra & in historia externa quærunt chronologi: unum revera Nexum, sed multiplicem, methodus exhibet Scripturæ sacræ. Is constat 70 annis apud Ieremiam, & 70 annis apud Zachariam. Vtraque summa, & in utraque anni Iojakim, Sedekiæ, Iechoniæ, annique Nebucadnezar, Evilmerodach, Cyri, Darii, singulatim & conjunctim, adamantino Nexu cohærentes, se invicem corroborant. * Ab anno demum 4 & 6 Darii series annorum apud externos unice & quæri debet & invenitur.

§ IX. Ab anno primo Nebucadnezaris annus 86 est Darii secundus: & cum his 86 annis, si 16 *postremos* demseris, concurrunt LXX anni Ier. XXV. 11. Sed LXX anni Zach. I. 12 cum iisdem 86 annis, si 16 *primos* demseris, concurrunt. Iam anni

* *Vera LXX annorum apud* Zachariam *interpretatione* Ahasveros & Arthasastha *Esr. IV. 6. 7. cum breve utriusque regimine, inter* Cyrum & Darium *obvii*, a Xerxe atque Artaxerxe *seriore cum annis regni ipsorum longioribus distinguuntur, aliâs autem nomina ista expediri non possunt.* Zeugnis p. 93.

LXX apud *Danielem*, de quibus § III, difficultatis quiddam habent: nam eos Daniel c. IX. 2 ex Ieremia repetit, & tamen ad Zachariam magis videtur accedere, Babylone ante primum Darii Medi Cyrique annum capta. * Res sic se habet: Anno 4 Iojakimi prædicti sunt per Ieremiam LXX anni potentiæ Babylonicæ, eodemque tempore illa ipsa potentia cœpit. In migrationem incidit Iechonias: qui migrarunt, melior eorum protinus conditio fuit; qui remanserunt, pejores fuere. Sedekias si obtemperasset, servitus sine urbis incendio fuisset exantlata: sed quum se obfirmarunt, urbs, ut per Ieremiam prædictum erat, vastata est, ** elapsa jam aliqua parte LXX annorum. Annis LXX completis regnare cœpit Darius Medus: & tum oravit Daniel. Vastitas ante exitum illorum LXX annorum non potuerat habere finem: imo ipsa, ob accensam DOMINI iram, ad LXX item annos rebus ipsis protrahenda erat. Completis his demum LXX annis ædificatio & initium LXX hebdomadum debebant succedere, anno 2 Darii. Alter numerus LXX annorum complexus est annos iræ in urbem, non prior: prior numerus LXX annorum fuerat prædictus, alter non erat prædictus. Illius igitur exitum in promptu erat *scire:* sed majoris *intelligentiæ* erat, horum

---

* *Loco apud Danielem difficili nemo debet abuti ad obscuranda loca apud* Ieremiam & Zachariam *clara (quæ etiam im* Starkischen *Bibelwerk recte explicantur).* Zeugnis p. 91.

** *Vocabulum* chorboth *Dan. IX. 2. proprie denotat* vastationem *urbis, ejusque mœniorum, domuum &c. quæ sub* Zedekia, *certe ante obsidionem, facta non est.* Weltalt. p. 158. *annon verbum* חרב *proprie & multo magis quam* שמם (Lev. XXVI. 43) *verbo* בזה, *id est,* vastare & ædificare, *Dan. IX. 2. 25. (uti Ez. XXXVI. 10. 33. coll. 35. 36.) oppositum sit, omnes linguæ periti existiment.* Zeugnis p. 89. coll. c. X. Sect. 1. §. XIV. n. 4.

horum exitum perſentiſcere. Perſenſit tamen Daniel propheta, quanquam nos, unde jam tum perſenſerit, non æque novimus. Ideo quum LXX anni ſervitutis in exitu eſſent, & LXX anni vaſtitatis ab exitu non longe abeſſent, enixe oravit non ſolum pro populo jam jamque liberando, ſed etiam pro urbe deinceps quam primum reædificanda. De populo, cujus liberatio in proximo erat, nil temporis deſignat angelus, ſed de urbe, cujus reædificatio ex intervallo erat ſubſecutura. Plus tribuere ſolet divina benignitas, quam petunt ſancti. Petebat Daniel, ut quam primum finiretur vaſtitas urbis. Ipſe terminus annorum LXX vaſtitatis notus ei erat. Itaque ei non ſolum declaratur, cum exitu LXX annorum fore initium ædificationis, ſed præterea indicatur, quantum ab eo termino foret intervallum ad Chriſtum. Hæc omnia conciſo ſermone complectitur præfatio illa, quam Daniel capiti IX præfixit verſu 2 tanquam clavem hiſtoricam magnæ hujus prophetiæ. Eſt oratio ſemiduplex: memorat verbum Domini ad Ieremiam, * & ſubaudit potentiam Babylonis jam finitam: memorat LXX annos vaſtitatis Ieruſalem, & ſubaudit intelligentiam propheticam ſibi ipſi datam.

§ X. Non diſſimili ſermonis figura proponuntur anni LXX 2 Chron. XXXVI. quos item § III notavimus. Aperte ii terminantur ineunte regno Perſarum. c. XXXVI. 20. 22. Profundum quidem השמה vaſtitatis, terra incolis carente, fuit ab urbe in-

* *Hieroſolymam LXX annos* in vaſtitate fore, *legimus Dan. IX. 2. & quia* Ieremias *initio LXX annorum, quos ipſe refert, jam tunc incidentem traditionem ad vaſtandum indigitat, uti ſupra ad aphoriſmum 4 vidimus not.* †: Daniel *eum allegat, quanquam LXX anni apud* Ieremiam *ante ipſam vaſtitatem cœperant.* Zeugnis p. 89.

incensa, A. 4127 Per. Iul. Nebucadn. 19, ad reditum, anno 1 Cyri, A. 4179 Per. Iul. sed *70 annos* memorat historicus sacer, eosque per Ieremiam prædictos. vid. § VI. Neque tamen ipsum terræ sabbatismum (de quo iisdem verbis scripserat Moses Lev. XXVI 34 s. 43.) LXX annorum fuisse ait, ut ex parenthesi, quam adhibuimus § III, apparet, collata parenthesi Iud. X. 8. initio.

SECTIO IV.

DE

AHASVEROS, QVI ESTHERAM DVXIT.

Sine annis Ahasueros *Linea chronologica* sibi constat: sed tamen de hoc rege aliquid dicere, non est alienum.

1. *Ahasueros non est Darius ullus aut ullus Artaxerxes.*

Satis id docet hebraica nominum scriptio.

2. *Non est Cyaxares Astyagis pater.*

Hoc quidem censet Des-Vignoles lib. 4. c. 5. § 11. Sed idem Cyaxarem regnasse docet ab A. 4079 P. I. ad 4119. & Iechoniam abductum statuit anno 4116 P. I. id est, *anno 38* Cyaxaris. Cum Iechonia abductus est Mardochæus, & postea demum Ahasueros Estheram duxit, *anno 7* regni sui: antiquior est igitur Cyaxares ille, quam Ahasueros & Esther. Anachronismi venia debetur Seni in seriore prolixi tractatus additamento: sed admonendi sunt alii.

3. *Non est Ahasueros ille, quem Darius Medus patrem habuit.*

Darii Medi pater floruit tempore regum Chaldæorum: quare non eam habuit potentiam, qua usus est Ahasueros in libro Esther. Plane post solutam

tam captivitatem rex hic fuit. namque Haman omnia in Iudæos odiosa conquirens, nil de captivitate ait. c. III. 8. Liberumque populum, ante Hamanis impetum, innuit sermo Estheræ, cap. VII. 4. & vindicta Iudæis concessa. cap. VIII. 13.

4. *Non est Ahasueros continuo post Cyrum, sive Cambyses; neque Artasastha, sive Smerdis.*

Non regnavit Cambyses 12 annos: at annus 12 Ahasueros in libro Esther memoratur. Smerdis non regnavit annum

5. *Fuit tamen rex Persicus.*

Floruit tum, quum Persæ jam Medis essent potiores. nam in toto libro Esther *Persæ* ante *Medos* laudantur. Vnus locus cap. X. 2. non obstat. nam Historia regum *Medorum & Persarum* erat liber antiquus, Mardochæi tempore continuatus.

6. *Fuit post Darium Hystaspidem.*

Susan arx pridem steterat; quanquam Daniel ibi visione fuerat, non corpore. cap. VIII. 2. Sed eam magnitudinem, quæ in libro Esther memoratur, sub Dario demum nacta est. *Susa a Dario, Hystaspis filio condita.* Plin. l. VI. c. 27.

7. *Non fuit demum post Xerxem.*

Ab ætate Iechoniæ, cum quo migravit Mardochæus, nimis longe recederetur: neque conveniunt nomina regum post Xerxem.

8. *Fuit tempore Xerxis, & quidem Xerxes ipse* *

Congruit nomen, *Ahasueros*, *Xerxes*, (vid. Hilleri Onom. p. 618 seq.) & *Esther*, Herodoto *Amestris*, Xerxis

* *Facit libellus* Esther, *ut hiatus inter reges Persarum evitetur, & series exterorum regum a* Nebucadnezare *ad* Darium Nothum *Neh. XII. 22 compleatur.* Weltall. p. 209.

Xerxis conjux, (cujus ille hiſtoriam miſere corruptam paullo poſt accepit, ac libro 7 & 9 retulit:) & amplitudo regni, provinciarum 127: unde magnifice dicitur *hic Ahaſueros* אחשורוש *qui regnavit ab India ad Cuſitidem*, parem ſua ætate non habens: quomodo Xerxes deſcribitur Dan. XI. 2. Congruit etiam annus regis 3. 7. 12. in hiſtoria ſacra. Nam inter annum 3 & 7 Xerxis, anno 6 fuit prælium ad Salamina, & poſt id prælium annos 15 vixit. A migratione Iechoniæ ad annum 12 Xerxis fuere *anni 123*. Potuit ergo Mardochæus & parvulus cum altero deportari, & ſub altero tutorem orbæ Eſtheræ agere, popularibuſque prodeſſe. Iojada, *130 annorum*, rem bene geſſit. 2 Chron. XXIV. 15.

SECTIO V.

DE RELIQVIS ANNIS

VSQVE AD EPOCHAM DIONYSIANAM.

Annus 7 & 20 & 32 Artaxerxis (Longimani) apud Ezram occurrunt, & apud Nehemiam, qui etiam Darii Nothi mentionem facit. Infra Darium Nothum non deſcendit Scriptura V. T. Sed tamen totius tractus a Dario Hyſtaſpide ad epocham uſque Dionyſianam expedita eſt ratio, & cum canone Ptolemæi congruit vis documentorum ceterorum, in pertexendis annis principum Perſicorum, Græcorum, Romanorum: ipſam vero *ſummam* annorum Scriptura etiam atque etiam comprobat. Antequam anni in Scriptura articulatim notati exeant, innectitur illis initium *70 annorum* iræ in Hieroſolymam: & finis 70 annorum iræ eſt initium *70 hebdomadum* apud Danielem, quæ ab anno illo 2 Darii uſque in annum 37 æræ Dion. porriguntur. * Sic continua obtinetur *Linea chronologica*. CAP.

* *Obſervatio multa complectens hæc eſt. In Regibus Perſicis* hiſtoria *canonica & ſeries temporum præteritorum V. T. deſinit: atque*

Caput V.

CHRONOTAXIS EVANGELICA.

Res una omnium maxime memorabilis, commoratio Filii Dei in mundo, per duos Apostolos & totidem alteros Evangelistas descripta exstat: eaque descriptio dilucidam secum fert notationem temporum. Hæc evolvemus.

§ I. *In evangelica chronologia* cardo *vertitur* universæ *chronologiæ.*

Anni ab Adamo ad Christum per se noscuntur: sed habitus eorum ad annos mundi residuos, ex quo ipsa summa annorum mundi pendet, nonnisi ex chronologia evangelica, ut in progressu videbimus, elicitur. Eo nunc circumspectius debemus incedere.

§ II. *Ea vertitur intra annos* 30 *primos Epochæ Dionysianæ, cum* 5 *annis eam prægressis.*

Tabulam vide supra.

§ III. *Primum est, ut annos baptizati & exaltati Salvatoris inveniamus.*

Hi nempe anni initia N. T. complectuntur, & circum hos, ut cernemus, desinunt LXX hebdomades apud Danielem. Etiam veteres Epocham Christianam potius a passione & morte Iesv Christi, quam a nativitate repetierunt: & ipsa historia apud Evangelistas multo magis mortem Salvatoris, quam

---

atque inde per Danielem *earum uti historia ultimorum Persiæ Regum, & Alexandri magni ejusque successorum prophetice suppletur, sic quoque nonnulla eventura usque ad* finem *mundi annectuntur. Horum vero commemoratio hic ibi sic interrupta & abrupta est, ut per Apocalypsin suppleatur. quæ omnia correspondens temporum comitatur indicium.* Weltalt. p. 199.

quam nativitatem spectat. Hujus finis erat illa. Hebr. II. 14. *

§ IV. *Characteres chronologici ab Evangelistis notati accurate debent observari, & quidem conjunctim.*

Characteres præcipui sunt: 1 Nativitas I. C. ante mortem Herodis. 2 Annus 15 imperii Tiberii, quo Iohannes baptista prædicare cœpit. 3 Anni quasi 30 ætatis I. C. quum ipse agere inciperet. Hi sufficiunt in limine: sed accedet mox character 4, Pascha passionale in fine hebdomadis. Plures alii characteres in progressu orientur. Nil horum dissimulare aut violare, hæc omnia commode resolvere debet, qui historiam evangelicam ejusque tempora recte tractasse videri velit.

§ V. *Herodes mortuus est anno Iuliano 43.*

Non docet Iosephus, quibus COSS. obierit Herodes, (nam non nisi in rebus ante victoriam Actiacam gestis consules memorat,) sed tamen obitum illum firmiter indicat. Rex a senatu romano appellatus est Herodes anno Iuliano 6, COSS. Cn. Domitio Calvino II. & C. Asinio Pollione, Olympiade 184, ut Iosephus refert l. 14 ant. c. 26. unde id priore anni parte factum patet. nam Olympias 185 ea æstate cœpit. Hierosolymis potitus est anno Iuliano 9, mense 3. COSS. M. Vipsanio Agrippa & L. Caninio Gallo, annis 27 post urbem a Pompeio captam. l. 14 ant. in extr. Ab his duobus principiis regnavit annos 37 & 34, ut idem Iosephus testatur: & utraque regni longitudo ita definit in annum Iul. 43, ut

* *Annus, quo* Christus *mortuus, in Scriptura est omnium momentosissimus & attentione dignissimus Ioh. XI. 49. 51. XVIII. 13. post LXII Septimanas Danielis mors* Christi *secuta est, atque adeo confirmatio fœderis.* Weltalt. p. 165.

ut nil detrahi, ac multo minus addi quidquam possit. Eclipsis lunæ, apud Iosephum, mortem Herodis antegressa, quæratur, licet, in exitu mensis Ianuarii. Obiisse Herodem non longe ante Pascha, totus historiæ flavianæ tenor docet. Pascha tum fuit d. 2. aprilis. Herodis tetrarchæ γενέσια, quæ Iohanni baptistæ mortem attulerunt, fuere perbrevi ante pascha. Matth. XIV. coll. Ioh. VI. 4. Hæc γενέσια quisquis non ad natalem Herodis, sed ad initium regni refert, hic certe tetrarcham ante pascha patri regi, tum mortuo, successisse, agnoscet. Atque anni, quos Herodis filii regnarunt, quosque numismata magno consensu comprobant, illum mortis annum, illud anni tempus, firmiter commonstrant. Celebris numus est, in quo legitur HPΩΔHΣ TETPAPXHΣ L. MΓ. *Herodes tetrarcha anno XLIII.* Herodes rex obiit anno Iul. 43 ante mensem Nisan, & successit Herodes tetrarcha. hujus annus 2 cœpit eodem anno Iuliano currente, & Iudaico anno ineunte: & inde annus ejus XLIII cœpit anno Iuliano 84, quo anno tetrarchiam ei ademit Caligula.

§ *VI. Initium annorum imperatoris Tiberii cadit in annum Iulianum* 59.

Obiit Augustus duobus Sextis consulibus, anno Iul. 59. A. C. 14. d. 19 Aug. Hoc constat inter omnes. Sed primos Tiberii annos duos treve nonnulli recentiores cum extremis Augusti concurrere volunt. Antiquitas omnis a morte Augusti numerat annos Tiberii. Ipse Clemens Alexandrinus, qui in contrarium allegatur, annos Augusti & Tiberii, particula ἔπειτα, *deinde*, interjecta, dirimit.

§ *VII. Ipse erat, IEsus* Christus, *quasi annorum* 30, *incipiens.*

Ita scriptum est. *Inceptionem* autem Lucas innuit, non anni 30, sed agendi. Non dicit, *Et ipse erat IEsus annum 30 incipiens*: sed, ipse erat, quasi annos

natus 30, incipiens. Itaque verbum, *erat incipiens*, absolute ponitur, uti Act. I. 22. Proprie inceptio erat in baptismo: Luc. III. 21. 23. coll. cap. IV. 1. sed tamen complures etiam alii gradus inceptionis accesserunt. Ioh. II. 11. 14. Matth. IV. 17. Omnes hosce gradus brevissimo temporis spatio emensus est Salvator: &, si quis omnes animo complectitur, inceptio non præcise, sed *quasi* in annos 30 completos conferenda venit. * Ipsum baptismum die natali Salvatoris factum esse, neque affirmare cum antiquis possum, neque negare audeo. Eo anno, quo Salvator, ut mox videbimus, baptizatus est, neomenia Tisri cum serie dierum subsequentium paullo citius fuit, quam eo anno, quo natus est. Pone, ipso die natali, pro cursu anni solaris, baptizatum esse illum: tamen *quasi* ponere Lucas potuit. Certe *quasi* particula non eam latitudinem infert, ut initium illud possimus factum putare ante initium anni 30, vel post finem anni 30. Ea enim latitudo cum scopo Lucæ, de quo mox, non consisteret. Maximam vero vim afferunt veritati, qui *aliquot* annos annis quasi 30 superaddunt. Particula *quasi* innuit, annos 30 potius incompletos fuisse, quam redundantes. Sic enim idem evangelista *quasi 8 dies*, qui Matthæo & Marco sunt *6 dies*, appellat, inclusis terminis: & Pilatus sedit in tribunali, hora *quasi* 3: IEsus crucifixus hora 3. Ioh. XIX. 14. Marc. XV. 25. Celerem Salvatoris cursum non debemus ulla temporum additione retardare.

§ VIII. *Neque nativitas Salvatoris post martium demum mensem anni Iul.* 43, *neque ætas* 30 *annorum ante mensem augustum anni Iul.* 72 *ponenda est.*

Anno

* *Si plusquam 30 anni fuissent, nempe ab A. 4710 P. I. d. 6. Ian. usque circa finem A. 4740. tum pro stilo* Lucæ *scriptum fuisset,* quasi annos 31. Weltalt. p. 164.

Anno Iul. 43 ante paſcha mortuus eſt Herodes, ut vidimus: Salvator autem antea natus eſt. Anno Iul. 59 menſe auguſto, cœpit imperare Tiberius, ut vidimus: inde 13 anni erant ad annum Iul. 72 menſe auguſto. Nemo autem annum 1 & annum 15 Tiberii ita contrahere poteſt, ut anno Iul. 72, menſe auguſto, ætatem 30 annorum I. C. repræſentet.

§ IX. *Intervallum inter mortem Herodis & inter annum* 15 *Tiberii, prima ſpecie non videntur anni* 30 *ætatis I. C. explere.*

A morte Herodis ad annos 14 poſt mortem Auguſti tranſactos, ſpatium eſt annorum $30\frac{1}{4}$ circiter: & ad hoc ipſum complura accedunt alia. nam poſt nativitatem I. C. ex oriente magi venerunt Hieroſolymam: ibi Herodem viderunt: poſtea Herodes trans Iordanem ſe contulit ad thermas apud Calliroën: inde reverſus, Hierichunte demum obiit. Porro in anno demum 15 Tiberii Iohannes prædicare cœpit, & cum jam fere curſum confeciſſet, IEſum baptizavit. Hæccine omnia in *annos quaſi* 30 cogi poſſunt?

§ X. *Remedia, a pleriſque chronologis adhibita, violenta ſunt.*

Tres ſunt cohærentes articuli: *mors Herodis, annus 15 Tiberii, anni quaſi 30 I. C.* Itaque alius Herodem anno Iuliano non 43, ſed 45 obiiſſe contendit, ut Calviſius: alius Tiberium anno Iuliano non 59, ſed 56 imperare cœpiſſe putat, ut Com. de Sylveſtris: alius ad annos quaſi 30 ætatis I. C. biennium vel amplius addit, ut Alixius. Quilibet his illisve duobus articulis ſummam facilitatem conciliat, ſed tertium eo violentius tractat, ut fit in ejuſmodi diſceptationibus. Facilis & obvia ſupereſt totius difficultatis expediendæ ratio, quæ quia unica eſt, eadem vera ſit oportet. Hæc ſequitur.

§ XI. *Lucas annum 15 Tiberii a die 1 Tisri in anno Iuliano 72 incipit.*

Nullus fere in toto anno ejusque 12 mensibus dies reperietur, in quo non reges aut principes aliqui ad imperium pervenerint. Eos singulatim dies non semper curat historia, sed sæpe annos regum ac principum ita digerit, ut cum annis communiter usitatis, qui v. gr. apud Hebræos a primo die Nisan vel Thisri incipiebant, concurrant. vid. Henr. Noris de epochis Syro-Maced. Diss. III. c. 6. & c. 8. § 2. & Ep. de numo Herodis, T. II. Op. coll. 656. Des-Vignoles t. 1. chron. p. 234 seqq. Hoc igitur etiam Lucas fecit: & hoc demum modo Herodem Tiberiumque propius committentes, nativitatem Salvatoris in confinio anni Iuliani 42 & 43, ac baptismum non plus 30 post annis in confinio anni Iulani 72 & 73 figemus.

Quodnam anni caput in annis Tiberii numerandis respexerit Lucas, quæstio est: & ad hanc resolvendam pertinet consideratio loci, ubi scripsit, vel potius quo misit librum. Τὸ κατὰ Λουκᾶν ἐγράφη ἑλληνιστὶ ΕΙΣ ἀλεξάνδρειαν τὴν μεγάλην, ut notat ex ms. Bodl. 7. Millius, & ex Paris. 6. Kusterus. Hunc ipsum Parisinum codicem, vel alias membranas veteres, in eandem sententiam allegat Montefalconius in Palæogr. Gr. fol. 306. Alexandriæ nempe erat Theophilus, cui scripsit Lucas: ut docet vetus lexicon Arabico-Syriacum, quod collegit Bar-Bahlul. vid. Harmon. evang. pag. 80. ed. 2. Hinc titulus versionis Syriacæ, cui Persica, nec non Arabica, respondent, in ea ipsa urbe librum esse scriptum ait: id quod etiam liber vetus Arabicus de Vitis IV Evang. affirmat apud Alstedium, Thes. chron. p. 104 seq. Quinque igitur annorum initia occurrunt, de

quibus

quibus ambigi possit, num inde annum 15 Tiberii inceperit evangelista: *primus* dies Thoth mobilis, *primus* dies Thoth immobilis, *primus* dies Tisri, *primus* dies sive Calendæ Ianuarii, *primus* dies Nisan.

Primus dies Nisan non potest sumi, quia inter eum diem & inter Pascha Ioh. II. multo angustius est spatium, quam ut 40 dies in deserto, & tot alia, quæ ab Iohannis baptistæ introitu acciderunt, capiat.

A Calendis quoque Ianuarii, quas Io. Dekerius probat, spatium ægre suppetit: neque caput anni Romani Lucas, ad Theophilum scribens, respexisse existimabitur.

Veteres fere vel diem 6 Ianuarii, vel diem 25 Decembris pro die natali Salvatoris habuere. Ab utroque die proxime certe abest, quisquis est, natalis verus: unde non valde dubium est, quin alteruter dierum plane cum veritate conveniat ipse, & alteri ortum dederit, die mensis Ægyptii immobilis in mobilem, vel die *VIII KL. Ian.* in diem *VIII. Id. Ian.* mutato. Pro *die 25 Decembris* major traditionis militat antiquitas. vid. Fabric. bibliogr. ant. p. 343. Præter ceteros Abul-Pharaius in hist. dyn. p. 70 ait: *Anno imperii Augusti Cæsaris 43, qui æræ Al. 39 fuit, natus est Dominus Christus ex* Maria *virgine, die martis, Canuni prioris 25.* Canun prior idem est, qui December: nec nisi anno Iuliano 42 in hoc annorum tractu dies 25 ejus mensis & feria 3 concurrunt. Itaque apud Abul-Pharajum annus Iulianus, qui ex Calendis octobribus ei cœperat esse 43, est in annum 43 Augusti transformatus: certe diem 25 Dec. comprobat. Qui diem 25 Dec. ut natalem I. C. multis ac gravibus argumentis ostenderit, commendatur inprimis Phil. a Turre, in opusculo de Mithra, cap. 6. Tutius certe statuitur, annos 30 ætatis I.

C. ante Cal. Ian. adeoque ante diem 6 Ian. sed quam minimo ante intervallo, fuisse completos.

Annum Ægyptii orsi sunt a mense Thoth, qui vel mobilis erat, in singula quadriennia annum Iulianum singulis diebus prævertens, intercalatione carens: vel immobilis, ad annum Iulianum accomodatus. Thoth mobilis hîc nil juvat: etenim ipso ejus die primo Tiberius Augusto successit. Non incommodus erat Thoth immobilis, qui semper erat d. 29 augusti, & ea tempestate, Thoth mobili mathematicis relicto, civili usu receptus erat, saltem apud Alexandrinos.

Primum tamen diem Tisri cum Iac. Cappello præferimus: quia Lucas passim rationes anni Hellenistis familiares respicit. cap. I. 5. 8. VI. 1. Act. XIII. 42. XX. 16. XXVII. 9. Hunc diem etiam ii, qui annum a die 1 Thoth inchoabant, facile ferebant. Eo anno dies 1 Tisri erat dies 20 Sept. Dices: *Tali modo unus mensis pro toto anno Tiberii primo reputatur.* Respondeo: Non modo mensem, sed diem, in fine anni, pro anno numerant Hebræi. Testimonia collegit D. Hosmannus in annot. ad hypotyposin chron. sacræ, p. 21. Hebræi, inquis, a primo Nisan, non a primo Tisri, annos ita occipiunt. Resp. Annos regum suorum a Nisan; externorum, qualis erat Tiberius, a Tisri numerant, uti docet Sam. Petitus lib. I. eclog. chron. c. 12. Certe mensem Cislev ante mensem Nisan complectitur annus 20 regis Artasastha. Neh. I. 1. II. 1.

§ *XII. Natus est Salvator anno Iuliano* 42 *exeunte; baptizatus anno Iuliano* 72 *exeunte: neque causa ulla est, quin die* 25 *Dec. natus, &* 30 *post annis ante diem* 25 *Dec. baptizatus existimetur.*

Huc redit summa eorum, quæ hactenus disseruimus: atque ita characteres, quos Evangelistæ memo-

memorant, majore jam ex parte expediimus. Manet tempus, quod Herodis morti assignatur: manet imperium post Augusti demum mortem a Tiberio susceptum: manet ipse numerus 30 annorum ætatis I. C.

Annos quasi 30 neque tardius incipere possumus; alias infra mortem Herodis detruderemur: neque citius terminare; alias annum 15 Tiberii non attingeremus. *His limitibus coarctamur: & hi limites quo sunt angustiores, eo certiorem, cogentiorem, amœniorem, semel reperti, demonstrationem faciunt.*

Ac rursus hoc intervallum omnia capit, quæ historia sacra huc confert. Anno Iuliano 42 natus est Salvator, atque a die 25 Dec. spatium habent, quæ Lucas cap. II. 21 — 38, & Matthæus cap. II. 1—18 memorat, usque ad mortem Herodis, ante Pascha, quod erat d. 2 aprilis. Currente anno Iuliano 72, certe non ante initium Tisri, prodiit Iohannes baptista: celeriter effloruit: non multo post, & quidem, si Epiphanium audimus, die 8 Novembris, qui illo anno sabbatum erat, IEsum baptizavit. * Inde spatium habent 40 dies in deserto, & insignes illi dies, quos notat Iohannes cap. I. & quidem dies testimonii erga sacerdotes & levitas, v. 19. dies, quo ostensus est Agnus Dei idemque Filius Dei: v. 29. dies Andreæ & Petri, v. 35. dies Philippi & Nathanaelis, v. 43, aliisque dies, cap. II. 1. 12, usque ad Pascha, quod erat d. 30 martii.

§ XIII. *Principia historiæ evangelicæ firma sunt.*

Principia historiæ evangelicæ dicimus, quæ in ea præconium Iohannis baptistæ antecedunt, & a Matthæo potissimum ac Luca referuntur.

* *Qui clima terræ promissæ cujusmodi sit recogitat, baptismum in Decembri non mirabitur.* Ehrenr, p, 110.

	Matth.	Luc.
Conceptio Iohannis & ipſius I. C.		I. 1—56.
Iohannis nativitas, circumciſio, nomen, incrementum		57—80.
IEſu Chriſti nativitas	I. 1—25.	II. 1—20.
nomen & circumciſio	25.	21.
repræſentatio in templo		22—38.
adorati a magis fuga in Ægyptum & reditus	II. 1—21.	
habitatio in Nazareth	22. 23.	39.
ſancta adoleſcentia		40—52.

Atque hîc 1) occurrit Ephemeria Abia, & in ejus ordine Zacharias, qui ſacerdotali fungebatur munere, quum ei Gabriel nativitatem Iohannis denunciabat. Ab hac ephemeria incipit notatio temporum in hiſtoria evangelica, & inde ſcopus Lucæ chronologicus in ea notanda elucet. Eo maxime tempore, cum Lucas ſcriberet, & ephemeriæ vigerent, veritas teſtimonii evangelici ipſo earum curſu confirmabatur. Salvatorem anno Iuliano 42 exeunte natum eſſe, oſtendimus: ejus nativitatem conceptio Iohannis baptiſtæ non minus quam 9 & 5, minus quam 10 & 6 menſibus præceſſit: Luc. I. 26. 36. II. 6. Conceptionem item Iohannis non multis diebus præceſſit functio Zachariæ & apparitio angeli Gabrielis. nam ſextus menſis ab apparitione Gabrielis erat etiam ſextus menſis a conceptione Iohannis. Luc. I. 23. 24. 26. Apparitio igitur angeli præceſſit Salvatoris nativitatem menſibus 16 circiter. In menſibus 16 judaicis ante diem 25 Dec. anni Iul. 42 tanquam natalem Salvatoris, primum ſabbatum erat d. 9 Sept. anno Iul. 41. Quo ſabbato, vix erraveris, ſi functionem Zachariæ exiſſe dicas. Conferamus ephemerias.

Sacer-

Sacerdotum multitudinem in ephemerias XXIV. distribuit David vir Dei. Per hebdomadas dispertita habebant munia, a sabbato mane ad sabbatum. In tribus festis majoribus omnes erant occupatæ: sed ei ephemeria, quæ ex ordine ministrabat, suæ utique partes inconcussæ manebant. Vid. Frid. Bern. Dachsii Not. ad Tract. Talmud. *Succa*, cap. V. §. 6. 7. 8. Itaque 24 ephemeriæ 168 diebus in orbem redibant: quos Scaliger *orbes hieraticos* appellat. Prima erat Iojaribi, Abiæ octava. Incertam per antiquiora tempora seriem faciunt Chaldæi & Antiochus: sed a Maccabaicis certe encæniis nil eam interrupit. Hebdomade ipsorum encæniorum vel ineunte vel exeunte quæ fuerit ephemeria, non constat: Iosephus autem distributionem sacerdotum in suas classes ad sua usque tempora permansisse docet; atque ineunte ephemeria Iojarib inflammatum esse templum, magno consensu testantur Hebræi. Quo ipso Lightfootus revincitur, qui ephemeriam primam semper initio mensis Nisan ac Tisri alligatam putavit, fictionem casus in Midras Coheleth & Glossa ejus pro documento amplectens historico. Hor. in Luc. p. 709. 710. Inflammatum est templum anno Iuliano 115, Dionysiano 70, ut videbimus; idque die 9 Abh, qui tum erat dies 4 Augusti, feria 7. * Ab hoc die retro

* *In ephemeriis non tam præcise diei habebatur ratio. A. 70 Sabbatum, quo templum combustum est, proprie erat 8 Abh, & 4 Aug. Æquinoctium, quod A. 70, die 22 Martii, fuit, tempore* Concilii Nicæni, *uti nostra ætate, die 20 Martii incidit: & Plenilunium Paschale vel 15 Nisan, qui anno embolimæo 1740 in diem 12 Aprilis cecidit, A. 70 fuit die 15 Aprilis. Inde 8 Abh cadit in d. 4 Aug. Idem fuit Sabbathum. argumentum proximum hoc est. Cyclus Solis stilo Iuliano 28 annis absolvitur. adeoque cum anno 70 congruit annus 1722, eo quod anni interlapsi 1652 per 28 dividuntur. A. 1722 dies 4 Aug. St. Iul.*

tro ad annum Iulianum 41 d. 15 Iulii, sunt orbes hieratici 161. & a die 15 Iulii prorsum sunt ephemeriæ 8 ad illum ipsum diem 9 Sept. circa quem ephemeriam 8, Abia, & in ea functionem Zachariæ exisse, ex Luca discimus. Etenim a die 9 Sept. (quem etiam naturale comitatur anni principium a mundo condito,) ad diem 25 Dec. anni sequentis, aptum habebant spatium dies & menses illi, qui memorantur Luc. I. 23. 24. 26. 36. 56. 57. 59. II. 6. Atque hæc ratio ephemeriarum non nisi in annum Iulianum 41 competit. nam anno Iul. 40 quatuor hebdomadibus serior fuerat ephemeria Abia, & anno Iul. 42 quatuor hebdomadibus fuit citior.

2) Annum Iulianum 42 opportunum descriptionibus asserit Iac Cappellus: certe huic anno quælibet postea Indictio *XV* respondet. Eodem anno, neque alias, locus est *Cyrenio* Syriam obtinenti. Luc. II. 2. Consulatum gessit anno Iuliano 27 C. Sentius Saturninus, A. 33 P. Quintilius Varus, A. 34 P. Sulpicius Quirinus, quem Iosephus, perinde ut Lucas, Κυρήνιον, Latinus interpres *Cyrinum*, appellant. Hi tres, post consulatum, eodem ordine Syriam obtinuere. Ac Saturnino quidem Varus successit, ut Iosephus lib. 17 ant. c. 7. docet, cum Herodes Antipatrum filium comprehenderet, capitis damnandum, ipse morbo mortique vicinus. Id factum anno Iuliano 42. Proximus annus Iulianus 43 exstat in numo, ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΚ. id est, *anno XXV*, Augustorum videlicet: aliique numi *Varum*

Iul. erat Sabbatum: ergo etiam anno 70. Weltalt. p. 174. *Monendum, quem circa diem mensis Iudaici, quo templum secundum vastatum est, im Weltalt. l. c. errorem fuisse reputavi, fortasse respectu ejus, quod* Iudæi *de illo sentiunt, non fuisse errorem.* Ehrenr. p. 106. *An A. 70. dies 4 Aug. cum die 8 sive 9 Abb coinciderit, utrumcunque* sit, *nihil illud mutat vel turbat in ephemeriis sacerdotum.* Zeugnis p. 102.

rum cum anno *XXVI* & *XXVII*, non cum præcedentibus annis referunt. Vid. Com. de Sylveſtris Chronol. p. 108 in diſſertatione copioſa & præclara de anno N. C. Quirinum multi ſub Saturnino aut ſub Varo procuratorem Iudææ fuiſſe putant: at Lucas *Quirinum* tempore deſcriptionis non Iudææ, ſed *Syriæ præfuiſſe* ſcribit. Supereſt, ut poſt deceſſionem Saturnini (cui cenſum adſcribit Tertullianus) toti provinciæ, dum Varus ſucceſſor veniret, præfuerit Quirinus. Sæpe enim tali in caſu provinciis aliquantiſper præerant legati, quæſtoresve. Atque hoc perbreve Quirini munus, quod ipſo Antipatri pereuntis tempore jam peractum eſſe potuit, & Ioſephus & alii hiſtorici facile prætermiſerunt; quamvis ne contrarium quidem quidquam produnt: neque Evangeliſtæ id docenti fidem ideo non habere debemus, quia ſolus id docet. Antea Quirinus in vicina provincia Cilicia fuit, & poſtea Romam rediit. *Decem* poſt annis provinciam Syriam iterum accepit, cum Coponio, qui Iudææ præeſſet.

3) Repræſentatio IEſu, Luc. II. 22. diebus 40 poſt nativitatem, quæ erat anno Iuliano 42 d. 25 dec. feria 3, facta eſt die *ſabbati*. Eo frequentior in templo erat cœtus, cui Simeon & Hanna IEſum prædicarent.

4) Inter diem 25 Dec. & inter diem 2 Aprilis, ſive paſcha, ſpatium habent 8 illi dies uſque ad circumciſionem, & 33 uſque ad purificationem: adventus magorum, poſt circumciſionem & nomen *IESV* vocatum: Matth. I. 25. II. 1. fuga in Ægyptum: mors Herodis: reditus ex Ægypto, eodem tempore verno, quo Iſrael olim exierat.

5) *Bimatus* parvulorum non cogit nos nativitatem Salvatoris diu ante mortem Herodis ſtatuere. Non fuit parcus Herodes, ira percitus, in fundendo ſanguine: interemit etiam *minores*, ſecundum tempus ex magis cognitum.

6) Io-

6) Ioseph ex Ægypto redux Archelaum timebat. Archelaus regno exutus est, cum IEsus esset annorum 10. Itaque IEsus anno ætatis 12 tuto iit Hierosolymam, quemadmodum parentes ejus quotannis.

7) Anno 9 æræ comm. pascha erat a die 31 martii ad d. 6 aprilis, qui erat sabbatum. Illis diebus peractis reversi sunt parentes IEsu, & post triduum in templo eum invenerunt. Id triduum erat d. 7. 8. 9. aprilis: & huic triduo respondet exacte dies crucis, sepulcri & resurrectionis, d. 7. 8. 9 aprilis; quemadmodum 40 diebus a nativitate ad repræsentationem respondent 40 dies in deserto. Luc. II. 21. 22. IV. 1. 2.

§ XIV. *Perbreve intervallum fuit inter initium præconii Iohannis Baptistæ & inter baptismum IEsu Christi.*

Anno 15 imperii Tiberii, inquit Lucas, *factum est verbum Dei ad Iohannem*: & (sub idem tempus) *Ipse erat, IEsus, quasi annos natus 30, incipiens.* Præcursoris introitum Evangelista per annos externi principis cum temporibus publice notis connectit; sed initium a Domino factum per ætatem ipsius Domini definit, decentissime. Vtraque notatio temporis intime cohæret. Iohannes, quantus quantus erat, Domino inserviebat: & tempus Iohannis missi eo tantum commemoratur, ut tempus initii a Christo facti cognoscatur.

Iohannis introitum, maximeque testimonium illud ad Hierosolymitas, Ioh. I. 19, adventus Domini severus in templum celeriter excepit. Malach. III. 1. 2: *Ecce ego mitto angelum meum, & complanabit viam ante me: & subito veniet ad templum suum Dominus, quem vos requiritis; & angelus fœderis vobis desideratus ecce venit, inquit Iehova Sabaoth. Et quis sustinebit &c.*

Sic

Sic enim habent accentus. Conf. omnino Ioh. II. 13—17. Multo igitur brevius erat ſpatium inter Iohannis introitum & inter Domini baptiſmum. Marc. I. 1. 9. Matth. III. 12. XI. 12. Act. I. 21. 22. X. 37. XIII. 24. Iohannes ſexto menſe ante IEſum natus eſt: minore etiam poſt Iohannis introitum intervallo IEſus agere cœpit. Iohannem oportuit cito ſeneſcere; quare etiam adultiores diſcipulos habuit: Luc. VII. 20. IEſum, creſcere & vigere decuit.

Quodſi temporis notationem apud Lucam divellas, totam periocham luxaveris: & ſcopus evangeliſtæ, aperte chronologicus, tum demum obtinetur, ſi agnoſcas, verſum 1 de annis Tiberii & verſum 23 de annis Ipſius IEſu arctiſſime cohærere. Neque enim in animo habuit, prodromi introitum præciſe, & initium a Domino factum in latitudine deſcribere; ſed hoc ipſum initium præcipue denotat Lucas. Iohannem tamen ſcite includit, ne quis eum quamlibet longo præceſſiſſe intervallo putet. Itaque rem magnam & ſubitam uno faſce complectitur. Conf. Luc. I. 68. 76.

Multi Iohannem ipſo primo die Tiſri prodiiſſe cenſent. Non abnuerim. Anno Iuliano 72 neomenia Tiſri erat die Sabbati, d. 20 ſept. Eo die exierunt præciſe anni 3969 a die 13 mundi, quo die multi ingreſſum peccati in mundum collocant: adeoque per Iohannem, ſi eo die prodiit, poſt elapſas 81 hebdomadas hebdomadum annalium, continuo Iubilæus N. T. eſt promulgatus. Magni ſane momenti hic erat *dies*. Luc. I. 80. Dies 1 & 2 Tiſri habet Lectiones, 1 Sam. I. 1 — II. 10. & Ier. XXXI. 2 — 20. Egregie vero convenit hymnus Hannæ & ſermo Ieremiæ: v. gr. illud, *Invenit GRATIAM IN EREMO populus reliquorum gladii.*

Ea certe anni tempeſtate populus, negotiis æſtivis perfunctus, magis vacabat: ac brevi trium menſium

sium spatio potuit parare Iohannes Domino viam, in spiritu & virtute Eliæ, apud populum avide exspectantem. Act. XIII. 24. 25. Potiore testimonii parte post baptismum Domini perfunctus est. Ioh. I & III.

§ XV. *Inter baptismum Salvatoris & inter resurrectionem ejus fuere Paschata omnino tria: eaque anno 28. 29. 30 æræ Dionysianæ.*

Hoc loco quartus character primarius, pascha passionale in fine hebdomadis, & tota ratio festorum annique judaici, cum motibus cœlestibus congruens, nobis subvenit. In toto hoc temporum tractu non nisi duo anni sunt, qui pascha habent in fine hebdomadis, annus 30 & 33 Æ. Dion. Horum igitur alteruter sumendus erit. Quæstionem illam, quo die Salvator cum discipulis, quo die Iudæi pascha ederint, infra tractabimus: huc illa quidem neutiquam pertinet. Quicquid in utramque partem dicitur, in utrumvis annum illum ex æquo convenit: neque ratio hæc alterum annum præ altero vel minus vel magis probabilem reddit.

Id certum est, in utroque anno pascha cecidisse in finem hebdomadis: sed annus 33 Æ. D. multo serior est, quam ut cum eo stare possit nativitas Salvatoris ante mortem Herodis. Est igitur annus 30 Æ. D. in cujus paschate passus est Salvator.

Ante hoc pascha, post annum Tiberii 15 ineuntem, non nisi duo paschata locum inveniunt. Tria sunt igitur inter baptismum & resurrectionem Domini: quemadmodum Iohannes tria expresse memorat. Eaque sunt anno Dion. 28. 29. 30.

Verum tempus nativitatis IEsu Christi triennio præcedit epocham Christianam usitatam: & Ipse anno ætatis 33 ejusque anni mense 4 mortuus est.

Præ-

Præstat evangelistas singulatim tantummodo sumere, quam in coagmentatione illorum plura tribus paschata statuere, id est, Monotessaron perturbare. Illa consideratio, minus perfecta est: hæc, errat.

Tempus Salvatoris nati, baptizati, mortui, ita explicatum, congruit cum testimonio, quod veteres, non sine dissonantia illi quidem, perhibent, sic tamen, ut summa ac medulla huc redeat. *Natus est Dominus noster*, inquit Irenæus, *circa 41 annum Augusti imperii.* lib. III. cap. 25. Passionem ad annum 29 vel 30 vel 31 Æræ communis referunt. In medio verum est, anno 30, COSS. L. Cassio Longino, M. Vinicio Quartino, quos Epiphanius appellat. Euthalius in martyrio Pauli, a consulatu Arcadii IV. & Honorii III. qui erat anno Dion. 396. retrorsum ad passionem I. C. numerat annos 366, & ad N. C. annos 399. Id plane comprobat rationes nostras. Calvisius ad A. M. 4511: *Circulus annorum 532, inquiunt Fasti Siculi, hoc anno* (anno Dion. 562.) *completus est, & novus de integro incipit, unde videre est, in Græcia etiam fuisse, qui computum Victorini ab anno passionis Christi* (Dion. 30.) *deductum secuti sunt.* Qui passionem in annum Dion. 33 detrudunt, toto antiquitatis testimonio refutantur. * Tria paschata cum rationi-

* Eusebius *in Chronico passionem Christi anno quidem 18* Tiberii, *qui Pascha A. Dion. 32 habet, ponit, idem vero se ipse refutat, eo quod vastationi Hierosolymæ verum annum assignat, passionemque Christi 40 annis ante factam scribit, adeoque accurate A. 30.* Julius Africanus, *ex quo* Eusebius *alias optima sua hausit, passionem Christi ex vero ponit in annum 16* Tiberii (in Euseb. *Chron. f. 77.*), *quo mea sententia de anno 30.* Dion. *iterum confirmatur.* Ehrenr. p. 107.

Newtonus *docet, diem 14 Nisan A. 32 Dion. cum die 14 Aprilis feria 2, coincidere, itemque* Iudæos *Cyclo non aberran-*

te

tionibus LXX hebdomadum apud Danielem congruere, suo loco patebit.

Agnita Brevitas & celeritas cursus, quem Salvator a baptismo ad mortem peregit, multas habet utilitates. Ea brevitas & celeritas Ipsum plane decuit: Luc. IV. 43. Ioh. IV. 34. eademque facit, ut discipuli, adolescentes, eo magis, ubi titubarunt, excusari debeant; & Domini virtus, excellenti eorum profectu, tanto magis celebranda veniat.

§ XVI. *Hinc verus historiæ evangelicæ ordo elicitur, ab introitu Iohannis usque ad ascensionem Domini.*

Hunc ordinem summatim proponi, chronologia sacra inprimis postulat. Eum itaque proponemus, per annos illos tres, eorumque partes. Notabilem anni illi inter se differentiam habent, maximasque res complectuntur. Primo anno ineunte, mittitur Iohannes. is de I. C. testatur, &, testimonio ad populum perfunctus, traditur, ipsique Domino cedit. Secundo anno ineunte, Dominus, ut Lux magna, in caliginosa Galilæa exoritur, & continuum annum ibi agit, in omnem oram circum mare Galilææ, & in ipsum mare, majestatis suæ exferens diffundensque fulgorem. Tertio anno ineunte, media scenopegia, proficiscitur Hierosolymam: in eo festo, & in encæniis, urbi illi præsentiam suam locupletissime exhibet: tum Galilæa, inde a terminis septentrionalibus, & item Peræa, peragrata, ad passionem se totum componit & confert, & reapse consummatur. Harmoniam

---

re usos fuisse: atque hinc vere ait: Annus 32 (*quasi annus Passionis*) ABSOLVTE REIICITVR, *obs. in Dan. p. 115.* ibid. p. 115.

Veteres non ii fuere pueri, qui multis nostræ ætatis hominibus fuisse videntur. ibid. p. 108.

moniam evangeliſtarum Germanico ſermone adornatam emiſi, cujus me operis non pœnitet, quamvis alii ſecure pergant quatuor paſchata venditare. Non totum hic repetam: ſed ſummam rei per evangeliſtas deſcriptæ referam.

§ *XVII. Horum annorum initia commode a menſe Tiſri ducuntur.*

A die 1 Tiſri incipiunt anni æræ Iudaicæ, qui hoc loco ſunt 3786, 3787, 3788. Nos ſimpliciter dicemus annum 1. 2. 3. in quorum medium incidit. paſcha 1. 2. 3. Primus annus, ut vidimus, a die 1 Tiſri incipit: indidem ergo incipit annus ſecundus & tertius.

§ *XVIII. In tribus hiſce annis effulgent dies certi, ab evangeliſtis dilucide notati, & totum ordinem hiſtoriæ evangelicæ ſuſtentantes.*

Vbi de annis ambiguum manet, frivolum eſt, dies ſolicite operoſeque inveſtigare: ſed ubi anni fixi ſunt, eos certe dies, quos Scriptura ad perpetuam rei memoriam notavit, eruere poſſumus & conſiderare debemus. Eos igitur dies notabimus.

ANNO I.

Æt. I. C. 30 & 31. Æ. Dion. 27 & 28.

Sept. 20. Tiſri 1. Incipit annus 15 imp. Tiberii Mart. 30. Niſan 15. Paſcha I. Ioh. II. 23.
VII. poſt ſabbatum paſchale hebdomadibus, Pentecoſte. Ioh. V. 1.

ANNO II.

Æt. I. C. 31 & 32. Æ. Dion. 28 & 29.

Sept. 18. Tiſri 10. Sabbatum & dies expiationis. Luc. IV. 16.

April. 2. Veadar 29. Sabbatum secundoprimum. Luc. VI. 1.
9. Nisan 7. Sabbatum. Luc. VI. 6.
17. 15. Pascha II. Ioh. VI. 4.

ANNO III.

Æt. I. C. 32 & 33. Æ. Dion. 29 & 30.

Oct. 11. Tisri 15. Scenopegia. Ioh. VII. 2.
Dec. 10. Cassev 25. Encænia. Ioh. X. 22.
Apr. 7. Nisan 15. Pascha III. Ioh. XVIII. 28.

Plures dies, qui pascha III præcesserunt & secuti sunt, mox videbimus. Horum dierum rationes tam firmæ sunt, quam calculi astronomici.

§ XIX. *Hinc ipse se dat ordo historiæ.*

ANNO I.

Iohannes mittitur: IEsus baptizatur, tentatur, vincit.

Ma. III. 1—IV. 11. M. I. 1—13. L. III. 1—IV. 13.

Iohannes de IEsu testatur: IEsus discipulos festivitate novo testamento digna allicit: Hierosolymam proficiscitur ad pascha: venit in Iudæam: iter facit per Samariam: Galilæam visit: Hierosolymam proficiscitur ad pentecosten.

Ioh. I. 1 — V. 47. *

ANNO II.

Iohanne tradito, IEsus in Galilæam venit: Nazarethæ, die Sabbati, eodemque Expiationis, *Annum Gratiæ* promulgat: in Capernaum habitat: prædicat:

* *Si ficus, sub qua* Nathanael (*Ioh. I. 49*) *fuit, foliis suis umbram reddidit: folia fuere ea, quibus arbor per totum annum nunquam carebat. Lightfoot Hor. Matth. 21, 19. Obs. 4.* Ehrenr. p. 109.

dicat: discipulos vocat, docet, exercet, tuetur populum benefactis & doctrina pascit: adversarios refutat.

Ma. IV. 12 — XIII. 58. M. I. 14 — VI. 13.
L. IV. 14 — IX. 6.

[Idem apud tres hos evangelistas argumentum est, sed paulo alia apud Matthæum, atque apud Marcum & Lucam series. Itaque *Trajectionis* certe aliquid est: & quidem Matthæus ordinem temporis est secutus: Marcus & Lucas, primum ea fere facta & dicta recensent, quæ adversarii non sunt insectati; deinde ea, quæ sunt insectati. Ille iter ad Gergesenos suo loco memorat: hi acta in Capernaum prius absolvunt. Quodsi Marcus & Lucas alias, atque Matthæus, historias recenserent, non cum Matthæo posset modo Marcus a Luca, modo Lucas a Marco abire, & ad Matthæum accedere. Atqui hoc uterque faciunt: easdem igitur cum Matthæo res habent. Itaque trajectionem adhibent, nullatenus incommodam, ordine temporis per Matthæum jam ostenso; parcam satis, quæ tota paucorum mensium tangit historiam; & proprio usu, quem modo innuimus, præditam. Porro si quis trajectionem a Marco & Luca in Matthæum conferre possit, non multum fuerit discriminis. Eadem certe ab utrisque memoratur febris, a qua socrus Petri est liberata, non duæ: unum *deinde* agmen ægrotorum, qui illo vespere sanati sunt, non duo: unus *deinde* paralyticus, cui peccata remisit Salvator, non duo: *deinde* unus publicanus, qui vocatus est a Domino, & socios per convivium ad Dominum adduxit, non duo: *deinde* una adversariorum murmuratio, non duæ; una contra eos defensio, non duæ: *deinde* una de jejunio quæstio, per easdem parabolas soluta, non duæ: *deinde* una aristarum frictio, non duæ: *deinde* una dextra arida sanata, non duæ: *deinde* unæ

adversariorum insidiæ, non binæ. &c. Totas ejusmodi catenas historiarum, non modo singulas historias, quas tamen ipsas, pleraſque certe, non nisi semel accidere natura rerum est passa, duplicare cogitur, qui trajectiones non agnoscit.]

Iohanne decollato, secedit IEsus: populo eum sequente, quinque millia virorum, ante pascha, quinque panibus satiat: omnes regiones peragrat: *annum gratiæ* complet.

Ma. XIV. 1 — XVI. 12. M. VI. 14 — VIII. 26. L. IX. 7 — 17. I. VI. 1 — 71.

ANNO III.

IEsus medio scenopegiæ festo Hierosolymam venit, & ultra encænia ibi manet. Tum trans Iordanem multos suos facit.

Ioh. VII. 1 — X. 42.

Apud Cæsaream Philippi nova scena panditur: atque hîc *Diarium* quoddam, vel ex parte *Tentamen* diarii, exhibemus.

			Ma.	M.	L.
Febr. 20. Schebat 28.	feria 2. IESVS ad septentrionales Galilææ terminos profectus, examinat discipulos: *Quem ipsum esse dicant?* Tum passionem prædicere instituit, 7 diebus ante transformationem.		16, 13-28	8, 27 - 9, 1	9, 18 - 27.
27. Adar 5.	feria 2. Transformatur in				

monte

			Ma.	M.	L.
		monte, 40 diebus ante passionem.	17, 1-13	2-13	28-36.
Febr. 28.	Adar 6.	feria 3. Lunaticum postridie sanat: passionem iterum prædicit.	14-23	14-32	37-45.
Mart. 9.	15	5. Pro se & Petro staterem solvi jubet: & salubres discipulis doctrinas impertit.	24-27		
			18, 1-35	33-50	46-50.
		Iter passionale fixo vultu suscipit: LXX mittit: docet.			51-13, 9.
	18. 24.	Sabbato, sanat mulierem.			10-21,
		De porta angusta monet: eodem die non in ditione Herodis, sed Hierosolymis, se moriturum, declarat.			22-35.
	25. Nisan 2.	Sabbato, sanat hydropicum: multos docet.			14, 1-18, 14.

In Peræa, docet ac sanat.
Ma. XIX. 1 — XX. 16. M. X. 1 — 31.
L. XVIII. 15 — 30.

In Iudæa, Bethaniæ, Lazarum resuscitat: Ephremi delitescit.
Ioh. XI. 1 — 57.

In via, Hierosolymam versus, de passione loquitur: Hierichunte transit.
Ma. XX. 17 — 34. M. X. 32 — 52.
L. XVIII. 31 — XIX. 28.

Sex diebus ante paſcha, ſabbato, die 9 Niſan, apr. 1. Bethaniam iterum venit IEſus.
Ioh. XII. 1—11.

HEBDOMAS MAGNA.

Feria 1. Apr. 2. Niſan 10. Regius introitus in urbem, in templum: Græcorum deſiderium: Iudæorum cæcitas: pernoctatio Bethaniæ. Ma. XXI. 1—17. M. XI. 1—11. L. XIX. 29—46. J. XII. 12—50.

2. 3. 11. Ficus arefacta: ſanctus templi uſus vindicatus: principum inſidiæ: populi auſcultatio. Ma. XXI. 18. 19. M. XI. 12—19. L. XIX. 47. 48.

3. 4. 12. Fidei virtus: auctoritas IEſu: parabolæ & quæſtiones: elenchus: viduæ oboli: ſermones de templo & urbe, ac mundo. Ma. XXI. 20--XXV. 46. M. XI. 20— XIII. 37. L. XX. 1— XXI. 38.

4. 5. 13. Principum conſultatio: pedilavium. Satanas intrat in Iudam: Iudas exit, de proditione acturus.
Ma. XXVI. 1—16. M. XIV. 1—11. L. XXII. 1—6. J. XIII. 1—30.

5. 6. 14. IEſus de ſua glorificatione loquitur: amorem commen-

mendat: Petri abnegationem prædicit.
Ioh. XIII. 31 — 38.
Petrum & Iohannem in urbem mittit: discipulos corroborat: in viam se dat.
Ma. XXVI. 17 — 19. M. XIV. 12 — 16. L. XXII. 7 — 13. J XIV. 1 — 31.
Cœna paschalis & cœna Domini.
Ma. XXVI. 20 - 30 M. XIV. 17 — 26. L. XXII. 14 — 38.

IEsus discipulorum fidem perficit: Patrem rogat.
Ioh. XV — XVII.

In montem oliveti exit: orat: capitur.
Ma. XXVI. 30—56. M. XIV. 26 — 52. L. XXII. 39 — 53. J. XVIII. 1 — 11.

Apud Caipham mortis reus judicatur; a Petro abnegatur: a ministris illuditur.
Ma. XXVI. 57 — 75. M. XIV. 53 — 72.
L. XXII. 54 — 65. J. XVIII. 12 — 27.

Fer. 6. Apr. 7. Nisan 15. Pilato traditur IEsus: Iudas perit: IEsus, Rex, accusatur: insons agnoscitur: ad supplicium, dimisso Barabba, traditur. Eductus hora III crucifigitur: &, post tenebras ab hora VI ad IX, moritur: sepelitur.

Ma. XXVII. 1 — 61. M.XV. 1 — 47 L.XXIII. 1 — 56. J. XVIII. 28 — XIX. 42.

7. 8. 16. Sabbatum : ſepulcrum cuſtoditum. Ma. XXVII. 62 — 66. L. XXIII. 56.

TERMINVS HISTORIÆ EVANGELICÆ.

Fer. 1. Apr. 9. Reſurrectio. M. XXVIII. 1 — 15. M. XVI. 1 — 14. L. XXIV. 1 — 43. J. XX. 1 — 23.

Fer. 1. 16. Thomas recuperatus. J. XX. 24 — 31.

Poſtea, piſcatura miraculoſa. J. XXI. 1 — 25.

Apparitio in monte Galilææ : mandatum de præconio evangelii : Aſcenſio in cœlum. Ma. XXVIII. 16 — 20. M. XVI. 15 — 20. L. XXIV. 44 — 53.

§ XX. *Septies in urbem ſanctam venit Salvator.*

Id factum die ætatis 40. Luc. II.
anno ætatis 12. ibid.
in tentatione, Luc. IV.
ad Paſcha, Ioh. II.
ad Pentecoſten, Ioh. V.
ad Scenopegiam, Ioh. VII.
ad Paſſionem, Ioh. XII.

Adeoque ad quodvis feſtum in Lege præſcriptum ſemel venit, & in paſcha non diu ibi manſit : in pentecoſte, diutius : a ſcenopegia, diutiſſime, ultra encænia, cui feſto, in lege non præſcripto, obiter interfuit, nullo ejus cauſa itinere ſuſcepto. Eoque tempore

tempore dixerunt Iudæi: *Quamdiu animam noſtram tollis?* Ioh. X. 22. 24. Iter tempore ſcenopegiæ erat penultimum.

§ XXI. *Hos annos & hanc ſeriem comprobat ſapientiſſima Salvatoris in ſabbatis & feſtis diebus alluſio* ad lectiones Moſis & Prophetarum,** & tota hiſtoriæ compages.*

Illuſtria loca cernemus, ordine temporis.

Matth. IV. 1 ſeqq.

Moſes in *deſerto*, anno 40. menſe 11. die 1. Deuteronomion populo propoſuit. Eodem anni tempore IEſus, quum ante diem 25 Dec. baptizatus fuiſſet, in *deſertum* venit. Dies baptiſmi erat idem primus dierum 40 jejunii, nullo interim cibo capto. Alebatur verbo divino, cujus medulla eſt, *Tu es filius meus dilectus, in quo mihi beneplacitum eſt.* Hieme illa neque ſolum neque arbor alimenta ferebat: lapides tentator objecit: ſed Dominus, ut ſi gregarius eſſet Iſraelita, iiſdem dictis, quæ Moſes Iſraeli in de-

* *Poſita* trajectione (*§. XIX. Anno II.*) *hæc alluſio in annis veris pulcerrime elucet non item, ubi duplicantur hiſtoriæ.* Harm. Evang. p. 217.

** *Antiquitatem harum lectionum nemo adhuc in dubitationem adduxit.* "Cum quotis quibuſque ſabbathis pars aliqua Legis ac Prophetarum populo praelegenda eſſet, juxta ſabbathorum numerum Lex in Lectiones diſtributa eſt, quæ פרשיות appellantur, et ad Moſen a nonnullis, ab aliis ad Eſdram referuntur. Talis videtur fuiſſe quam *περιοχὴν τῆς γραφῆς* appellat Luc. Act. 8, 32 &c. Prophetae quoque in הפטרות et verſus jam olim ſecti fuere. Haphtararum inventionem ad Antiochi Epiphanis tempora referunt." *Huet obſerv. ad Orig. f. 18. Cum tot Lectiones V. T. in N. T. tam accurate congruunt: argumento id eſt antiquitatis ipſarum certe iſtarum Lectionum.* Zeugnis p. 99 f.

deserto proposuerat, Deut. VIII. 3. VI. 16. 13 tentatorem repulit.

Ioh. II. 19. 20.

1. *Triduum* resuscitandi templi corporis IEsu habet analogiam cum tribus trium annorum diebus paschalibus, quorum primus tum erat, in secundo non apparuit Hierosolymis, tertium excepit ipsa illius templi suscitatio.

2. *Annis 46 ædificatum est templum hoc:* dixere Iudæi. Ædificationem non pristinam illam: sub Dario, sed novam, sub Herode institutam, innui, agnoscet, qui verba Domini & verba Iudæorum invicem expenderit. Demonstrant Iudæi tantæ molis, in qua & eo ipso tempore, & usque ad ann. Dion. 64 exercebantur operariorum copiæ, magnitudinem, temporisque longitudinem, triduo id instaurari non posse contendentes. Opportunissime pascha primum Iohannes cum chronologia connectit. nam Herodes anno 18 regni sui, qui incurrit in annum Iulianum 27, templum magnifice instauravit. Adde 46. habes annum Iulianum 73, cujus anni pascha describit Iohannes.

Ioh. IV. 35.

Ait Salvator ad discipulos, Galilæos: *Nonne vos dicitis, adhuc quadrimestre est, & messis venit?* Quatuor hi, terminis utrinque inclusis, menses erant, Nisan, Ijar, Sivan, Thammuz. Dies 30 Nisan eo anno erat 14 aprilis, & dies 1 Thammuz, d. 13 Iunii. Hæc ergo locutus est Salvator ante diem 15 aprilis, & messis intra quartum mensem futura erat post diem 12 Iunii. Sub pascha, post paucos commorationis dies in Iudæa, hoc in Samaria dixit Salvator, ante exitum mensis *Nisan.* atque hordeacea quidem messis jam tempore hujus sermonis erat in Iudæa: sed, notabili, post intervallo (coll. Ruth. II. 23. 2 Sam. XXI. 9. Ex. IX. 25. 31. 32.) erat messis absolute dicta,

ta, triticea: & hæc rursum in Galilæa, discipulorum patria, quam tum petebant, serior erat: quo in climate Ieroboam festum ex mense septimo in octavum transtulit. 1 Reg. XII. 32. Magni nobis esse debet testimonium Hieronymi ad illud, *Cum adhuc tres menses supererssent usque ad messem.* Amos IV. *Significat*, inquit, *vernum tempus extremi mensis aprilis, a quo usque ad messem frumenti tres menses supererant, majus, junius, julius.* Commentatus hæc est Hieronymus in ipsa Palæstina: etenim paucis interjectis, quid ibi viderit vel non viderit, testatur.

Ioh. V. 1.

Ἑορτή, *festum*, quod ibi memoratur, non erat pascha. non enim biennii refert historiam Iohannes a cap. II. 23 ad cap. VI. 3. & memoria signorum, quæ fecerat IEsus in paschate Ioh. II. 23 recens apud Galilæos erat Ioh. IV. 45. Est igitur festum proximum, Pentecoste: quam aut nusquam, aut hoc loco scribitur Salvator Hierosolymis celebrasse. Iohannes *pascha*, *scenopegiam*, *encænia*, his ipsis speciatim nominibus appellat: hîc vero *festum*, id est, pentecosten. Nam pentecosten Hebræi עצרת *festum*, per antonomasiam appellant, ut Iosephus docet l. 3 ant. c. 10. quem etiam conferas l. 3. c. 16. & l. 18. c. 11. Ac *Prædicatio Petri*, loco mox citando, ἑορτὴν dicit, pro pentecoste. Porro pentecosten tum fuisse, ipsa Domini verba docent, in quibus, ut plura mox fidem facient exempla, ad Haphtaram sive lectionem propheticam Ez. I. alludebat gravissime. Propheta scribit: *Vidi visiones Dei:* &, *hæc erat visio similitudinis gloriæ Iehova; & vidi & cecidi super faciem meam, & audivi vocem loquentis.* v. 1. 28. ac IEsus ad Iudæos dicit: *Neque vocem* Patris *audistis unquam, neque speciem ejus vidistis, & sermonem ejus non habetis manentem in vobis:* Ioh. V. 37. 38. contra atque Ipse, eo modo, qui non solum Iudæis ignotus erat, sed etiam Eze-

Ezechielem & omnes prophetas antecellit, Patrem vidit & audivit. Non ſic locutus eſt alibi IEſus: ſed qui alluſionem ad lectionem propheticam expenderit, facile eam locutionem intelliget.

In Pentecoſte Lex data fuerat; unde Iudæi in precibus eo die recitandis & in concionibus legem, & populum, cui lex data, celebrare ſunt ſoliti.

Itaque hoc in tempus proprie convenit ſermo de voce & ſpecie Dei, Ex. XX. 19. XXIV. 10, & de accuſatione Moſis. Ioh. V. 45.

Luc. IV. 16 -- 21.

Magni momenti locus. Ordinariam diei hîc memorati lectionem in Eſaja fuiſſe, patet ex eo, quod Eſajæ liber Domino in ſynagoga lecturo fuit exhibitus. Atqui locus *Eſ. LXI. 1 ſeqq.* nunquam legi erat ſolitus: neque verba, *& cæcis viſum*, ex Haphtara Bereſchith Eſ. XLII. 5--7 -- 21, quam huc confert Surenhuſius, translata ſunt, ſed in hoc ipſo loco a LXX interpretibus Græce, pro Hebraicis, *& vinctis apertionem*, quæ Lucas aliter omitteret plane, ponuntur. At verba, *mittere fractos in dimiſſione*, apud Lucam ſunt inſerta, quæ *Eſ. LVIII. 6* exſtant, in lectione matutina *diei Expiationis.** Is igitur dies erat expiationis, quo incipere ſolitus erat annus jubilæus. Lev. XXV. 9. Ibidem, *Eſ. capite LX*, unica inter caput LVIII & LXI eſt Haphtara כי תבא anno ad finem vergente, brevi intervallo ante diem expiationis, legi ſolita. Ea igitur in Eſaja paulo ante lecta fuerat, &, quod ii, qui voluminum veterum formam norunt, facile exiſtimaverint, in die expiationis

* Dominus IESVS *verba* ἀποστέιλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει e *loco* Ieſaiae *propinquo adjunxit, ſignificans, quum populus jejunans anguſtiis preſſos dimittere deberet, ſe* Meſſiam *ab hoc die expiationis hoc opus miſericordiae multo ſuperabundantius praeſiturum eſſe.* Ehrenr. p. 111.

tionis prima apertione Salvatori occurrit, Eíque, quod ad externas attinet circumſtantias, magnam dedit opportunitatem, prius textum ordinarium antecedentem, deinde textum proxime ſubſequentem legendi, adeoque caput LVIII & LXI coagmentandi: quorum utrumque Lucas eleganter contexuit. Dies quidem expiationis in aliam aliamque ſubinde feriam cadit hebdomadis: ſed anno 28 Æ. D. quum hæc acciderunt, dies 9 Sept. ſive 1 Tiſri fuit feria 5, & inde dies expiationis, 10 Tiſri, revera *ſabbatum* fuit: quo caſu Hebræi lectionem *ſabbaticam* ſeponunt, & Haphtaram *diei expiationis* legunt.

Habetur in illa Eſajæ ſcriptura *annus DOMINI* acceptus, eamque ſcripturam illo die impletam eſſe, docuit Salvator. Multi inde veterum putarunt, totam Salvatoris prædicationem *uno* fuiſſe *anno* peractam; quocirca eum anno 29 Æ. Dion. duobus Geminis conſulibus paſſum dictitarunt. Sed id per tria apud Iohannem paſchata protinus refutatur. Alii *annum gratiæ* de toto tempore N. T., nimium laxe, interpretantur. Inter extrema humanarum opinionum media ſolet incedere veritas: ac propius a vero abſunt veteres; coll. Hieron. de ſcript. eccl. c. IX. tantummodo, quod illi abſolute acceperunt, nos ſecundum quid accipere debemus. Galilæa regio erat, cui Lux magna locupletiſſime conſpicienda fuit: quemadmodumque *locum* illum, ejuſque longitudinem & latitudinem accurate notavit Eſaias, ſic idem ille *tempus* videndæ lucis eſt elocutus, ab ipſo Salvatore in Galilæa determinatum. *Annum* videlicet vertentem in Galilæa publice verſatus eſt Salvator. Initium is annus habuit poſt pentecoſten, & poſt ea, quæ Ioh. V memorantur: in ipſum annum incidunt, quæ maxime Marc. I. 14 -- VIII. 26. & Ioh. VI. 1 -- VII. 1. memorantur. Pleraque priore anni ſecundi parte acciderunt, populo per labores minus

diſtra-

distracto: *Galilæorum*que interim exortum est vocabulum. Ineunte scenopegia, nondum completum erat tempus Salvatoris: sed medio festo Hierosolymam ascendit. ibid. v. 2. 8 seqq.

Luc. VI. 1.

Sabbatum δευτερόπρωτον *secundoprimum* tum erat dimidio mense ante pascha.

1. Chrysostomus homiliam XL. in Matthæum, recitato Matthæi textu, sic infit: ὁ δὲ λουκᾶς φησιν, ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ τί δέ ἐστι δευτερόπρωτον; ὅταν διπλῆ ἡ ἀργία ᾖ, καὶ τὸ σαββάτου τοῦ κυρίου, καὶ ἑτέρας ἑορτῆς διαδεχομένης. σάββατον γὰρ ἑκάστην ἀργίαν καλοῦσι. *Lucas vero ait*, sabbato secundoprimo. *quid autem est* secundoprimum? *quando duplex est dies feriatus, & sabbati proprii, & alterius festi subsequentis. Sabbatum enim quemlibet diem feriatum dicunt.* Non Lucam, sed Matthæum tractabat Chrysostomus: cumque difficultates sæpe in suo loco dissimulentur, hanc pæne alieno loco excipit Chrysostomus, sua sponte, præter morem, in homilia, & homiliæ initio. Theophylactus invertit, priusque docet esse festum alterum, & sabbatum esse posterius. Theophylactum Chrysostomus non solum antiquitate vincit, sed etiam eo nomine, quod Antiochiæ Iudæos, unde disceret, habuit. Neuter tamen clare exprimit, utrum prior an posterior dies bidui feriati fuerit sabbatum secundoprimum, quisve fuerit alter dies feriatus.

2. *Sabbatum* secundoprimum *ipsum, non ex hoc suo nomine noscitur, sed nomen ex re investigatur. Secundoprimi* vocabulum nusquam legitur, nisi apud Lucam, & apud eos, qui ex Luca repetunt. Itaque nullo antiquitatis *testimonio* constat, quid fuerit sabbatum secundoprimum: neque *etymon* vocabuli ita est determinatum, ut alia prius indagine non sit opus.

3. *Sabbatum secundoprimum proprie fuit sabbatum.* Sic enim appellatur absolute apud Matthæum & Mar-

Marcum : neque alio die feriato phariſæi quamlibet ſcrupuloſi negaſſent, id eſſe licitum, quod diſcipuli faciebant.

4. *Sabbatum hoc ſecundoprimum fuit anno Dion. 29.* Patet ex iis, quæ jam demonſtravimus.

5. *Fuit ante paſcha, & quidem dimidio ante menſe.* nam intervenit aliud ſabbatum, in quo ſanata eſt manus arida, & panum in quinque millia fractio, & tum demum erat paſcha. Luc. VI. 6. Matth. XIV. 15. coll. Ioh. VI. 4. Non objecere phariſæi manipulum nondum oblatum, Lev. XXIII. 10. nam ſpicas tamen vellere licebat. Deut. XXIII 25. &, ſi hoc quoque objeciſſent, Salvatoris reſponſio id quoque expediret.

6. *Et tamen jam tum maturas ſata ariſtas habebant;* hordeaceas videlicet, ut paullo ante de meſſe diximus.

7. *Sabbatum ſecundoprimum erat pridie neomeniæ.* Sabbatum proprium & alius dies feriatus ſubſequens concurrebant, ut Chryſoſtomus affirmat : & ſabbatum ſecundoprimum erat proprie ſabbatum, ut modo diximus : alter autem dies feriatus, ante paſcha, non poterat non eſſe neomenia.

8. *Ea neomenia erat ineuntis menſis Niſan.* Non alia, ante paſcha, veſcas habebat ariſtas. Embolimæum fuiſſe apud Iudæos annum illum, calculi aſtronomici docent. itaque ſabbatum illud ſecundoprimum erat die ultimo menſis embolimæi *Veadar.* Sæpe paſcha ipſum citius erat, quam eo anno neomenia Niſan, d. 3 apr. & ſabbatum, d. 2 apr. ut docet Calviſ. Iſag. f. 176. Itaque non deerant ariſtæ eſurientibus utiles.

9. *Eo ſabbato in ſynagoga legerunt hiſtoriam Davidis, cujus exemplo diſcipulos Salvator defendit.* Et ſabbatum & neomeniam obſervabant Iudæi. Quum ſabbatum & neomenia uno die concurrebant, in ſynagoga legebant

gebant caput LXVI Esaiæ, ubi v. 23 conjunctim & *neomeniæ* & *sabbati* fit mentio: quum sabbatum excipiebat neomenia, legebant 1 Sam. XX. 18—42. ubi dicere poterant, ut David & Ionathan, *Cras est neomenia.* v. 5. 18. Eo die, quo David & Ionathan colloquebantur, sabbatum fuisse, colligimus ex 1 Sam. XX. 19. quanquam Nobam Davidem venisse vel ipso sabbato vel sabbato jam tantum elapso conjicit Lightfoot ad Matth. XII. 3, poteratque David etiam post sabbatum & neomeniam panes sanctos edere. Illud sabbatum שבת מחר חדש hoc שבת ראש חדש dicitur. Igitur hîc quoque ad sabbaticam lectionem Salvator alludit, & discipulos opportunissime defendit. Lectus commodum fuerat textus de summa Davidis necessitate: eamque Haphtaram, ut hodierno die terminatur, continuo excipit esus panum propositionis. Dicit ergo Dominus, *Non legistis? Nunquam legistis?* & apud Lucam, *Ne hoc quidem legistis?* Etenim *hoc* cum Haphtara septimo fere quolibet mense legi solita sic cohæret, ut omnes, qui Haphtaram audirent, panum sanctorum, quos David edit, modo semel factum illud legissent, non recordari non possent. Ex analogia σαββάτου δευτεροπρώτου nonnulli σάββατον πρωτόπρωτον, τριτόπρωτον κτλ. eliciunt: sine causa. Duo sunt sabbata, quorum nomina ex concursu sabbati & neomeniæ vel in unum diem vel in biduum nascentia inter se respiciunt.

10. *Hinc nomenclatura sabbati secundoprimi disci potest* Ex simplicibus noscuntur composita. Sabbatum aliquod πρῶτον *primum* est dictum: & inde demum, quid sit δευτερόπρωτον *secundoprimum*, colligitur. *Prædicatio Petri*, quam Grabius haud diu post mortem Petri scriptam docet, Iudæos ita reprehendit, ἐὰν μὴ σελήνη φανῇ, σάββατον οὐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον, οὐδὲ νεομηνίαν ἄγουσιν, οὔτε ἄζυμα, οὔτε ἑορτὴν, ἔτε μεγάλην ἡμέραν. *Nisi luna apparuerit, non agunt*

agunt sabbatum, *quod dicitur* primum, *neque agunt neomeniam*, *neque azyma*, *neque festum*, *neque magnum diem*. Hîc sabbatum, quod *primum* dici, & a lunæ phasi dependere apud Iudæos perhibetur, ac tamen a *neomenia* mera distinguitur, non aliud esse videtur, atque illud, quod est in uno die cum ipsa neomenia. nam alioqui sabbatum a luna neutiquam pendet. Igitur שבת וראש חרש est σάββατον πρῶτον· שבת מחר חרש σάββατον δευτερόπωτον. Estque sabbatum secundoprimum, primo contradistinctum, illud, quod unum cum sabbato supparem habet conditionem, & partim primo respondet, partim *secundarium* quiddam & imminutum est. Talem enim vim habet δεύτερος in compositione. δευτεροδεκάτη decimæ sacerdotum ex decimis levitarum, apud Hieron. in Ez. 45. Tzetzes, tempora enumerans, appellat καιρὸς, μῆνας, ἑβδομάδας, ἡμερόνυκτα, ὥρας, λεπτὰ, δευτερόλεπτα. Itaque sabbatum δευτερόπρωτον non fuerit, ubi sabbatum & neomenia uno die concurrunt, ut in sabbato primo, (quanquam sabbatum illud Anno Dion. 29. revera ex fine mensis *Veadar* & ex novilunio Nisan constabat, & neomenia tamen, ut sæpe, postridie fuit:) fuerit autem, ubi sabbatum uno die ageretur, altero neomenia. Quilibet mensis cavus, 29 dierum, a sabbato incipiens, habebat sabbatum πρῶτον καὶ δευτερόπρωτον. Illud etiam solennius erat, quam hoc. Num. XXVIII. 3. 9. 11. Sabbatum *primum* & *secundoprimum* habebat Haphtaram, non Parascham; propheticam, ac non Mosaicam lectionem: unde patet, *primum* ipsum post Antiochi demum Epiphanis tempora, *secundoprimum* fortasse etiam serius, & institutum esse & tali nomine insignitum. Vtrum sabbatum δευτερόπρωτον Helleniſtæ Alexandrini dicere fuerint soliti, an Lucas hoc verbum primus adhibuerit, vix poterit constitui. *Tricesima sabbata* appellat Horatius lib. 1. Sat. 9. ubi præclara apud *Acronem* interpretatio notatur: *Trigesima sabbata dicuntur*,

quando calendis OCCVRRIT sabbatum &c. Sive genuinam originem vocabuli attigimus, sive melior dari potest, *res ipsa constituit.*

11. Eodem sabbato reponebat pharisæis Dominus, eandem stringens formulam, *An non legistis*, Matth. XII. 5. sacerdotes in templo sabbatum sine culpa profanantes: & eadem anni tempestate *legebatur* sabbatis Leviticus, in quo multum de sacrificiis etiam *sabbato* faciendis agitur. cap. VI. 12. VIII. 33. XVI. 29. XXIII. 38.

Ioh. VII. 19.

Nonne Moses dedit vobis legem? dixit Salvator, medio scenopegiæ festo, ac sabbato. Nam festum erat septem dierum a d. 15 ad 21 Tisri, a feria 3 ad feriam 2. Dies quoque octavus, d. 22 Tisri, erat solennis: ac die 23 Tisri, quem שמחת תורה *Gaudium legis* (perlectæ) appellant, legitur sectio האזינו Deut. XXXII. ubi v. 4 exstat, *Legem præcepit nobis Moses*: eodemque capite VII Iohannis frequentior, quam alibi, mentio fit legis, v. 23. 49. 51. quæ septimo quoque anno legebatur hoc festo. Deut. XXXI. 10. Sabbatum Ioh. IX. 14 diebus aliquot interjectis est subsecutum. Apertius est, quod sequitur. Die primo festi legebatur caput XIV Zachariæ, & versu 8 illud, *Et erit in die illo, exibunt aquæ vivæ ex Ierusalem*: & die ultimo, octavo, maximo, festi, IEsus, qui interea in templum ascenderat, hæc verba repetiit, *Flumina ex ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Ioh. VII. 38. Hic est proprius paralleliſmus, quem aliis alii locis quærunt.

Ioh. X. 36.

IEsus, in Encæniis, eum se profitetur, *quem Pater in mundum misit.* Eo festo, in Encæniis, legebatur Haphtara Zach. II. ubi v. 15 Messias ait: *Et cognitura es quod Iehova Sabaoth misit me ad te.*

Matth.

Matth. XVII. 3.

Moſen, qui *Tranſformationi Domini* interfuit, olim die 7 *Adar* mortuum fuiſſe, ſtatuit auctor libri *Seder Olam.* Nempe *triduum* ille retrorſum numeravit a tranſitu Iordanis ad edictum de commeatu parando, & inde *dies 30* ad mortem Moſis. Deut. XXXIV. 8. Ioſ. I. 11. IV. 19. At die 1 *Adar* obiiſſe Moſen, Ioſephus ait. Vtut eſt, eodem anni tempore, quo Moſes obiit, Tranſformationi Domini interfuit, & cum Elia locutus eſt exitum Domini, quem erat impleturus in Ieruſalem. Quod ſi a die exitus ſive paſſionis, qui erat 15 Niſan, 7 Aprilis, retrorſum numeres 40 dies, habes diem 5 Adar, 27 Febr. a qoo die Tranſformationem certe non longe abfuiſſe, hiſtoriæ ſeries docet.

Matth. XVII. 24.

In Iudæa cenſus pro Cæſare exigebatur: idque menſe Niſan factum eſſe docet Petitus, var. lect. cap. 18. Sed in Galilæa ſub Herode tetrarcha Cæſari non pendebatur didrachmon. Memorantur igitur hoc loco didrachma, quæ pro templo exigebantur, idque die 15 *Adar.* Hinc Salvator innuit: quemadmodum *reges* terræ a *liberis* non accipiant tributa, ſic ſe, *Dei filium*, & ſua cauſa ſuos, immunitate gaudere a tributo, quod pro *templo Dei* exigeretur.

Luc. XIII. 7. 8.

Tres annos venio. Id eſt, veni anno 1, veni anno 2, & hic annus, quo venio, *tertius* eſt. Relicta eſt ficus etiam hunc annum 3. Hic annus eſt annus Paſſionis, cum *Paſcha* tertio. Tum arbor lautiſſime culta fructum tulit; deinde fructu deficiente, exciſa eſt.

Ibid. v. 32. 33.

Bis notatur *triduum:* prius, reſpectu *temporis*, quum Salvator triduum remanſit in territorio Herodis, ac

tum iter Hierosolymam ad passionem est ingressus, ante passionem non rediturus in Galilæam: atque in hoc triduum cadunt, quæ Luc. XIII. 31—XVIII. 14. memorantur. Deinde respectu *loci:* tridui enim iter erat ex Galilæa ad urbem Hierosolymam, prophetarum macellum.

Ibid. v. 34.

Quoties volui congregare liberos tuos, dixit apud Lucam Salvator in itinere ad passionem, postquam & in pascha, & in pentecoste, & in scenopegia Hierosolymam ascenderat: neque in ea urbe Ipsum erant visuri ante introitum regalem. v. 35. Omnia demonstrant, prope tum fuisse Passionem.

Ioh. XII. 7.

Die *10 Nisan sumi* solitus erat agnus paschalis, qui die 14 mactaretur, & sumtus primum fuerat 1526 ante annis in Ægypto, *feria prima.* Redemptor ea vespera, qua sabbatum exiit, & item *dies 10* Nisan, *feria* item *prima* incepit, *unctus*, idque tum ut *die ἐνταφιασμῷ* factum interpretatus est.

Matth. XXIV. 34.

*Hæc generatio non præteribit, dum omnia hæc fiant.** A tempore hujus prædictionis ad complementum, & quidem ad ipsam obsidionem in monte oliveti, ubi prædicta hæc sunt, spatium erat in Scriptura tam frequens, (v. gr. Hebr. III. 9. 10.) *quadraginta annorum:* ab A. Dion. 30 ad 70. Hugo Broughtonus in Concentu, compluribus 40 dierum & 40 annorum exemplis commemoratis, ait: *Sic Dominus noster* Iudæis *concedit annos XXXX a sua* resurrectione, *pro ratione*

* *Generationi 75 annos alias Iudæi tribuunt, ut videre est in Seder Olam. 3 annis ante initium Æræ Vulgaris natus est* Christus, *& A. 70 adeoque proximo antequam hæc generatio præteriit, hæc omnia facta sunt.* Harm. Evang. ed. 2. p. 481.

tione dierum, *quibus ab ea apparuit.* pag. 107. & in margine addit: *Thalmud in* Sanhedrin *affert ex Psalmo 95.* Christi *regnum in* Iudah *fore 40 annorum. Non male.* Sæpe hi 40 anni vastationem urbis antegressi in scriptis Hebræorum occurrunt.

Marc. XIV. 12.

Primo die azymorum, *quum pascha mactabant.* Magna pridem de hoc die agitatur quæstio. Collatis inter se evangelistis, & aliis monumentis, patet, Salvatorem cum discipulis, & Iudæos quosdam recte sentientes, de quibus Marcus, *pascha mactabant*, pascha edisse feria quinta exeunte, sexta incipiente, vesperi, & congruunt motus cœlestes, quos ex *assiduo* usu callebant Iudæi. Quare Lucas Marci locutionem hîc quoque declarat, & ait, eo die *oportuisse* mactari pascha, subindicans, fuisse, qui postridie mactarent. Etenim alii Iudæi, traditionibus obsecuti, pascha ex feria sexta transferebant in sabbatum. Ratio translationis colligi potest ex Calvisii Isagoge f. 87. col. 1. init. coll. f. 176. col. 2. med. ed. A. 1620. Neque enim exscribi & multis verbis explanari necessum est. Eam translationem decreto suo ipsi comprobarunt antistites. unde Iohannes c. XVIII. 28 scribit, *Iudæos non intrasse prætorium*, *ne inquinarentur*, *sed ut ederent pascha*: & cap. XIX. 14 *paraskeven paschæ* memorat, (quanquam etiam pascha feriæ 6 notat cap. XIII. 1. XVIII. 39.) nec Simon Cyrenæus, feria *6 ab agro veniens*, pascha, ut videtur, ederat, sed urbem petebat, ut pascha ederet. Iudæi in suis scriptis IEsum ajunt *vesperæ paschæ* suspensum ערב שבת וערב פסח vespera sabbati eademque paschæ. Translationem feriarum stilus publicus sequebatur: itaque demum sabbato, die 8 apr. in scriptis notabant diem 15 Nisan. Hîc inserviit alius aliusque dies Neomeniæ Nisan & inde Paschatos, ut & Salvator legitimo tempore Pascha mactatum ederet, Cœnam simul suam in *sui morientis* memo-

riam instituens; & tum, quum alii Pascha mactatum ederent, Ipse, verum Pascha offerret sese. Conf. Deckerii Velif. p. 50. 51. & W. Lang. de Annis Christi, pag. 403 seqq. Hanc ob causam supra & feriæ sextæ & sabbato diem 15 *Nisan* adscripsimus, & priori diei dies antecedentes, alteri dies subsequentes accommodavimus. Amœna quadam ratione id confirmatur ex Monumento Iudæorum in Africa Cyrenaica, quod Scipio Maffeius haud pridem edidit. Græcum est, hac præscriptione: Ἔτ͞ους νε̅ φαῶφ κε̅ ἐπὶ συλλόγ͞ου τ͞ῆς σκηνοπηγίας. Expendit has notationes Des-Vignoles T. II p. 707. docetque, annum hîc esse æræ Alexandrinis propriæ 55, Iulianum 75. Dion. 30. quo anno dies 25 Paophi in anno Ægyptiaco vago erat d. 9 Oct. Porro ἡ σύλλογος *Congregatio* festi tabernaculorum erat d. 22 Tisri (coll. Neh. VIII. 18.), & quibus dies 27 Tisri erat die 9 Oct. ii diem 15 Nisan sive pascha habuere die 8 april. sabbato.

Magnam temporis convenientiam cum pascha Ægyptiaco habet pascha passionale. Namque illud erat anno 3217 Per. Iul. d. 14 Nisan, 16 Aprilis, vesperi, *feria quinta* in sextam desinente, ut vidimus p. 73. Hoc erat anno 4743 P. I. d. 14 Nisan, 6 Aprilis, vesperi, *feria* item *quinta* in sextam desinente. Intervallum est 1526 annorum. Anni 1526 Iuliani sunt dies $557371\frac{1}{2}$, sed anni 1526 naturales sunt dies $557360\frac{1}{200}$, sive hebdomades 79622, dies 6, hor. $1\frac{1}{2}$. Itaque, demto anni Iuliani excessu, etiam in *anno* naturali *idem* quam proxime tempus fuit paschatis in Exodo & paschatis in Passione. Feriam 5, quæ illud, & feriam 5, quæ hoc habuit, anni 1526 initio & fine suo attingunt. Conf.

Matth. XXVII. 45.

De hac miranda solis obtenebratione etiam apud externos scriptores testimonia exstant consideratu dignissima. Phlegon Trallianus a multis pridem citatur:

tur: recte ille quidem, si eclipsis anno 2 (non 4) Olympiadis 202, id est A. D. 30. ex Africano, qui Phlegontem seculo subsecutus est, facta agnoscatur. * Sed Passionem Domini & cum ea eclipsin a vero anno 30 Æ. Dion. in subsequentes fere annos detrudunt. A recentioribus etiam Sinensia monumenta allegantur. Sed horum quoque cycli & imperatores, cum annis, quibus ea eclipsis adscribitur, retardantur, quanquam idonea eclipseos citius factæ vestigia apparent. Vid. Wolfii Cur. Vol. 1. p. 408. & Kohlreiffium passim. Qui pluribus subsidiis instructi sunt, curatius disquirant.

§ XXII. *Patet hinc consensio Evangelistarum exacta, & testimonii, quod perhibent, utilitas.*

Singuli non sufficiunt ad chronologiam historiæ de JEsu Christo coagmentandam: conjuncti, satisfaciunt, ita inter se congruentes, ut unius operis instar sint eorum scripta. Porro quid eadem ad totam catenam Scripturæ chronologicam conferant, deinceps videbimus.

Cap. VI.

CHRONOTAXIS APOSTOLICA.

Tempora apostolica ab Ascensione Domini usque ad martyrium Simonis Zelotæ porriguntur, eaque in duas partes fere æquales secat martyrium Petri

* *Veteres Christiani hac de re ad publica gentium archiva & monumenta provocarunt.* Phlegon, *a quo nonnisi fragmentum paucarum linearum accepimus, eclipseos quidem solis mentionem facit, quæ tanta fuerit, quanta nulla unquam, sed nihil de eo dicit, quod obtenebratio tempore plenilunii facta sit, ut quæ demum supernaturalis fuisset.* Weltalt. p. 168. Zeugnis p. 115.

Petri & Pauli. Priorem partem ex ipso N. T. potissimum, alteram aliunde cognoscimus: ac priores prioris partis annos Paulus opportune refert interea, donec apud Lucam expressior notatio incipit. Epistolæ Pauli seorsum, & Acta seorsum, difficilem quidem temporum habent explicationem: conjunctim vero satis nos instruunt. Tabulam p. 10. 11 exhibitam, duod ad hanc partem attinet, confirmabimus.

§ I. *Summam temporum in Actis, expressa notatio exhibet apud Paulum & Lucam.*

Crassiore primum calculo rem aggrediamur. Ad annum Dion. 30, quo currente Acta incipiunt, adde tempora longiora definita, quæ sunt

anni	3.	Gal. I. 18.
anni	14.	Gal. II. 1.
sabbata tria,		Act. XVII. 2.
spatia quatuor, sabbatis ternis vix majora, sed tamen præ aliis plane prætermissis notabilia: fac fuisse		menf. 3. Act. XV. 35. XVI. 12. XVII. 16. XVIII. 23.
annus	1. & menf. 3.	Act. XVIII. 11.
anni	3.	Act. XX. 31.
annus	1.	1 Cor. XVI. 8. coll. ad Act. XX. 3. 16.
anni	2.	Act. XXIV. 27.

Summa te ducet in annum 55. quo ipso tempore *biennium* hoc Pauli sub Felice effluxit. Accedit in extremo actio sub Festo, iter in Italiam, & *biennium* cum historia externa haud colligatum. Laxius hæc tempora posuimus, eaque laxitas reliquam historiam intercurrentem capit. Proinde sub *expressis* hisce tem-

temporis partibus ipsum tempus totum eleganti ænigmate nobis suggeritur. Intra hosce sane fines testimonium vertitur antiquitatis ecclesiasticæ, & in ea maxime Eusebii, quem ex Græcis Euthalius, ex Latinis Hieronymus sunt secuti. Præclare ii cum veritate historiæ N. T. conveniunt.

§ II. *Ab amussi veritatis recentior chronologia, quo speciosius est adornata, eo longius declinavit.*

Causæ, ne temere loqui videamur, indicandæ sunt.

1. Passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem Domini, aliquot inferius annis, quam veritas ferret, posuere plerique. Hinc iidem conversionem Sauli, & alia capita, quæ ex ea pendent, annis serioribus alligarunt. Vera chronologia evangelica & apostolica bene cohæret & se ipsam per partes suas sustentat.

2. Annos Caji & Claudii & Neronis * ita nonnulli retardaverunt, ut Neronem, qui A. Dion. 68 interiit, usque ad Annum Dion. 70 vel 71 protraherent. Unde historiam Pauli ad annos Cæsarum a veteribus notatos subinde illi quidem retulerunt; sed annos æræ Dionysianæ seriores arripuerunt. Successores porro annos æræ Dion. seriores amplexi sunt, ita, ut Cæsarum quoque annos vere cohærentes cum iis, perperam admitterent. Atque ita factum est, ut complura historiæ apostolicæ capita infra verum tempus detruderentur. ** Paulum Hieronymus *anno Neronis 2*, Vsserius *anno 9*, Romam iviſſe scribunt. Magnum discrimen.

* *Anni* Neronis *hic præcipue attendi debent.* Harmon. Evang. ed. II. p. 84.

** *Exinde orta est* aera Dionysiana, *quæ in se erronea est, & deinceps amplius cum vero nativitatis* Christi *tempore commixta.* ibid.

3. Ordinem temporis, a Luca ſervatum, deſeruerunt.

4. Annos 14, quos Paulus Gal. II. 1 memorat, ab annis 3, qui præceſſerant, ibid. c. I. 18. non diſtinxerunt, & præter initium finem eorundem alieno loco ſtatuerunt.

5. Annos Felicis & Feſti ſeriores fecerunt, quam hiſtoria patitur.

Hos errores qui vitaverit, nuſquam notabili ſpatio a veritate diſcedet.

§ III. *Ad veritatem, quoad poſſumus, nos recipimus.*

Annos & annorum partes definire, difficile eſt. Vbique fere *circiter* annorum numeris a nobis additum putari volumus. Series rerum, & intervalla certa ſunt.

A. D. 30.

Aſcendit Dominus in cœlum, 40 poſt reſurrectionem diebus, d. 18 maji, feria 5. Pentecoſte ſemper fuit feria 1. nam Lev. XXIII. 11 eſt ſabbatum proprie dictum: neque v. 16 ullum aliud ſeptimum poteſt ſabbatum ſumi. Porro anno illo feria 1, Pentecoſten conjunctam habens, erat d. 28 maji. Eo die & anno, ac deinceps, maxima & celerrima fuere initia & incrementa eccleſiæ chriſtianæ: quæ per *dies* tantummodo deſcribuntur uſque ad mortem Stephani. Act. II. 41. 47. III. 1. IV. 3. 5. VI. 1. Nos ſumma tantum capita notabimus, quoad poſtulat inſtitutum chronologicum. Perbene Camerarius in Vitis apoſtolorum: *Indicanda hæc, non enarranda putavimus. Vnde traducta in alias expoſitiones vim ſuam & nativam bonitatem, magis quam ſtirpes in ſolum externum tranſlatæ, amittere videntur. Ibi igitur, ubi debent & utiliter poſſunt, legantur atque cognoſcantur.* p. 106.

Inter

Inter mortem Stephani & inter conversionem Sauli spatium aliquod fuisse, docet particula ἔτι, *ADHVC spirabat Saulus minas & cædem.* Act. IX. 1. Dispersio tot millium, post mortem Stephani, discipulorum partem, & ante alios Ananiam, Hierosolymis Damascum tulit. ibid v. 13. Ideo Saulus, eos persequens, Damascum ivit potissimum.

A. 31.

Saulus convertitur. Ea conversio celebratur in fastis d. 25 Jan. Quin assentiamur, nulla causa est. Quum Stephanus occideretur, Saulus non erat νεανίσκος *adolescens*, sed νεανίας *vir juvenis*, sic, ut etiam ante vincula ex tot ærumnis πρεσβύτην *senem* appellare se posset. Philem. v. 9. Ab anno Dion. 33 ad 40 nullus est annus, in quo non a chronologis collocetur Sauli conversio: nimis sero. Ab hoc anno 31 numerandi sunt *3 anni*, & in iis *dies aliqui* & *dies multi*, dum Saulus conversus Hierosolymam venit. Gal. I. 18. Act. IX. 19. 23. 26. Mox a conversione prædicavit Damasci: in loca Arabiæ Damasco vicina (etenim ipsa Damascus tum sub imperio Arabum erat,) abiit: postea rursum Damasci docuit.

A. 33.

Hoc anno Saulus primum post conversionem venit Hierosolymam. Ibi versatur XV. dies cum Petro. Iacobum quoque videt, ceteris apostolis, ut existimare licet, vicina Iudææ loca obeuntibus. Habet visionem, quam ipse postea memoravit, Act. XXII. 17. Neque enim statim a conversione Hierosolymam iit. Gal. I. 17.

Saulo insidiantur Helleniste: Cæsaream deducitur, Tarsumque emittitur. In regionibus Syriæ & Ciliciæ prædicat evangelium.

Ecclesia pace gaudet: Petrus loca peragrat. Act. IX. 31 seq.

A. 37.

A. 37.

Cornelius, sine circumcisione, introducitur in ecclesiam. Hæc plane insignis epocha: eaque recte Anno 37 collocatur. *Magno post intervallo* conventus ille Hierosolymis fuit, in quo admissio Cornelii fundamentum fuit decisionis apostolicæ. Act. XV. 7. 14.

A. 38.

Dispersi perveniunt usque in Phœnicen & Cyprum & Antiochiam, Iudæis verbum proponentes. Antiochiæ multi Græci convertuntur.

Res Antiochenas uberius describit Lucas: quid vero in reliqua Syria, quid Tarsi & in reliqua Cilicia gesserit Saulus, summatim notatur & ab ipso & a Luca. Res tamen ipsæ erant magnæ. Gal. I. 21 seqq. coll. Act. XV. 23.

A. 39.

Saulus rapitur in tertium cœlum: rapitur in paradisum. Namque A. 52 scripsit epistolam 2 ad Cor. & cap. XII. 1 hanc rem commemoravit. Hoc raptu qræparatus est Saulus ad novum actum præconii apostolici. Et quidem Barnabas, quum Hierosolymis Antiochiam fuisset missus, Tarsum exiit, ut requireret Saulum. Hunc invenit & Antiochiam ducit.

A. 40.

Barnabas & Saulus *annum* totum una sunt in ecclesia: multos docent: appellantur primum Antiochiæ discipuli *Christiani.*

A. 41.

In his diebus descendunt Hierosolymis prophetæ Antiochiam, quorum unus, Agabus, significat per spiritum, famem magnam *futuram fore* super universum orbem terræ, quæ etiam facta est sub Claudio. Discipuli

scipuli proponunt fratres in Iudæa sublevare, & mittunt per Barnabam & Saulum. Caligula, cui Claudius successit, occisus est d. 23 Ian. A. D. 41, & anno Claudii 2 fames Romæ fuit: postea, præsertim anno 4, orbem pervasit. Quum autem non prædictionem, sed famem sub Claudio factam notat Lucas, prædictionem proxime ante imperium Claudii factam ponimus.

Herodes Agrippas Iudæam regionem a Claudio nactus, Iudæorum benevolentiam aucupatur.

A. 42.

Herodes Iacobum occidit: Petrus liberatur, & in alium locum, quem non nominat Lucas, discedit.

A. 43.

Herodes Cæsareæ commoratur.

A. 44.

Misere perit. Verbum DEI crescit & multiplicatur. Barnabas & Saulus redeunt Hierosolymis, ubi remanserant, donec completum esset illud ministerium, & fratres in Iudæa, quarto hocce Claudii anno, famem, & beneficii Antiocheni magnitudinem experti essent. Saulus tamen ignotus facie manebat ecclesiis Iudææ.

A. 45. 46.

Sauli cum Barnaba expeditio evangelica in Cypro, Pamphylia, Pisidia, Lycaonia, sub gravissimis persecutionibus. 2 Tim. III. 11. A. 45 Antiochiæ in Pisidia sabbato sermonem habuit Paulus, in quo alluſit Act. XIII. 17. seqq. ad lectiones illius sabbati, Deut. I. 31. 38. Iesa. I. 2. 26. Id sabbatum vel in ipsum diem 9 mensis Abh, quo ob templum vastatum jejunatur, vel in dies proxime præcedentes, adeoque in Iulium vel Augustum cadit; & ab æstate hujus anni, quem etiam Vsserius agnoscit, tempus antecedens *cepit* actiones in Cypro & Pamphylia; subsequens,

sequens, actiones in Pisidia & Lycaonia. Loca, ubi Paulus tum prædicavit, sub *climatibus Ciliciæ* Gal. I. 21 comprehenduntur. Nam *Salamis*, *Paphus*, *Perge*, *Antiochia Pisidiæ*, *Iconium*, *Lystra*, *Derbe*, *Attalia*, vicinæ sunt finibus Ciliciæ, & multo remotiores ab Hierosolymis. Iconii maxime, &, post reditum, Antiochiæ *commorati sunt*. Act. XIV. 3. 28.

A. 47.

Paulus tertium Hierosolymam venit. Act. XV. 2. Gal. II. 1. Atque hoc quidem iter Ioh. Tobias Major ante synodum Act. XV descriptam ponit, nempe Act. XI. 30. Tobias Dornkrellius id post synodum ponit, nempe Act. XVIII. 22. Vterque XIV annos Gal. II. 1 ab uno ducit initio, nempe a conversione Pauli: sed de termino *ad quem* longe discedunt invicem. In his XIV annis cardo vertitur chronologiæ apostolicæ: hi vero non a conversione Pauli numerantur, sed ab itinere Hierosolymitano ibidem memorato, Gal. I. 18. duæque notationes temporis, Gal. I. 18. II. 1 inter se respiciunt, neque 3 & 14 anni ibidem notati idem habent initium, sed finis 3 annorum (ut Hieronymus agnoscit,) initium est 14 annorum, perinde uti Act. X. 9. 23. 24 *proximum* quemque diem præcedentem respicit vocula *postridie*. Porro unum idemque iter est, quod Gal. II. 1 & Act. XV. 2. describitur. Neque *revelatio*, Paulo facta, obstitit, quo minus a fratribus Paulus & Barnabas mitterentur. Etiam Romam Paulus secundum revelationem & tamen missu Festi ivit. Antiochiæ fuerat Titus: inde eum Paulus Hierosolymam duxit. Sane institutum Pauli Gal. I. 11 non ferebat, ut synodum Hierosolymitanam intactam prætermitteret. Iter Act. XI. 30 fuit ante mortem Herodis, ante annum 44, adeoque non potuit non intra 3 & 14 annos post conversionem Pauli accidere, uti iter Gal. II. 1. Ante hoc iter Gal. II. 1 non longo intervallo peracta fuit legatio Pauli cum Barnaba Act. XI. 30. XII. 25.

sed

ſed eam Paulus Gal. I. non neceſſe habuit memorare: quia in primo itinere agnita fuerat auctoritas ejus apoſtolica; neque in ea legatione controverſia fuerat de lege, ſed poſtea demum orta eſt controverſia, Pauloque cauſam dedit tuendæ libertatis evangelicæ. Act. XV. 1. 24. Rurſum iter Act. XVIII. 22 remotius eſt, quam ut 3 & 14 tantummodo annis potuerit converſionem Pauli ſubſequi. Nondum converſi erant Galatæ, tempore ſynodi, Act. XV, ſed Paulus omnium gentilium libertati jam tum proſpexit, ideoque ad Galatas quoque potuit ſcribere: *veſtræ libertati proſpexi.* Gal. II. 5. Titum circumcidi tum recuſavit Paulus: ſed id non magis, quam ipſum Synodi decretum, & admiſſio Cornelii, circumciſioni Timothei, dum decretum eccleſiis traderetur, obſtitit. Reditum a Synodo, interjectis *diebus quibuſdam*, ſubſecuta eſt Pauli cum Sila expeditio evangelica, in Syria & Cilicia, in Lycaonia (ubi Timotheus adſciſcitur,) in Phrygia & Galatia. Ab initio hujus expeditionis uſque ad diſceſſum Pauli ex Aſia ſunt *anni quinque*: quorum magnam ſibi partem Corinthus, maximam Epheſus vindicant.

A. 48.

Troade Paulo & Silæ Lucas, ut *evangeliſta*, aſſociatur: Act. XVI. 10. & inde in Macedoniam veniunt. Philippis manſit Lucas, donec Paulus eodem rediret. cap. XX. 6. Paulus autem & Silas Theſſalonicam, ubi ille *tria ſabbata* docet, & Beroeam perveniunt: inde Athenas, & Corinthum. Corinthum *recens* venerat etiam Aquila & Priſcilla, ex Italia, quia Claudius Iudæos, quibus jam initio imperii fuerat infenſior, ut Dio docet, Roma juſſerat ejici. Ad eos Paulus acceſſit. Collatis locis Act. XVII. 14 ſeqq. XVIII. 5. & 1 Theſſ. I. 1. III. 1. 2 patet, rem conciſe a Luca eſſe relatam. Nempe Athenis Paulum conſecuti ſunt Silas ſive Silvanus, & Timotheus: ſed primum

primum Paulus & Silvanus Timotheum Athenis Theſſalonicam remiſerunt, deinde Silas quoque in Macedoniam reverſus eſt. tum Paulus Athenis ſolus egit: poſtremo ad Paulum Silas, ad Paulum & Silam Corinthum ex Macedonia rediit Timotheus. Inde I epiſtolam ad Theſſalonicenſes ſcribit (ubi vid. not. ad c. II. 16.) & paulo poſt ſecundam.

A. 49.

Major hujus anni pars cadit in ſeſquiannum Pauli apud Corinthios. Hoc tempore Gallio pro cos. Achajam obtinebat. itaque A. 48 videtur conſulatum currente anno initum geſſiſſe. Iudæos reprimit Gallio: Paulus dies adhuc complures Corinthi commoratus, Syriam nave petit: per Epheſum & Cæſaream tranſit. Eccleſiam ſalutat Hieroſolymis. Inde Antiochiam deſcendit.

2. Non cum Paulo, Barnaba, Iuda & Sila Petrus Antiochiam profectus eſt, neque eos ſtatim intra paucos illos dies, qui Act. XV. 36. memorantur, eſt ſubſecutus. Quod ſupereſt, hoc tempore, quod Paulus Antiochiæ *tranſegit* Act. XVIII. 23, Petrus Antiochiam venit (cum Paulus curam pauperum jam egregie oſtendiſſet:) paullo ante epiſtolam ad Galatas datam. Galat. II. 1. 10. 11. 13.

3. Hoc potiſſimum loco aliqua de curſu Petri colligenda veniunt. Concilium Hieroſolymitanum non poteſt citius habitum putari, quam A. 47. & tamen adhuc Hieroſolymis potiſſimum erat Petrus, declarans etiam, ſe in circumciſionem iturum. Poſtea demum hoc iter Antiochenum incidit. Antiochiæ prius fuiſſe Petrum, nullo probari veſtigio poteſt. In eo autem itinere Silas Petri comes videtur eſſe factus. 1 Petr. V. 12. Nullam vivente Claudio, qui Iudæos Roma arcuerat, cauſam habuit eundi Romam apoſtolus circumciſionis. Ante epiſtolam a Paulo ad Romanos ſcriptam neque alius apoſtolus neque

neque Petrus Romam venit, ut totus epistolæ tenor evincit. c. I. 10 seqq. cap. XV. 14 seqq. Primus apostolorum eo venit Paulus, vel solus, si Petrum excipias, qui tamen extremo muneris vitæque tempore duas scripsit epistolas, & quidem priorem Babylone dedit, in oriente, 1 Petr. V. 13. quam adhuc non penitus desertam fuisse, vel Iosephi lib. XVIII. ant. cap. 12. patet. Respondet climati ordo regionum, *Ponti*, *Galatiæ*, *Cappadociæ*, *Asiæ*, *Bithyniæ*, cap. I. 1. ut proxima quæque in epistola encyclica prius nominetur. Itaque in toto Petri cursu nullum notabile tempus a Petro Romæ transactum erui potest. Romæ commorari haud conveniebat apostolum circumcisionis cum apostolo gentium, nedum ante apostolum gentium, nedum diutius quam apostolum gentium. Eximius est locus apud Lactantium: *Discipuli, qui tunc erant undecim, adsumptis in locum Iudæ proditoris Matthia & Paulo, dispersi sunt per omnem terram ad evangelium prædicandum, sicut illis magister Dominus imperaverat, & per annos XXV, usque ad principium Neroniani imperii per omnes provincias & civitates ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit. &c.* lib. de mort. persecutor. cap. II. Annos illos XXV numerat idem scriptor a passione Domini, quam ait fuisse duobus Geminis consulibus, id est, anno Dion. 29. Petrus igitur, perinde ut ceteri apostoli, *per annos XXV* passim fundavit ecclesiam, donec ipse *Romam* veniret: unde prono errore multi eum *annos XXV Romæ* fuisse dictitarunt. Anni XXV sunt a passione Domini ad initia *Neronis Claudii*: anni item XXV ab initiis Tiberii Claudii ad martyrium Petri. Ineunte imperio Neronis Petrus Romam venit: id nonnulli ineunte imperio Claudii factum putarunt. Itaque annos hos XXV pro annis illis XXV arripuerunt.

4. Barnabas ex patria sua Cypro Act. IV. 36. XV. 39 Antiochiam redierat.

5. Deinde Paulus iterum Galatiam & Phrygiam peragravit.

6. Ad Galates, *cito* in transversum actos, ex Phrygia scripsit Paulus, quum bis apud eos fuisset, Gal. IV. 13. coll. Act. XVI. 6. XVIII. 23, & pauperum apud ipsos Galatas memor fuisset: 1 Cor. XVI. 1. quum paullo ante Petrus & Paulus fuissent Antiochiæ. Gal. II. 11. coll. Act. XVIII. 22. Eo tempore jam ferebat stigmata Domini IEsu in corpore suo. Act. XIV. 19. XVI. 23.

7. Apollo Ephesum venit, & inde Corinthum.

A. 50. 51. 52.

Tres menses, *& biennium*, Ephesi degit Paulus. Act. XIX. 8. 10. Redit Ephesum Apollo. coll. 1 Cor. XVI. 12. Paulus in spiritu proponit, per Macedoniam & Achajam ire Hierosolymam & inde Romam. Timotheum & Erastum mittit in Macedoniam: ipse remanet aliquod *tempus* in Asia. v. 22. Ephesi tumultum excitat Demetrius. Act. XIX. 1 Cor. XV. 32. Paulus priorem ad Corinthios scribit Epistolam A. 52 circa pascha, in ipsa epistola non semel alludens ad id festum. Eam Ephesi scriptam esse, Millius in Proleg. n. 10. ex 1 Cor. XVI. 8 non dubitanter, sed firmiter, pro stilo veterum, agnoscere debuit. Erat tum annus mundi 3994. quarto millenario ad exitum properante. Opportune ergo scribit, *fines æonum ingruere*. cap. X. 11. Timotheum Paulus Corinthum mittit: mox inde redit Timotheus. 1 Cor. IV. 17. XVI. 10. 11. Tempus, quod Paulus Ephesi docuit, dicitur *triennium*, sed non totum. Act. XX. 31.

Circa pentecosten Epheso discessit, 1 Cor. XVI. 8. Timotheo ibi relicto. 1 Tim. I. 3. Subsecuta est maxime *trimestris* in Hellade mora Pauli. Act. XX. 3. Quare pentecoste non hujus anni, sed sequentis erat, ad quam properabat Hierosolymam, ib. v. 16. Locus Act. XX. 1—6 concise complectitur historiam decem mensium: & mox videbimus res magnas & multas, quas id intervallum capit. In

In Macedoniam tendens Paulus, Troadem proficiſcitur, 2 Cor. II. 12. & ex ea regione (quanquam Laodiceam memorat vetus ſubſcriptio,) priorem epiſtolam ad Timotheum, non demum poſt biennium in vinculis Romæ tranſactum, ſed jam, ut ad *adoleſcentem* ſcribit, ſperars, ſe cito Epheſum ad eum eſſe venturum. Veruntamen Corinthiorum deſiderio properat in Macedoniam. Titus Corintho, quo Paulus eum miſerat, & Epheſo Timotheus (2 Cor. I. 1.) ad eum veniunt. Titum remittit Corinthum & ſcribit epiſtolam 2 ad Corinthios ex Macedonia. vid. ibi cap. IX. 2.

Partibus illis peragratis, evangelium uſque ad Illyricum propagavit. Multa recenſet Paulus 2 Cor. VII. 5. XI. 23. quæ Lucas non memorat. In eadem epiſtola, priorem, eodem anno Iuliano datam, reſpiciens, tamen potuit dicere πέρυσι *anno præterito*, quia autumno interpoſito novus apud Iudæos & Græcos annus cœperat. Quæ 1 Cor. VII. 26. de *præſenti neceſſitate*, & 2 Cor. VIII. 13. de *præſenti ſanctorum inopia* memorantur, in diutinam ſub Claudio famem, in Græcia inprimis gravem, proprie conveniunt.

Venit in Helladem Paulus: manet ibi menſes tres.

Corinthios priore epiſtola ita perculerat (1 Cor. IV. 18. 21. V. 4.) ut id plane pro adventu ſecundo haberi poſſet: & in altera tertium jam ipſum adventum ſuum repræſentarat. Venit igitur Corinthum: quæ certe urbs erat Helladi finitima, aut plane urbs Helladis ſenſu Ptolemaico dictæ.

Epiſtolam ad *Romanos* ſcribit Paulus. Neque enim Claudii ſeveritas in Iudæos diutina fuit, ut ex Ioſepho, lib. 20 Ant. c. 8 &c. colligere licet. Quare etiam Chriſtianis Roma patuit, ut ipſa Pauli ad eos epiſtola docet, & loca ejus ſpeciatim, c. I. 7. 13. XVI. 3. 5 ſeqq. Aquilam inprimis & Priſcillam ſalu-

tat, qui Corintho cum Paulo Ephesum venerant, magnamque Paulo fidem præstiterant, Ephesoque Romam redierant. Postea tamen Ephesum reversi sunt. Act. XVIII. 2. 18 seq. 1 Cor. XVI. 19. Rom. XVI. 3 seq. 2 Tim. IV. 19.

Conatur Paulus in Syriam ἀναγεσθαι *navigare*. Titum in Creta relinquit, quanquam id Lucas non memorat, quippe qui etiam alia loca, quo Paulus venit, transilit, ut Arabiam, Act. IX. 23. coll. Gal. I. 17. & Troada, XX. 1. coll. 2 Cor II. 12.

Itaque Timotheum & Titum Paulus antea per minores exercuit legationes: deinde alteri Ephesum commisit, alteri Cretam.

Insidiantibus Iudæis, revertitur per Macedoniam. Constituit Nicopoli hiemare: epistolam ad Titum scribit, in qua de Iudæorum perversitate, tum valde se exerente, agit: Titum Nicopolin jubet venire, & Zenan & Apollo, qui cum Paulo & Tito in Cretam videntur venisse, sublevare. A comitibus salutem dicit, quos non nominat, quia Titus paullo ante una fuerat. Act. XX. 4.

A. 53.

Post dies azymorum proficiscitur Philippis Troadem: Hierosolymam pervenire conatur ad pentecosten: Mileti presbyteris Ephesiis valedicit. Venit Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream, Hierosolymam. Ibi comprehenditur. Erant tum anni *complures*, ex quo Hierosolymis fuerat, Act. XXIV. 17, nempe *quatuor*. Etiam *tres*, pro re nata, *multi* dicuntur, ut apud Ciceronem, l. II. ep. 8. n. 4. & l. V. 12. 6.

Series utriusque biennii a Paulo Cæsareæ & Romæ in vinculis transacti, pendet ex annis Felicis, Iudæam obtinentis, eorumque initio ac fine. Felicem Iosephus lib. XX. ant. c. 8 & l. II de bello jud. c. 21. Cumani *successorem* in Iudæa facit, anno Claudii 12. Dion. 52. sed Tacitus l. XII. annal. c. 54. ait, Cumanum tum quidem a Quadrato condemnatum

tum, sed Felicem IAM PRIDEM Iudææ impositum fuisse, & Samaritas Felici paruisse, Cumano Galilæos. Atque ex toto loco illo colligere licet, Felicem etiam ante Cumanum, qui A. 48 in Iudæam venit, potestatis aliquid in Iudæos habuisse: quomodo Suetonius quoque Felicem a Claudio *cohortibus & alis provinciæque Iudææ*; Victor in Epitome, *legionibus Iudææ præpositum fuisse* ajunt. Gradatim igitur Iudææ Felix est potitus: primum, sub procuratore; deinde cum procuratore; postremo, unus procurator. Itaque Paulus anno Dion. 53 recte dicere potuit, Felicem *ex multis annis IVDICEM* esse huic populo. Act. XXIV. 10. Appposite Tacitus ait, Quadratum, cum ei a Claudio jus datum fuisset de Cumano & Felice statuendi, *Felicem inter IVDICES ostentasse*, receptum in tribunal, quo studia accusantium deterrerentur, Cumanum autem condemnasse.

Eodem anno 53 Ægyptius pseudopropheta magnam multitudinem eduxit in eremum. Is a Felice victus, evasit, & a Festo demum interemtus est. vid. Ioseph. l. II de Bello jud. c. 23. & l. XX. Ant. c. 12. Ideo tribunus Paulo ait: *Tune es Ægyptius ille?* Act. XXI. 38. recentem quippe tumultum notabat.

A. 54.

Felix Paulo indulget, sua causa.

A. 55.

Completur biennium vinculorum Pauli sub Felice. Hoc nemini persuasero, qui chronologos audit, Paulum serius vinctum inducentes: agnoscet vero, qui testimonium veterum perceperit.

1. Ananias, qui Paulum Act. XXIII. 2. 3. XXIV. 1 insectatus est, Nebedæi filius erat, pontificatum nactus A. 47. Hujus Ananiæ pontificatum nimis diuturnum facere videntur, qui vincula Pauli tam sera statuunt.

2. Azizus Emesenorum rex anno 1 Neronis, qui cœpit imperare A. 54 mense octobri, obiit, ut Iose-

phus l. XX. ant. c. 5. docet. Vxor Azizi erat Druſilla. Felix igitur, & Druſilla, quam Lucas notanter *mulierem*, non *Felicis uxorem* appellat, ante mortem Azizi audiit Paulum.

3. Nero ſucceſſit Claudio A. 54, & Felix primo Neronis tempore coactus eſt Romam redire, vehementi fratris Pallantis deprecatione pœnæ graviori ſubductus, qui tum, ut Ioſephus ait, Neroni carus erat, ſed paulo poſt, A. 55, cura rerum demotus eſt. Felici Feſtus ſucceſſit, qui Iudæam obtinuit uſque ad A 59. Pauca de eo memorat Ioſephus, quia non magna mutatio ſub eo accidit. Iudæorum cauſam, quam Feſtus Romam rejecerat, Poppæa apud Neronem adjuvit, eamque hoc nomine laudat Ioſephus: & nuptias quidem cum Poppæa fecit Nero A. 62, ſed A. 58 eam cœpit amare. Itaque Poppææ favor erga Iudæos non cogit nos ad vitam Feſti producendam. Scite Ioſephus l. XX. ant. c. 15. eam appellat γυναῖκα (ut Druſillam Lucas,) *mulierem*, non *Neronis uxorem*.

4. Hieronymus: *Poſt paſſionem Domini*, inquit, *viceſimo & quinto anno, id eſt, ſecundo Neronis, eo tempore, quo Feſtus procurator Iudææ ſucceſſit Felici, Romam vinctus mittitur* Paulus. de viris ill. cap. V. Caſſiodorius parum diſtincte ſcribit, ſed tamen non longe abit, in Chronico: *His* (Marcellino & Aviola) *COSS.* (A. D. 54.) *Paulus apoſtolus Romam vinctus a Felice præſide Iudææ deſtinatur.*

A. 56.

Paulus in vere Romam venit.

A. 57.

Romæ docet: multos ſubinde evangelii miniſtros ſecum habet. Tales erant Timotheus, Tychicus, Oneſimus, Ieſus Iuſtus, Epaphras, Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas.

A. 58.

A. 58.

Vinculis solvitur Paulus. Epistola ad Hebræos datur. Hieronymus l. c. *Sciendum, in prima satisfactione, nec dum Neronis imperio roborato*, (Eusebium sequitur Hieronymus,) *nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiae, Paulum a Nerone dimissum, ut evangelium Christi in occidentis quoque partibus praedicaretur.* & cap. VII: *Historia voluminis egregii, quod titulo apostolicarum praxeon praenotatur, usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad QVARTVM Neronis annum.* Is annus respondet anno 57 & 58 Æ. Dion. Idem capite II refert, Iacobum 30 annos Hierosolymorum rexisse ecclesiam, id est, usque ad SEPTIMVM Neronis annum, & eundem post mortem Festi, antequam Albinus in provinciam veniret, ab Iudæis esse interemtum. Anni illi 30 numerandi sunt ab A. D. 30 ad 60. Sed ii, qui mortem I. C. non A. Dion. 30, sed tribus post annis factam putant, martyrium quoque Iacobi & mortem Festi anno demum 63 Dion. accidisse putarunt, & sic annos Felicis & Festi cum apostolica eorum annorum historia retardarunt. Vicissim in antiquo scripto Arabico de Vitis quatuor Evangelistarum apud Alstedium in Thesauro chron. p. 104 seq. res ita acceleratur, ut Lucas etiam Acta scripsisse perhibeatur A. Dion. 54, quo tempore biennium Pauli jam Romæ praeteritum fuisset. Nos rursus medium tuemur, cum potiore antiquorum testimonio.

Valde insignis est annus 58 Dion. nam ante ejus exitum exiit annus mundi 4000. Tum epistola ad *Hebræos Iudaismum* insigni testimonio antiquavit: tum *Acta apostolorum*, ad eum usque terminum deducta, Romæ & mundo depositum *Christianismi* reliquerunt.

A. 59 — 66.

Postrema cursus Paulini pars fructibus scatet uberrimis. Ex Italia venit in regiones orientales. nam

ad Philippenses in vinculis scribens confidebat, se cum iis fore: a Philemone Colossensi hospitium parari voluit: Hebræos dispersos in Asia se visurum declaravit. Ad Ephesios non rediit. Act. XX. 25. 38. In Hispaniam quo minus iret, vincula eum retardarunt: & tanto intervallo necessum duxit prius revisere orientis regiones. Tum vero satis certe spatii habuit ad Hispaniam visendam: & quidem Clemens Romanus eum ad τὸ τέρμα τῆς δύσεως *terminum occidentis* perveniisse scribit. Ep. I. § V. Si id factum est, tamen rursus in orientem venit. namque rursus Mileto, Troade, Corintho rediit Romam. Paullo post reditum scripsit epistolam II ad Timotheum, qui vel Ephesi vel in illa regione erat, & item paullo ante mortem. vid. Cl. Gudii comm. de statu Eccl. Eph. & de vinculis Pauli secundis, p. 213 &c. In ea epistola nonnullos, quos in epistola ad Romanos & in epistolis Romæ antehac scriptis memoraverat, nunc non appellat: nonnullorum etiam mentionem facit, cum aliis, quorum nulla prius facta erat mentio. cap. IV. 10. 21. Huic vicissitudini intervallum decem fere annorum respondet.

Historiam Pauli, & in Actis apostolorum & in ipsius epistolis descriptam, inprimis Vsserius ita digerit, ut eadem quam proxime ad martyrium ejus diducatur: sed hac vacui fuga superfederi potest. Multo plures aliorum apostolorum res gestæ reticentur. Describit Lucas propagationem præconii apostolici ab Hierosolymis Antiochiam & Romam usque. Hic aptissimus erat terminus. Pulcre H. Bullingerus in Serie temporum & rerum a S. Luca in Actis traditarum, cap. XVII: *Habemus relatum in literas, quid prædicarit Paulus Syris, Asianis, Insularibus, Macedonibus & compluribus aliis gentibus: & ea quidem omnia pulchre sibi constant, & omnia sunt generis ejusdem: unde necessario colligimus, nihil aliud Lucam, quod doctrinæ substantiam attinet, tradere potuisse, licet reliqua*

Pauli

Pauli fuisset prosequutus, nisi hoc ipsum quod huc usque tradidit. Nova duntaxat locorum & populorum nomina posuisset: at ea ad pietatem nihil faciunt vel augendam vel minuendam. Habemus præterea elegantissimas descriptiones interitus S. Ioan. Baptistæ, S. Stephani, sed & beati Iacobi apostoli consignationem brevissimam. Idem vero est exitus beatorum omnium, mortis genera diversa sunt: at in hoc nulla sunt pietatis momenta. Habentes ergo aliquot sanctorum mortes, ex iis judicare possumus quales fuerint omnes omnium aliorum servorum Dei passiones. Plene ergo omnia ea nobis tradita sunt scripturis canonicis quæ ad perfectam pertinent doctrinam pietatis, licet destituamur aliquot historiis, locorum, inquam, temporum & personarum circumstantiis.

A. 67.

Petrus & Paulus Romæ occiduntur. Dies 29 Iunii pro die martyrii habetur: sed id vix cum loco 2 Tim. IV. 6. 9. 21 conciliabitur. Certior est ipse annus, qui erat 37 a passione Domini, 14 Neronis, 2 post mortem Senecæ. vid. Hieron. lib. cit. cap. I & XII. Vtrum ultro Romam venerint, an ex provinciis orientis eo ducti fuerint, ut postea Ignatius, non liquet. De Paulo hoc quidem colligimus ex 2 Tim. I. 16. 17. nam Onesiphorus vincula Pauli non tam cito, opinor, resciisset, nisi vinctus Romam Paulus venisset.

Annos 35 apostolatus Paulini statuit chronologia Eusebiana, eoque ita partitur, ut 21 ante vincula, 2 in vinculis Cæsareæ, 2 in vinculis Romæ, 10 deinceps, ante martyrium, transactos statuat. Id cum rationibus nostris, rem ab A. D. 31 ad 67 deducentibus, satis congruit.

§ IV. *Post martyrium Petri & Pauli pauciora momenta notanda occurrunt.*

A. 70.

Vastata sunt Hierosolyma, Vespasiano iterum & Tito COSS. vid. Tacit. l. 4. Hist. c. 38. & lib. 5. cap. 1.

10 seqq. & respondent, quæ de morte Vitellii refert Iosephus lib. 5 de Bello jud. in extr. & lib. 6.

2. Claudius A. 41 Æ. Dion. imperare cœpit: anno Claudii 8 Herodes obiit rex Chalcidis: Herodis principatum Agrippæ juniori dedit Claudius: anno 21 Agrippæ capta est Iudæa, ut docet numus apud Witsium, T. II. Misc. p. 335. id est, anno 70 Æ. Dion. Ad 41 adde 8 & 21: habes 70.

3. Repete, quæ supra notavimus, p. 264.

A. 98.

Iohannes apostolus obdormit. Id anno 68 a passione Domini accidisse, docet Hieronymus, qui annus ei est 98 Æ. Dion. Varias aliorum sententias refert Lampius in Proleg. Ioh. lib. I. cap. 6. Anno illo 98 consulatum gessit *Sura*, mense Iul. Aug. Sept. at anno 104 *Suranus*, quem facile nonnulli pro *Sura* arripuerunt, & ex anno 98 in annum 104 obitum Iohannis contulerunt.

A. 107.

Simeon apostolus, filius Cleophæ, annos natus 120, crucifigitur.

Finis cursus apostolici, & *Seculi* primi Christiani ab anno Iul. 41. ad 152.

§ V. *Cum annis ita digestis cohærent tempora illa, quando libri N. T. scripti sunt.*

Sententiarum varietatem de hac re exhibuerunt Pritius & Hofmannus in Introd. in lect. N. T. Rumpæus in comm. crit. & citati ab his alii: nos pauca observabimus.

Iohannes post ceteros evangelistas scripsit *evangelium*, & id tamen etiam ante vastationem Hierosolymorum scripsit, ut ex Ioh. V. 2 perspicitur. Vnde non est, cur iis fidem denegemus, qui olim tradiderunt, evangelium Iohannis scriptum esse 32 annis post ascensionem Domini. Eorundem plerique docent,

cent, *Matthæum* ſcripſiſſe anno Caji 3 ſive annis 8, *Marcum* annis 10, *Lucam* annis 15 poſt Domini aſcenſionem, quam ii ſtatuebant A. Dion. 31 eſſe factam. Itaque de illorum ſententia ſcripſit

Matthæus	A. D.	39.
Marcus		41.
Lucas		46.
Iohannes		63.

Lucas quidem evangeliſtam agere jam A. D. 46 poterat. nam Herodes A. 44. periit: Act. XII. 23. Ibidem verſu 25 & in toto paſſim libro Lucas plane loquitur, ut qui *Antiochiæ* in Syria domi ſit: Antiochenumque eum veteres fuiſſe teſtantur. Itaque res Antiochenas imprimis copioſe deſcribit: & *Antiochiam* ſuam abſolute appellat Antiochiam; aliam *Antiochiam* (erant enim multæ) diſcriminis cauſa, *Piſidiæ* dicit. Sunt qui eum pro *Lucio* illo Cyrenæo habeant, qui Antiochiæ floruit primis jam temporibus. Act. XIII. 1. coll. Rom. XVI. 21. Enimvero *Lucas* diminutiva & familiari terminatione dicitur, *Lucius* alias dictus, ut oſtendit Hilleri Onom. p. 681. Certe circa annum 48 Lucas evangelium prædicavit cum Paulo, Act. XVI. 10. Evangelium vero ſcripſit καθεξῆς *protinus* ut ipſe certam cognitionem fuerat aſſecutus: unde etiam proœmium ejus ad Theophilum lætitiam recentem ſpirat.

Porro quum tempus, quo Iohannes, quo Lucas evangelium ſcripſiſſe feruntur, hiſtoriæ reſpondeat: de Marco quoque & de Matthæo facile aſſentimur. Scripſere hi duo, quum *Iacobus* Iohanne notior eſſet: nam hunc illius fratrem appellant, contra ac Lucas poſtea Iacobum *Iohannis* fratrem. *Matthæi* ſcriptio convenit in annum 39. *Marci* in annum 41. quo tempore facta eſt fidei propagatio, deſcripta Act. XI. 19 ſeqq.

Alterum Lucas librum, *Acta Apoſtolorum*, ſcripſit poſt biennium a Paulo Romæ tranſactum, breviore vel longiore intervallo. *Pau-*

Pauli epistolæ quibus temporibus scriptæ sint, inprimis observare expedit. Eas in tabella, locis etiam additis, exhibemus.

Circ. A. Dion. 48.	Corinthi :	I & II ad Thessal.
49.	in Phrygia :	ad Gal.
52.	Ephesi :	I ad Cor.
	Troade :	I ad Tim.
	ex Macedonia :	II ad Cor. & ad Tit.
	Corinthi :	ad Rom.
57.	Romæ :	ad Philipp. Philem. Eph. Coloss.
58.	ex Italia :	ad Hebr.
66.	Romæ :	II ad Tim.

Hunc fere ordinem probat Theodoritus in protheoria epistolarum Pauli, quas sic collocat : I & II ad Thess. I & II ad Cor. I ad Tim. ad Tit. Rom. Gal. Philipp. Philem. Eph. Col. Hebr. II ad Tim. Et sic fere etiam Chrysostomus in proœmio ad epistolas Pauli : ubi & recte censet, apostolum prius ad *Galatas* quam ad *Romanos* scripsisse, quanquam ut plurimum alias cum Theodoriti ordine congruit : & ordinis utilitatem exemplo epistolæ ad *Romanos* & ad *Colossenses* scite ostendit, quarum illa infirmorum, hæc libertatis rationem haberi jubeat.

Catholicarum epistolarum minus nota sunt tempora. Iacobus interemtus est A. 60, uti vidimus § III. ad A. 58. Initium belli judaici factum A. 66. Epistolam *Iacobus* proxime ante mortem scripsit, imminentem Iudæis denuncians perniciem. Priorem Petri, de qua mox, respicit Iacobus c. IV. 5. *Petrus* morte crucis glorificavit Deum, A. D. 67, & epistolam alteram paullo ante mortem, priorem paullo ante alteram scripsit. Post Petrum *Iudas* scripsit epistolam, cum deterior jam ingrueret ætas. *Iohannes* epistolas tres paullo ante obitum scripsisse censetur, & *Apocalypsin* A. D. 96 scripsit.

CAP.

Cap. VII.

QVO

VERA SVMMA ANNORVM A PRINCIPIO MVNDI AD EPOCHAM DIONYSIANAM ATQVE ADEO AD NOSTRAM ÆTATEM INDICATVR ET DENVO CONFIRMATVR. *

§ I.

A creatione ad Iechoniæ liberationem sunt anni 3381, menses 6. ab Iechoniæ liberatione ad epocham Dionysianam, anni 560, menses 9.

SVMMA, Anni 3942, *menses* 3.

Ipsa Domini nostri IEsu Christi nativitas epocham Dionysianam *triennio* anteceſſit, ut ostendimus p. 237. Itaque natus est post elapsos annos mundi 3939 mense quarto. Habet autem æra Dionysiana progressum duntaxat expeditum ad hodiernum usque diem.

§ II.

In coagmentanda chronologia sacra & profana varie procedunt homines eruditi. Alii, per speciem religionis, totum filum ex una Scriptura sacra per omnia secula deducere conantur, externa tamen chronologia limis oculis inspecta, & dissimulanter adhibita. Alii contra, polymathiæ dediti, externam chronologiam summopere venditant, quasi sine Ægyptiorum & Chaldæorum, ac jam Sinarum quoque portentosis reliquiis, neque proram chronologiæ sacræ neque puppim sartam tectam habere possimus. Medium tenet simplicitas: quæ quod datur acci-

* Ordinem Temporum, *A.* 1741 *editum, ante & postea per septem inde annos multis occasionibus gnaviter examinavi atque ad hanc usque horam nonnisi plenos* 3942 *annos a creatione ad Epocham Dionysianam elapsos invenio.* Zeugnis p. 122.

accipit; quod non datur, non desiderat. Qui ante captivitatem Babylonicam annos regum externorum necessarios putant, Scripturæ solem facula adjuvare conantur, uti capite III ostendimus: qui vero post captivitatem Babylonicam omnes temporum rationes a sola Scriptura postulant, quum eas in mundo habeamus, a superstitione prope absunt. v. gr. quis sit annus regni Evilmerodach, quis tertius annus Cyri, quis Arthasasthæ annus 32, non docet Scriptura, sed ut aliunde cognitum cognoscendumve præsupponit. Primos annos a sola nos Scriptura sumsimus: *citeriores*, ab historia externa repetiimus, quos tamen ipsos Scriptura *summatim* comprobat.

§ III.

Immanis est chronologorum discrepantia, ut docet inprimis tabella Fabriciana opinionum de anno mundi conditi, quo natus sit Christus, quæ auctior exstat in præfatione Lampii ad Hottingeri Pentadem chronologicam. Summatim, ducentas circiter computationes se collegisse, ait Alph. Des-Vignoles, quarum extremæ distent 35 seculis. Tom. I. chron. p. 2. Nos medias excerpimus. Hieronymus (ut in illa tabella citatur,) statuit annos 3941. *Paulus Aſphe*, (pro quo alii perperam *Alphae* scribunt,) in chronotaxi Danielitica A. 1560 Germanice edita, p. 78. nactus est annum 3937. Palmam obtinet annus 3940 currens, & hoc admisso melior pars chronologorum in concordiam redigitur.

Numerum annorum mundi nimis amplificant recentiores, qui *vel* gentium fabulas verbo divino, & LXX interpretes postliminio veritati hebraicæ præferunt, ut li. Vossius: *vel* sinceritatem hebraici textus, præsertim 1 Reg. VI. 1, sollicitant, ut G. Vossius: *vel* annos 480 eodem loco ita legunt, ut tamen annos ab Exodo ad Templum multo plures faciant, ut Kohlreiffius.

Propius ad veritatem accedunt recentiores & antiquio-

tiquiores, qui *annos* addunt *60* fere, Abrahamum anno 130, non 70 Tharæ natum arbitrati, ut Vſſerius: vel *annos 40*, pro exitu ex Ægypto 1 Reg. l. c. introitum in terram Canaan ſumentes, ut Petavius. Nonnulli *60 ſimul & 40 annos*, imo amplius, addunt, ut Ravius, & Waſmuthus, nec non Megerlinus. Rurſus alii, parcius, *annos 20*, Nabopolaſſarum pro Nebucadnezare habentes, ut Funccius. Scaligeriana denique chronologia *7 tantummodo annos* addit, quum anno Semi 102, non 100, Arphaxadum natum eſſe, & Abrahamo promiſſionem anno 75, non 70, datam ſtatuit. His annis 60, vel 40, vel 20, vel 7 exemtis, apud defenſores eorum puſilla tantummodo, dum rotunditatem annorum ſabbaticorum, jubilæorum, ſeculorum & milleniorum alieno loco quærunt, diſceſſio remanet. Propterea, quicquid *Scaliger*, *Petavius*, *Vſſerius*, plerique alii, ex vero diſſerunt, id nobis præſidio eſt: &, annis, quos illi addunt, liquido expunctis, ad unam tandem iidem, quod vix quiſquam ſperaſſet, ſummam ſtabiliendam concurrunt. Inſigne opus, quod Alphonſus Des-Vignoles concinnavit, in eo intervallo, quod ipſe titulus refert, annos *ab Exodo* ad templum nimis diducit, a Templo *ad captivitatem* non nihil contrahit, ſed annos mundi ante Exodum recte conſtituit, non niſi *7 annis* additis, Tom. I. p. 130. & Ioſepho præclare vindicato, & annos a Captivitate, imo ab æra Nabonaſſari (quanquam eam annis regum Iuda non optime accommodat,) ita explicat, ut nihil poſſit exactius deſiderari.

§ IV.

Mundus literarius *opinionibus* paſcitur. Multi opiniones ſuas, alienas, amplectuntur, & pro demonſtrationibus venditant. Vbi aliquoties decepti ſunt, in contrarium verſi etiam juſtas demonſtrationes pro opinionibus habent. Vſque adeo demonſtratio opinioque confunduntur, ut vix progreſſuum quidquam fiat

fiat in veritate. Musea, officinæ, tabernæ, compita, fora fervent. quorsum? ut opiniones, &, quod quibusdam melius sapit, opinionum historiæ cumulentur. Quam in partem, quæ huc usque deduximus, accipi possint debeantque, serio velim perpendi.

§ V.

Anno æræ Dion. v. gr. 1742 adulto, quotus mundi annus exit? Resp. Ad 3942 adde 1742. Summa est 5684.

CAT. VIII.*

DE FVTVRIS, IN SCRIPTVRA PROVISIS AC REVELATIS:

DE ADVENTV CHRISTI:

ET DE MODESTIA DILIGENTIAQVE HIC ADHIBENDA.

§ I.

Quisquis Deum & verbum ejus reveretur, sobrietatem in scrutandis rebus divinis nunquam deponit, neque curiositate carnali in ea conatur arcana irrumpere, a quibus sepe aliqua aut velo se arceri sentit, sed justo potius intervallo remotus subsistit, & necessaria maxime, maxime quærit. Quæ vero Deus docet, ea discere utique debemus, ordine.

II. Gra-

* *Ordo Temporum XII capitibus constat. Præcedentia VII capita nonnisi de præteritis temporibus agunt, atque in omnibus partibus suum demonstrant consensum cum iis chronologis, qui nullam theologiæ propheticæ rationem habent. In sequentibus V capitibus etiam præteritis temporibus plus datur quam futuris.* Weltalt. p. 314. *Nullus eventus sive magni sive parvi momenti occurret, quem cum suo tempore ob prophetias immutaverim, ut alius appareat, ac historia per se docet.* Weltalt. p. 322.

II. Gradatim Deus in patefaciendis regni sui mysteriis progreditur, sive res ipsæ spectentur, sive tempora. Opertum tenetur initio, quod deinde apertum cernitur. Quod quavis ætate datur, id sancti debent amplecti, non plus sumere, non minus accipere.

III. Non solum res futuræ, sed etiam futura tempora subinde sunt prædicta divinitus: noviſſimam vero pleniſſimamque in Scripturis revelationem Futurorum & in ipso suo titulo pollicetur *APOCALYPSIS* & revera exhibet.

IV. Ipsam apocalypseos *tractationem* exhaurit liber, quem dextra sedentis in throno habebat. Is liber, septem sigillis obsignatus, summa solennitate proponebatur. Ad eum aperiendum nulla creatura capax reperiebatur: unus Leo de tribu Iuda aperuit. Illud deflevit Iohannes: hoc quis nostrûm grato ac læto accipit animo? Apertis sigillis, res maximæ, & plurimis *temporum* indiciis comitatæ, exoriebantur: & quicquid sigilla clausum habuerant, reclusum fuit. Novam rerum scenam ita sistit Apocalypsis, ut præcipue temporum ea pandat Arcanum.

V. Multa igitur, quæ ante Apocalypsin vel minus nota vel prorsus ignota erant, per eam nota esse cœperunt: atque ea potiſſimum ipsa, quæ antea expresse velabantur, magno illo documento revelantur. Perversi sunt, qui ea loca, quæ ante Apocalypsin aliquid tegebant, cum ipsa Apocalypsi quasi pugnantia committunt. Recte vero incedunt, qui & ea, quæ antea exstabant, & Apocalypsin ipsam docili mente conjungunt.

VI. *Tempora*, rebus adjecta, magni sunt. Agnus, dum celebrabatur ut dignus, qui aperiret librum, celebrabatur, ut dignus, qui *Sapientiam* quoque acciperet, quæ inprimis *Temporum* complectitur notitiam. 1 Chron. XIII (XII) 32. Rom. XVI. 27. Apoc.

XIII. 18. Sap. VII. 18. Iuramenta quoque angelica, uti Dan. XII. 7. sic Ap. X. 6, *temporum* spectant significationem.

VII. Duo sunt dicta Salvatoris insignia, quæ quæstione de futuris interdicere videntur, & a multis ad imminuendum prophetici verbi usum allegantur perperam.

VIII. Paucis ante passionem diebus discipulis intimæ admissionis, interrogantibus, respondit: *De die illo & hora nemo scit*, &c. & suos, quia *tempus & vigiliam* ignorarent, ad vigilandum hortatus est.* Marc.

---

* *De ratione exhortationis* DOMINI *ad vigilandum, quia dies novissimus ignoretur, nullum est dubium, quin ista pro diversis temporibus suam diversimode vim habuerit. ipsa* Christi *ætate nondum habuit locum, quemadmodum post eam. Atque post eam,* Christo e mortuis *suscitato, nullus die novissimo, sed vastatione Hierosolymæ ad vigilandum commoveri potuit. De* Iohanne SOLO *opinionem concipiebant fratres, eum fore adventui* DOMINI *superstitem: cum ex adverso* Petrus *atque alii vi dicti Matth. XXIV. 9. ad mortem ipsis ante vastationem impendentem sese parare deberent, quæ ipso facto vi Actorum quoad* Iacobum, *vi Historiæ Eccles. quoad* Petrum *vel etiam* Andream *consecuta est. Proinde pro sua ipsos parte finis mundi ad vigilandum non commovebat, nisi quatenus tunc* vivebant, *eorumque loco erant, qui die novissimo* victuri *erant. Quæ etiam fuit ratio reliquorum fidelium. expende,* nos, *1 Cor. XV. 52. 1 Thess. IV. 15. Quare 1 Thess. V. 1 – 6 non ex propinquitate (2 Thess. II. 2) sed ex adventu diei, qui futurus sit, repentino hortatio ad vigilandum ducitur, perinde ut 2 Petr. III, ubi etiam ii reprehenduntur, qui ad* Paulum *provocantes finem prope esse statuebant, unde eum irrisores, fallente eventu, plane negandi ansam arriperent. Nec eapropter apud tunc viventes frustranea fuit exhortatio ad vigilandum. Si quis a die exhortationis ad diem novissimum & viveret & vigilaret: digna tamen vigi-*

lantia

Marc. XIII. 32 seqq. Templum & urbem *ea, quae tum erat, generatione vastatum iri*, affirmarat: *sed de die illo*, inquit, & *hora* consummationis sive judicii, *nemo* scit. Ne templi quidem urbisve *diem* calamitosum indicavit: quare *dies ille & hora* plus latitudinis, cum hic sermo proferretur, habebat, ut etiam longius spatium innueretur nesciri. Sed tamen *de die & hora* expresse loquitur, non de *mense, anno* &c. *Hora* nesciri potest, id quod jam satis ad vigilandum movet, & tamen *dies* sciri: *dies* nesciri, & tempus paullo latius sciri. conf. Kohlreiffii chron. sacra, p. 425 seq. Porro ne *diei* quidem & *horae* scientia penitus negatur. alias ne Filius quidem diem & horam sciret. Negatur autem prævia scientia, pro ipso duntaxat præsenti sermonis tempore, ante Passionem & Glorificationem JEsu. Non dixit, *nemo sciet*, sed, *nemo scit*. Ipse jam jamque sciturus erat: & quum scientiam diei & horæ nactus fuit, Ipsius erat, scientiam dare, cui vellet & quando vellet.

IX. Post resurrectionem, quum apostoli conjunctim interrogarent: *Domine num in hoc χρόνῳ, spatio, restituis regnum Israeli?* respondit, Non vestrum est nosse *χρόνους ἢ καιρούς spatia aut tempora, quae Pater posuit in sua potestate.* Act. I. 6. 7. Dixit hoc Dominus ante Ascensionem, ante Apocalypsin: neque dixit,

lantia haec non esset beatitates promissae. accedit, quod defectus vigilantiae in generationibus prioribus securitatem insequentium post se trahit. Vastata urbe, ii qui ep. Pauli II. ad Thess. II Petri, & cetera ejusmodi testimonia nondum accepere, nondumve intellexere, facile putabant, diem Christi *prope adesse, eaque etiam opinione, licet erronea ad vigilandum moveri poterant. Cum vero in Apocalypsi tot periodi, & ipsi adeo mille anni interponerentur: tum dies novissimus apertissime differebatur, & tamen vigilantia acerrimis simul exacuebatur stimulis. Apoc. III. 3, XVI. 15.* Weltalt. p. 346 f.

Non licuit vobis quaerere, sed, summa lenitate, *non vestrum est scire*. Ipse verborum ordo est notabilis. *Non vestrum est*, inquit: & alios posthac fore innuit, qui sciant, quæ scire non sit apostolorum. Plerique apostoli cursum suum antea peregerunt, quam Apocalypsis daretur: eaque Iohanni data est, non ut apostolo, sed vi muneris illius prophetici novi, quod ad apostolatum accessit. Omnino tempora, quæ Pater posuit in sua potestate, libenter ignorant filii, quamdiu sita remanent in Patris potestate: sed quæ postea revelavit Pater, ea ipse potestati suæ diutius reservata manere non voluit, & hæc demum nosse, est eorum, quibus revelavit, & est tum, quum revelata sunt. Revelatio igitur, quovis tempore, norma est notitiæ sanctorum. Vltra revelationem se ingerere, curiosæ temeritatis est; citra subsistere, ingratæ socordiæ. Singularis momenti est temporum scientia*: quia Pater ea suæ potestati reservavit; & quia Idem ea postea patefecit. Qui scrutinium eorum pro otiosa speculatione, nulli cognitioni non postponenda, habent, nesciunt, quid sit in hoc genere gloriam Deo dare. Non erat patriarcharum, nosse, quæ per prophetas demum prolata sunt: non erat prophetarum, videre & audire, quæ apostolis de-

---

* *Si omnis scientia temporum horarumque interdicta est: apostoli post mortem Christi* resurrectionem *quidem, sed non resurrectionem* tertio die *credere tenebantur. Eodem prætextu iis utendum fuisset, quo nostræ ætatis homines adversus prophetias de temporibus utuntur. Non frustra* viginti *exstant* textus de futuris periodis *in Apocalypsi*, erkl. Off. p. 97. 98. *in quibus grave illud Iuramentum de consummatione mysterii DEI suum quoque habet terminum.* Zeugnis p. 190. *Sunt qui hunc locum omni temporum propheticorum scrutinio sic opponunt, quasi Pater se ipsum potestate, ulli quicquam de futuris rebus ac temporibus patefaciendi, abdicasset.* ibid. p. 55.

demum videnda & audienda obtigerunt: non erat apoſtolorum ante paſſionem Domini noſſe, quæ poſt reſurrectionem ejus perceperunt: non erat Petri noſſe, quæ triginta poſt Petri obitum annis in Patmo Iohannes vidit & audivit & in Apocalypſi deſcripſit. Quemadmodumque minimus in regno cœlorum major eſt Iohanne Baptiſta, ſic poſt datam a Domino apocalypſin ſanctis tempora innoteſcre, imo etiam ad filios hujus ſeculi emanare poſſunt, quæ apoſtolis, curſu prius defunctis, in ſorte alioqui excellentiſſima haud innotuerunt. Ego pro mea parte in iis, quæ non ſcripta ſunt, tam ſum remiſſus, quam qui maxime: ſed quouſque verbum veritatis nos vocat & admittit, ſequor & ſcrutor. Hæc mea eſt ratio, in maximis, in minimis: in iis, quæ omnes docent & diſcunt, quæve multi deſperant & negligunt: in iis, quæ aperte fructuoſa ſunt, quæve ſterilia & inania putantur. Quod ſcriptum eſt, ut mihi ſcriptum amplector. Quæ revelat Deus, diſci vult: quæ diſcenda erant, rari diſcunt aut diſci ſinunt: ſic fit, ut ea non ad ſapientiores, ſed ad auſcultantes perveniant. Hoc ipſo loco, Act. I, plus innuit Dominus, quam plerique putent: nunquam enim meram repulſam ſuis dedit, ne in his quidem verbis. Quæſtio apoſtolorum fuerat indefinite, de *chrono:* Ille de *chronis vel temporibus*, definite ſic appellatis, (nam duo adhibuit vocabula,) reſpondit per ænigma Re quidem vera a ſermone illo erant χρόνοι ἢ καιροὶ uſque ad eventum rei, de qua quærebatur. Vid. *Erkl. Offenb.* pag. 1091.

X. Iam Apocalypſis cum toto teſtimonio prophetico V. & N. T. quouſque progredi vel non progredi debuerit, noſtrum non eſt definire: ſed quo progreditur, eo, prout quiſque poſſumus, ſubſequamur oportet.

XI. Oſtenſionem ea futurorum deducit a Iohanne in Patmo uſque ad ipſum Domini adventum, & qui-

dem ita, ut, quo longius oſtenſio illa procedit, eo apertiora temporum dentur indicia. In ænigmaticas periodos propiora futura redigit: ſed eadem, ubi crepero væ tertii tempore elapſo humana chronologia præteritis adſtricta ſe ipſam deſerit, ad apertiorem de futuris revertitur ſermonem, & reſiduos mundi annos verbis quam maxime propriis capite XX pertexit.

XII. Quisquis temporum notationes, quibus ſcatet Scriptura a Geneſi ad Apocalypſin, animo complectitur, facile perſentiſcit, omnes inter ſe cohærere, & ſapientiſſimo conſilio ad unum ſcopum tendere, ut una ſumma ex tot articulis ſcite contexta & conſolidata exiſtat. Plane e Scriptura ſeries emicat annorum ab annis Adami uſque ad mille annos, quibus conſummatis mortui reviviſcunt. *Non magni intereſt, ſcire accurate durationem aetatis primae*, antediluvianæ, judice Des-Vignoles, Tom. I. chron. p. 118. ſi videlicet ea ætas per ſe ſpectetur. Plus dicimus: ſi omnibus articulis in hiſtoria Patriarchali, Iſraelitica, Evangelica, Apoſtolica, annos mundi adjectos Scriptura daret, non magnopere id nos juvaret ſine notitia annorum reſiduorum. Ex primis temporibus, quæ in hiſtoria V. T. notantur; ex mediis temporibus, quorum notitiam in mundo obviam, Scriptura partim præſupponit, partim dirigit; & ex noviſſimis temporibus, quorum ſupplementum prophetia exhibet, una demum tota ſumma reſultat, ex qua omnium partium pretium diſcitur. Majus quiddam eſt Chronologia Scripturæ, quam plerique cogitant.

XIII. Dicamus, quod res eſt: OMNIVM SCRIPTVRÆ TEMPORVM META EST ADVENTVS IESV CHRISTI GLORIOSVS.

XIV. Methodus divina ſingulos ſanctos & totam eccleſiam mirabiliter gubernavit. Subinde dedit pro-

promissionem aliquam, additis sæpe etiam temporum indiciis, ita fidem & spem sanctorum excitavit, exspectationem eorum aluit, patientiam eorum & longanimitatem exercuit, donec promissiones per inopinatos anfractus & innumerabilia impedimenta, in ipso temporis designati articulo, ad exitus suos perduxit, & hymnis canticisque in posteros propagandis glorioſissimam dedit materiem. Sic Exodus prædicta & præstita, sic Messias prædictus est & exhibitus: sic interitus hostium in Apocalypsi prædicitur & eveniet: sic maxime dies Christi prædicitur & aderit.

XV. Totus status fidelium V. T. erat exspectatio Messiæ in utroque adventu ipsius: totus status fidelium N. T. est exspectatio Salvatoris I. C. e cœlo. Huc omnia tendunt. Itaque totius jam Scripturæ scopus est demonstratio gloriæ Christi, quæ in adventu ipsius manifestabitur in salutem eorum, qui se illi in fide totos dediderint: & scopus temporum Scripturæ est, ut sancti doceantur, quando venturus sit Dominus; quanquam notitia illa non simul, sed gradatim magis definita vigilantibus obtingit.

XVI. Nullius viri insignis, nedum regni ullius historia ordinata aut scriptori aut lectori satisfacit, ubi summa annorum desideratur: mundi vero & ecclesiæ *historiam*, cujus pars est *prophetia*, sine ea contextam esse, quis putarit?

XVII. Scite Phil. Melanchthon ait: *Voluit Deus sciri tempora utriusque adventus Christi.* in præf. Chron. Carion. Sane in duas partes tota linea Scripturæ chronologica dividitur: altera est V. T. altera Novi. Vtraque vero adventum Christi glorioſum primario spectat; prior etiam tempus Christi in carne, sed incidenter. Adventus pristinus, sub aliena specie, in similitudine carnis peccati, mundo incognitus, characteres habuit ante definitos, prosapiæ, actionum,

num, passionum, &, ne omnia conquiramus, temporis. Tempus igitur pristini adventus indicatum fuit, quoad id opus erat, ut Messias agnosceretur; quanquam tum erant tempora *silentii*. Rom. XVI. 25. Multo autem magis tempus adventus glorioſi indicatur, non ut illo demum die agnoscatur; tum enim Ipse sui character erit fulgidissimus: sed quia DEus voluit, tempus N. T. esse tempus revelationis. Imo huc spectabant etiam antiquissima temporum indicia. Anni patriarcharum constabant ante Messiæ tempus; & tempus Messiæ noscebatur sine annis patriarcharum: eo autem pertinent anni patriarcharum cum annis subsecutis, ut ad ipsam summam temporum mundi aggregentur, & adventum Christi glorioſum demonstrent.

XVIII. Hoc termino sepoſito, non apparet, quare Scriptura per omnes suas partes tot tempora tam curate memoret: hoc termino admisso, non solum, *unde proficiscantur* tempora, cernimus, sed etiam, *quo tendant*. Divino consilio Scripturis intexitur Linea chronologica. *Incipit* cum ipso rerum ortu: *continuum* quiddam est: & *metam* habet, in qua acquiescat. Non solum excellit chronologia Scripturæ sacræ: sed plane hæc sola chronologia est vera, imo etiam perfecta, Scripturæque ipsius veritate atque perfectione dignam se exhibet. Progrediamur.

CAP. IX.

INDAGO APOCALYPTICA TEMPORVM MVNDI.

I.

Sapientia (ἡ σοφία, cum articulo,) ibi est, ubi numerus bestiæ recte tractatur. Apoc. XIII. 18.

II. Ea Sapientia est notitia œconomiæ divinæ, divinitus patefacta in Scriptura.

III. Eam

III. Eam ſapientiam numerus beſtiæ non per ſe nobis præbet, poſt interitum beſtiæ magna ex parte antiquandus, ſed quatenus ejus ope recluduntur rationes temporum, & tempora operum divinorum. *

IV. Numerus beſtiæ eſt periodus temporum, & quidem annorum 666 $\frac{2}{3}$: eademque periodus 42 menſium propheticorum titulo venit. (*Hoc, & alia complura, quæ in præſenti aſſerimus duntaxat, demonſtravimus in Exegeſi Apocalypſeos, Germanica præcipue.*)

V. Ab hac una periodo ad ipſam œconomiam divinam tantus eſt ſaltus, ut illa hanc non niſi tali analyſi *interpoſita* recludat, quæ ceteras temporum periodos, longiores præſertim, & catenam earum reſolvit.

VI. Numerum beſtiæ excedunt, ſed non longe excedunt, *tempora* 1. 2. $\frac{1}{2}$. Et ſic, non longe, tempora 1. 2. $\frac{1}{2}$. excedit *paucum tempus* væ tertii: ſic, non longe, paucum tempus excedunt *mille anni:* ſic, non longe, mille annos excedit *Non-chronus*: ſic non-chronum *Chronus* ipſe. Chronum excedit *aevum.* [Ævum *Graece eſt* αἰών· Chronum *etiam Latine dicere cogimur, vocabulo per derivata ſua Latinis, Germanis &c. familiariſſimo, ut diſtinguatur a* tempore, *quod eſt* καιρός.]

VII. Hunc quippe in modum illæ periodi, intercurrente duratione væ primi & ſecundi, ſe invicem

* Η ΣΟΦΙΑ (*cum articulo*) *id eſt,* Sapientia, *non qualiſcunque, ſed ipſa perfecta, eaque vel in numeris & temporibus ſita, vel certe cum iis ſingulariter conjuncta, repræſentatur in prophetia, Apoc. XIII. 18. eoque* magnæ ſcientiae *ſpes oſtenditur. Dan. XII. 4. 10.* Cycl. p. 11. §. 16,

666 per 42 dividere, non eſt Sapientia, ſed hanc diviſionem (de qua tamdiu non fuit cogitatum) eſſe inſtituendam, id cum multis aliis ad hanc pertinet Sapientiam. Zeuguis p. 56.

& coarctant & extendunt, ut tempora 1. 2. $\frac{1}{2}$. habeant annos plures quam 666.
paucum tempus, sive tempora 4, annos pauciores, quam 1000.
chronus, annos plures, quam 1000.
ævum, ultra 2000.

VIII. Milleni anni Ap. XX dicuntur *anni*, adeoque sunt anni plane definiti & absoluti, & quidem communes & naturales, non prophetici.

IX. At in 666 notandis vocabulum *annorum* sub ellipsi latet: ut item anni non prophetici quidem, sed communes, subaudiendi sint, qui si tamen alio vestigio a tropicis nonnihil diversi reperiantur, valde propriam ejus ellipseos rationem indicent.

X. *Anni* 1000 sunt fixi: 666 (anni, per *ellipsin*,) sunt magis versatiles. *

XI. Habent se 666, ad 1000 rotunde, ad 999 præcise, ut 2 ad 3.

XII. Eadem analogia præcise est inter $666\frac{666}{999}$ (ubi numerus 666 in integro & in fracto radiat,) & inter $999\frac{999}{999}$ sive 1000.

XIII. Una monas de numero bestiæ est $1\frac{1}{999}$: & talis certe monas est vere annus communis, dies 365 plenos, non plane 366, complectens; nec tamen est annus tropicus, sed cum appendice $\frac{1}{999}$, quæ aliquot horas infert.

XIV. Hoc potissimum loco celebramus admirabilem methodum cœlestis disciplinæ. Annos mundi ab Adamo ad captivitatem Babylonicam *proprie* enumerat Scriptura: postmodum ubi notitia temporum aliunde præsto est, annos nobis usque ad væ tertium in

* Numero 666 *ego nihil addo, sed* 1 *de* 666 (*uti suo loco demonstratum*) *est annus* $1\frac{1}{999}$, *& 666 sine ullo additamento accepti sunt anni* $666\frac{666}{999}$ | $\frac{1}{2}$ *ubi numerus fractus in summa ab anno integro sat longe abest.* Ehrenr. p. 161.

in Apocalypsi descriptum aliunde petendos fere relinquit, vel etiam ænigmatis eos involvit: postrema vero tempora Ap. XX rursum *proprio* sermone exprimuntur.

XV. Quum autem tam exacta sit *numeri bestiæ* & mille *annorum* analogia, *in mentem venit*, ceteras periodos eandem analogiam subire, ut

ævum sint		$2222\frac{2}{9}$ anni:
chronus,		$1111\frac{1}{9}$
paucum tempus, (numero proxime majori, quam $1.\ 2.\ \frac{1}{2}$, id est, 4.)		$888\frac{8}{9}$
tempus (καιρὸς)	$222\frac{2}{9}$	
tempora (duo)	$444\frac{4}{9}$ conjunctim	$777\frac{7}{9}$.
dimidium temporis	$111\frac{1}{9}$	

XVI. Non postulo subitum lectoris assensum: tantummodo ut *verisimile* hoc in præsenti propono. Historiæ responsus alibi ostenditur: characteres autem veritatis ex ipsis numeris emicantes hîc quoque declarabimus.

XVII. *Septenarius* numerus in omni Scriptura sacra regnat.* Septenarius dierum, annorum &c. apud Mosen & prophetas frequens est: septenarius rerum etiam per Apocalypsin est diffusus. Sed quum eadem in notandis temporibus tot numeros adhibeat, nullum tamen numerum minus exserte ponit, quam septenarium. Quod si analysis detur ejusmodi, ex qua septenarius etiam temporum resultet,

* *Sit ita, Septenarios temporum qualicunque systemati applicari posse, vel etiam senarios, &c. Attamen si textus istos, in uno vero systemate, in hoc illove articulo, nobis non quærentibus præsentes offert: non idcirco contemnendi sunt. Non demonstrant proprie, sed tamen radiant. Eorum gratia ne unum quidem eventum in alium, ac historia secum ferebat, annum conjeci.* Ehrenr. p. 161.

fultet, id eximium veritatis indicium omnes agnoverint. Hem! in annis jam habemus $777\frac{7}{9}$, ut feptenarius in fumma temporis 1. 2. $\frac{1}{4}$ lateat: neque dies fefe non dabunt.

XVIII. Sume tempus, five $222\frac{2}{9}$ annos. quot habet dies? 81165. id eft, *hebdomades* 11595.

XIX. Qui in anno dies 365. hor. 5. min. prim. 49. numerant, nec minuta fecunda curant, in toto tractu annorum $222\frac{2}{9}$ de 11595 hebdomadibus non deterunt 45 min. prim. Inter fubtiliores autem aftronomos, vetuftiores & recentiores, orientales & occidentales, ad quos Gregorianus ftilus accedit, medium tenet ea maxime fententia, quæ de anno Iuliano demit $_{10}'. \frac{''}{48}$. & in anno tropico numerat dies 365. horas 5. $_{49}'. _{12}''$. five dies $365\frac{97}{400}$.

XX. Hoc modo anni $222\frac{2}{9}$ præcife habent hebdomadas illas 11595, fine ullius punctuli defectu vel exceffu.

XXI. *Semitempus*, $111\frac{1}{9}$ annorum, habet 11595 *femihebdomadas*, five 5797 hebdomadas cum appendice dierum 3 & horarum 12.

XXII. Igitur femitempus ad feptenarium redigi non poteft: quæ ipfa propria eft ratio, cur ea periodus, quæ fupra vulgare feculum excurrit, & annos $111\frac{1}{9}$ complectitur, tamen non tempus, fed femitempus dicatur. At duplum ejus, feptenario infignitum eft.

XXIII. Ab hifce gradibus, $666\frac{6}{9}$, $999\frac{9}{9}$, ad minores majorefque, eis analogos, via patet. Fluit enim tempus in numero numerato, ut diebus dies, hebdomadibus hebdomades, menfibus menfes, anni annis accedant: fluit vero etiam in numero numerante, ut ex fingulis diebus, hebdomadibus, menfibus, annis, fiant 2. 3. 4. &c.

XXIV.

XXIV. Ac singuli quidem numeri ab 1, v. gr. ad 2, ad 4, ad 10, singulis vocabulis denotari solent: sed majores item & maximos quosque numeros aliis aliisque singulatim vocabulis distinguere non potest intelligentia aut lingua humana. v. gr. 5684 neque uno charactere manus nostra, neque uno verbo lingua exprimere potest. Itaque per certos articulos subinde ad monadem redeuntes & paullatim per se multiplicatos numerant homines. id quod divinæ sapientiæ beneficium est.

XXV. Nonnulli binarium, plures tetractyn sive quaternarium tentarunt: usus communis, & ipsa Scriptura, incedit per 10. 100. 1000. 10000. & sic deinceps.

XXVI. Nascitur *decas* e proximo minore numero, novenario, & in novenarium resolvitur, uti explanavit concinne *Isidori Charisii Logothetae* Theologia in numeris.

XXVII. Nos Progressionem in *annis* faciemus, eamque ordiemur ab ipsa monade per proximum myriadi novenarium fracta, $\frac{1}{9999}$, & subsistemus interdum, ut, quæ opportuna sint, observentur: progressionem vero, quoad opus erit, extendemus. Radix ergo est $\frac{1}{9999}$.

XXVIII. Dehinc gradatim augetur *numerator* monade: $\frac{2}{9999}$, $\frac{3}{9999}$, (saltum, ubi planum est iter, faciemus:) $\frac{100}{9999}$, $\frac{1000}{9999}$, $\frac{1111}{9999}$, (id est, brevius, $\frac{111}{999}$, $\frac{11}{99}$, $\frac{1}{9}$,) $\frac{7777}{9999}$ (id est, $\frac{7}{9}$) &c. Vbi numerator nominatorem assequitur, $\frac{9999}{9999}$ sive $\frac{9}{9}$, est 1.

XXIX. Vocabula quædam formare cogimur: & $\frac{1}{9999}$ appellabimus *Novenam* quartam; $\frac{1}{999}$ *Novenam* tertiam; $\frac{1}{99}$ *Novenam* secundam; $\frac{1}{9}$ *Novenam* primam, vel *Novenam* absolute.

XXX. *Novena* quarta infert 52 $\frac{1}{2}$ min. plen. *Novena* tertia, 8$\frac{1}{4}$ hor. plene: *Novena* secunda 3$\frac{3}{7}$ d. plene: *No-*

Novena prima, dies 40. hor. 13. $_{5}{}'_{8}$. $_{48}{}''$. præcise: rotunde autem est celebratissimum illud spatium 40 dierum. Gen. VII. 12. VIII. 6. L. 3. Lev. XII. 2 & 4. coll. 5. Num. XIV. 34. Deut. IX. 9. 18. 1 Reg. XIX. 8. Ez. IV. 6. Ion. III. 4. Matth. IV. 2. Act. I. 3. *Dies insignes* appellat Censorinus.

XXXI. Septem *Novenæ* $\frac{7}{9}$ sunt עת חיה tempus a conceptu ad partum. Gen. XVIII. 10. 14. 2 Reg. IV. 16. Vltra hoc spatium, & citra, versantur sententiæ Physicorum. vid. Alphons. a Carranza tract. de partu naturali, cap. 12.

XXXII. Monadem integram eadem serie comitantur fracti: $1\frac{1}{9999}$, $1\frac{1}{999}$, &c.

XXXIII. Gradus $1\frac{1}{9999}$ jam est notabilis. nam ætatem mundi, de qua infra, dividit in 7777 partes æquales.

XXXIV. Gradus $1\frac{1}{9}$ jam *septenarium* assequitur. nam cum annus 1 habeat hebdomadas 52 cum die $1\frac{27}{400}$, annus $1\frac{1}{9}$ habet hebdomadas 58, minus $4\frac{1}{7}$ hor.

XXXV. Ab hocce gradu novenarius & decas suaviter concurrunt:

In monadicis:

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.
$1\frac{1}{9}$. $2\frac{2}{9}$. $3\frac{3}{9}$. $4\frac{4}{9}$. $5\frac{5}{9}$. $6\frac{6}{9}$. $7\frac{7}{9}$. $8\frac{8}{9}$. $9\frac{9}{9}=10$.

In decadicis:

10. 20. 30. 40. 50. 60. 70. 80. 90. 100
$11\frac{1}{9}$. $22\frac{2}{9}$. $33\frac{3}{9}$. $44\frac{4}{9}$. $55\frac{5}{9}$. $66\frac{6}{9}$. $77\frac{7}{9}$. $88\frac{8}{9}$. $99\frac{9}{9}=100$

In centenariis:

100. 200. 300. 400. 500.
$111\frac{1}{9}$. $222\frac{2}{9}$. $333\frac{3}{9}$. $444\frac{4}{9}$. $555\frac{5}{9}$.
600. 700. 800. 900. 1000.
$666\frac{6}{9}$. $777\frac{7}{9}$. $888\frac{8}{9}$. $999\frac{9}{9}=1000$.

In

In millenariis:

1000. 2000. 3000. 4000. 5000.
1111 1/9. 2222 2/9. 3333 3/9. 4444 4/9. 5555 5/9.

6000. 7000. 8000. 9000. 10000.
6666 6/9. 7777 7/9. 8000 8/9. 9999 9/9. = 10000 &c.

XXXVI. De his quoque articulis nonnulli seorsum considerandi sunt.

Anni 7 7/9 sunt עת חיה decemplex, sive 70 Novenæ primæ. *Autorum plerique*, septem *annorum spatium* γενεὰν (generationem) *significare contendunt, hoc est, quas alias* hebdomadas vocamus. *Vnde & Hippocrates & ab eo medici, ante duas geneas pueris venas incidi non oportere præcipiunt. quo pacto fortassis de Orphei vita apud Suidam intelligendum: nam si aliter exponere voluerimus, qui fieri poterit, ut Orpheus XI. geneas vixerit?* Gyrald. in lib. de annis & mensibus. Anni 7 cum appendice illa 7/9 magis proprie pro generatione haberi possint. nam sunt pars *millesima* ætatis mundi, de qua infra. conf. Exod. XX. 6.

Anni 11 1/9 sunt *Quadrans tempusculi*, sive dies 4058 1/4.

Anni 22 2/9 sunt *Semitempusculum:* quod primum in hac serie habet *semihebdomadas*, easque 2319, sive hebdomadas 1159 cum diebus 3 & horis 12.

Anni 33 3/9 | 1/3 sunt γενεὰ *generatio.* Varia enim generationum longitudo habetur.

Anni 44 4/9 sunt *Tempusculum*: quod primum habet hebdomadas, & quidem, 2319.

Anni 55 5/9 sunt semi-tempus seculare dimidiatum: sunt 7 hebdomades apud Danielem, de quo infra. Confer quæ de anno 56 differit, post Ranzovium, l. E. Gerhardus in dedic. dispp. Ioh. Gerhardi.

Anni

Anni $77\frac{7}{9}$ sunt centuplex עת חיה sive 700 Novenæ primæ, & versantur inter annos 70 & 80, de quibus Psalm. XC. 10. Quod ad *dies annorum nostrorum* attinet, *IN IIS* sunt *70 anni: &, si in robore, 80 anni.* Ad 70 adde $7\frac{7}{9}$ habes $77\frac{7}{9}$. Iterum adde $2\frac{2}{9}$. habes 80.

Anni $99\frac{9}{9}$ sive 100. hîc quoque locum inveniunt. Sunt tres generationes, apud Herodotum & alios.

Anni $111\frac{1}{9}$ sunt *Semitempus*, sive *seculum* sacrum & priscum. Habet decem quadrantes, sive quinque semitempuscula. Expresse ponitur Apoc. XII. 14 ἥμισυ καιροῦ *semitempus.* Latine *Seculum*, a *secando* dictum, *dimidio* tempori notando accommodatum est. Tale seculum sive semitempus habet 7 menses propheticos: nam 42 mensibus respondet numerus bestiæ, annorum $666\frac{2}{3}$. Millennium, non in decem, sed in novem partes æquales divisum, novem secula sive semitempora, antiqua, exhibet, singula annorum $111\frac{1}{9}$. Ac Roma olim in seculum non 100, sed 110 annos sive *undenos decies annos*, ut Horatius in carmine *seculari* loquitur, contulit, ita quidem, ut ipso *millesimo* suo anno *nonos* ludos seculares ederet, & seculum revera annos $111\frac{1}{9}$ haberet, pro quibus rotunde 110 sumebantur. Apud Hetruscos varia erat seculorum magnitudo, media autem inter annos 111 & 112, ut docet Gyraldus lib. cit. Semitempus explent בני רביעים *abnepotes* Iehu, ab A. M. 3058 ad 3170. 2 Reg. XV. 12.

Anni $133\frac{1}{3}$ sunt 4 generationes. Vid. Des-Vignoles Tom. I chronol. p. 591. (*Tales articuli, minus figurati, ubi a monadico & decadico differt nota centenarii, inter hos, quos expressimus, interjecti, facile dijudicantur.*

Anni $222\frac{2}{9}$ sunt καιρὸς *Tempus*, quod tempuscula 5 complectitur, sive hebdomadas 11595. Annus propheticus habet 12 menses propheticos: Tempus, 14 men-

14 menſes propheticos. Cum ratione ejuſmodi *Temporis*, quod annos $222\frac{2}{9}$ habet, & in hebdomadas reſolvitur, congruit, quod veteres Philoſophi, qui cuilibet numero a monade ad decadem ſua dedere nomina, *ſeptenarium* dixere καιρόν. Habet *Tempus* ſeptem partes, quarum quælibet complectitur hebdomadas 1656 & dies 3. Itaque ſi Temporis initium ducas a prima mundi, & quavis alia, hebdomade ineunte, pars

prima definit cum fine feriæ	3.
ſecunda	6.
tertia	2.
quarta (cujus medium in medio feriæ 4 ſive mediæ:)	5.
quinta	1.
ſexta	4.
ſeptima demum	7.

Anni $311\frac{1}{9}$ ſunt Tempuſculum ſeptuplex: nam ut tempuſculum, ſive anni $44\frac{4}{9}$ ſunt hebdomades dierum ſimplices 2319, ſive quadratæ 331 cum appendice duarum hebdomadum, ſic ſeptuplum annorum $44\frac{4}{9}$, ſive anni $311\frac{1}{9}$, ſunt hebdomades dierum quadratæ 2319.

Anni $333\frac{1}{3}$ ſunt dimidium numeri beſtiæ. Hunc articulum, & alios ei analogos, v. gr. annos $83\frac{1}{3}$, & $2333\frac{1}{3}$, ex varia miliennii, tanquam unius diei, vel vigiliæ nocturnæ, diviſione in 12 vel in 3 partes, & ex earum partium multiplicatione, deducit auctor Problematum de revol. anim. p. 52. 74 &c.

Anni 400, articulum in hac progreſſione valde notabilem præbent. Annos 400, qui Gen. XV. 13 ſemini Abraham peregrinaturo prædicebantur, ibidem verſu 9. 10 ſymbolice notatos fuiſſe, ſunt qui non inepte exiſtiment: illud quæritur, quomodo *vitula triplicata*, id eſt, *tres vitulæ* (ſic enim in *Michlal Iophi* declaratur inuſitata locutio,) eæque in *binas* partes ſciſſæ, itemque *tres capræ*, *tres arietes*, cum

turture non sciſſo, & cum *pullo columbino non sciſſo*, periodum annorum 400 significarint. Portiones erant 20: & hæ singulæ, *ut apparet*, denotabant singulas periodi portiones, easque æquales. Divide 400 per 20: resultant item 20. Ipsa certe periodus 400 annorum firma est. Hi porro sunt novem Tempuscula; & anni tropici

$133\frac{1}{3}$	6957
ha-	
$266\frac{2}{3}$	13914
bent	
400 præcise,	20871 hebdomadas.

Quod si his annis $133\frac{1}{3}$ semel, iterum, tertio transactis, ex fastis Iulianis mense v. gr. primum decembri, deinde majo, postremo augusto exeunte, *singuli* dies eximerentur, *Æquinoctia* sine ulla *præcessione* in idem perpetuo punctum inciderent. Dignus consideratu hic est *Cyclus 400 annorum* tropicorum. nam in eo primum & *dies*, imo *hebdomas* dierum, & *annus*, ita concurrunt, ut nihil desit, nihil superfit. Quo pacto methodus, æquinoctia sine tabulis calculandi, quam Beveregius proponit, Inst. chron. p. 141-152, limatur, suffragante ipsius de anno tropico sententia. p. 50. 67.

Non est hujus fori, neque mei moris, talia venditare & jactare: sed Mathematicis expendenda & perpolienda commendantur, quæ hîc obiter innuuntur. Veram *anni* longitudinem astronomi satis prope definiunt, & tamen observationes semper aliquantulum impediuntur. Præcisam veritatem Scriptura suggerit, ita, ut humanæ artis instrumenta nil contrarium afferant. Vid. § XIX hujus capitis. Sic *mensis* quoque longitudo figetur infra, cap. XII. sect. III. § 2. 13. 16. 17. 18. Ipsa Scriptura loculos temporum format, per quos digerantur res in ea contentæ.

Anni

Anni $444\frac{4}{9}$ sunt καιροὶ *Tempora* duo: & *dupliciter* referunt, quod de *Tempore* diximus.

Anni $555\frac{5}{9}$ sunt LXX hebdomades apud Danielem.

Anni $666\frac{666}{999}\frac{2}{7}$ sunt numerus bestiæ, cui 42 menses prophetici æquantur.

Anni $777\frac{7}{9}$ coalescunt ex Tempore 1. 2. $\frac{1}{2}$. In patribus ante diluvium analogiam habet unus Lamech, qui vixit annos 777, ceterisque brevior in vita (præter Henochum,) decimam tamen partem ætatis mundi, de qua mox, attigit.

Anni $888\frac{8}{9}$ sunt 4 Tempora, sive 8 Semitempora, adeoque vere *paucum Tempus*, proxime plus, quam 1. 2. $\frac{1}{4}$. Ap. XII. 12. 14. quanquam etiam 8 pauci sunt per se. 1 Petr. III. 20.

Anni $999\frac{9}{9}$ sunt ipsum *Millennium*. Id habet novem semitempora secularia, sive 63 menses propheticos: & respondet 1335 diebus propheticis apud Danielem.

Anni $1111\frac{1}{9}$ sunt *Chronus*. * Is habet 5 Tempora, sicut Tempus 5 Tempuscula; habet item 70 menses propheticos. Respondet Tempori 1. 2. $\frac{1}{2}$ apud Danielem. De hac periodo subolet aliquid Sam. Kœnigio in Prognost. de imperio Turc. p. 89.

Anni $1333\frac{3}{9}$ sunt 6 Tempora. Eundem numerum considerat Des-Vignoles T. II. p. 638. sed in annis 360 dierum.

Anni $1555\frac{5}{9}$ sunt *hebdomas* καιρῶν sive temporum.

Anni $2222\frac{2}{9}$ sunt duo chroni, sive αἰὼν *Ævum*.

* De Cyclo *in eorum gratiam, qui solidi quiddam quærunt, hoc addo*, 252 Chronos, *quibus totus* Cyclus *absolvitur, per ea probe dilucidari, quæ* Iohannes Scotus Erigena *lib. 3. de divis. naturæ, c. 34. de numero 252 philosophatur.* Zeugnis p. 122.

Proxime æqualem periodum, si non eandem, habuere Chaldæi, 120 Saros complexam, quorum quilibet constiterit annis 18 & mensibus 6. Pone calculos:

120 Sari — 2222 ann. — 1 Sarus — $18\frac{7}{10}$ ann.

Vid. Pearson. Exp. symb. apost. p. 107. Ibi Suidas sic habet, Σάροι, μέτρον καὶ ἀριθμὸς παρὰ χαλδαίοις. οἱ γὰρ ρκ σάροι ποιοῦσιν ἐνιαυτὸς βσκβ κατὰ τὴν χαλδαίων ψῆφον, εἴπερ ὁ σάρος ποιεῖ μῆνας σεληνιακῶν σκβ, οἵοι γίνονται ιη ἐνιαυτοὶ καὶ μῆνες ἓξ. Pro βσκβ sive 2222 annis, Pearsonus conjicit 2220, Des-Vignoles 2242 legit, T. II. p. 626. Manent 2222, nisi forte $\frac{2}{9}$ addi oportere censeas. Non unius longitudinis fuere Sari; sed de ea re non laboramus. * Quicquid Suidas aut scripsit aut scribere debuit, anni 2222, cum appendice $\frac{2}{9}$, vel sine ea, fuere periodus apud Chaldæos notabilis.

Anni $5555\frac{5}{9}$ sunt *annus maximus*, pro quo 5552 numerant alii apud Censorinum. Sæpe II & V permutant librarii.

XXXVII. Sic progressio ab $\frac{1}{9999}$ longe ultra ætatem mundi quamlibet longam duci potest, semper novenarium minorem in majore, & fractum in integro ita absorbens, ut novem articuli fracti respondeant decem integris.

XXXVIII. Quotiescunque ad annos $22\frac{2}{9}$ addis $44\frac{4}{9}$, *semihebdomadem* dierum habes: v. gr. (neque enim omnes gradus libet exprimere,) in $66\frac{6}{9}$. $111\frac{1}{9}$. $155\frac{5}{9}$. 200. $555\frac{5}{9}$. 600. $777\frac{7}{9}$. 1000. 3000. $3888\frac{8}{9}$. 5000. 7000. &c.

XXXIX. Quotiescunque vero ad $44\frac{4}{9}$ addis $44\frac{4}{9}$, ipsam hebdomadem dierum habes, ut in $88\frac{8}{9}$. $133\frac{1}{3}$. $222\frac{2}{9}$.

* *Quodsi tota illa observatio* de Saris, in ord. Temp. *deleatur, nullum est damnum.* Weltalt. p. 128.

$222\frac{2}{9}$. 400. $444\frac{4}{9}$. $666\frac{6}{9}$. $888\frac{8}{9}$. $1111\frac{1}{9}$. 2000. $2222\frac{2}{9}$. 4000. &c.

XL. In hac progressione generationes, periodi & revolutiones, sive minores juxta ac majores articuli temporum, qui in rebus naturalibus, historicis &c. empirico modo, & anticipatione quadam occulta, a multis notari solent, rationes suas inveniunt. Harmonia numerorum chronologicorum suavitatem musicam habet.

XLI. Ævi quadratum (ne de cubo dicamus,) est *ævum ævorum*, annorum $4938271\frac{49}{81}$, longissime ultra ætatem mundi excurrens. Quadrati duplum, *æva* (duo) *ævorum*, annorum $9876543\frac{17}{81}$. Hoc ideo tantum notamus, quia apertius figuratum habet numerum. In *ævo ævorum* notabiles sunt saltus a 9 ad 8, ad 7. & a 4 ad 3, ad 2, ad 1. & in facto, si eadem proportione resolvatur, numerator supplet 6. 5. In *ævis ævorum* notabiles sunt gradus a 9 ad 3. & sic in facto, si eadem proportione resolvatur, numerator supplet 2, 1. &c. Vividius rem subjecerint oculis numeri expansi:

$\frac{17}{81}$

3
40
500
6000
70000
800000
9000000

In illo, fractura $\frac{49}{81}$ accedit ad $\frac{6}{10} + \frac{5}{100}$ &c. In his fractura $\frac{17}{81}$ accedit ad $\frac{2}{10} + \frac{1}{100}$ &c. In utraque fractura *numeratores* 6, 5, & 2, 1. seriem ab 1 ad 9 explent.

Quid porro erunt *æva ævorum* tria, quatuor, centum, mille? &c. O profundum! Et tamen hoc ne

vadum quidem est de mari æternitatis absolutæ, quam denotant OI αἰῶνες ΤΩΝ αἰώνων. Ingentia momenta interdum Scriptura per subtiles stricturas obiter innuit. Qui capit, capiat.

Caveant sibi, qui *apocataſtaſin* post hanc vitam docent, ne rem jubilæo in millennium ducto exhauriri putent. Multo amplior est mensura *æonum*. Quæ hîc attigimus, non ad curiositatem irritandam, sed ad pectus dilatandum, ut candidati æternitatis, accipiamus. In *tempore* sumus.

XLII. Hæc progressio non solum totam ætatem mundi, sed etiam alias periodos, præsertim Danielíticas, tanquam partes ei analogas, imbibit. De partibus apud Danielem dicemus prius, deinde de toto.

CAPVT X.

DE TEMPORIBVS DANIELITICIS.

Inter prophetas Chronographum egit Daniel, cujus curam de temporibus cum *gratia* DEI minus stare posse multi, opinor, putassent, sed pro curiositate habuissent, nisi tam expresse *carus* appellaretur. Nos pro ratione instituti nostri periodos temporum per eum determinatas considerabimus.

SECTIO I.

DE LXX HEBDOMADIBVS.

Insignis hic est in chronologia sacra titulus, sed varie tractatus. *Viginti & septem diversæ*, inquit Ioh. Melchioris, *sententiæ enumerantur ab illis, qui unam alteramve, ut Marshami & Iungmanni, nondum viderant.* Nec paucæ sententiæ nostra memoria accesserunt: quibuscum ea, quam nunc proferemus, velim conferatur. Primo quidem Gabrielis sermo sic habet:

Dan.

Dan. IX.

Vers. 22. *Daniel: nunc exii ad docendum te intelligentiam.* 23 *In principio precum tuarum exiit verbum, & ego veni ad indicandum; quia percarus es tu: & adverte ad verbum, & attende ad visionem.* 24 *Septuaginta hebdomades* sunt *decisum super populum tuum & super urbem sanctam tuam, ad cohibendum prævaricationem, & ad finiendum peccata, & ad expiandum iniquitatem; & ad apportandum justitiam seculorum: & ad obsignandum visionem & prophetam, & ad ungendum Sanctum sanctorum.* 25 *Et cognosces intelligesque, ab exitu verbi, ad restituendum & ædificandum Ierusalem usque ad Messiam Ducem,* sunt *hebdomades septem: & hebdomades sexaginta & duas iterum ædificata erit, platea & fossa, idque in angustia temporum.* 26 *Et post hebdomades illas sexaginta & duas, exscindetur Messias & non* erit: *& urbem & sanctuarium perdet populus ducis venientis, & finis ejus erit cum inundatione; & usque ad finem belli, decisæ* erunt *desolationes.* 27 *Et roborabit fœdus multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis illius quiescere faciet sacrificium & oblationem, & super alam abominationum erit vastans; & ad consummationem eamque præcisam, stillabit super desolandum.* Considerationem sermonis hujus in Positionibus exhibemus, tali modo:

§ I. *Eædem sunt hebdomades LXX, quæ versu 24, & quæ versu 25 — 27 describuntur.*

Habent idem initium; quod versu 24 non indicatur, eoque ipso ex versu 25 cognoscendum innuitur: habent eundem terminum, *Christum.* Hujus enim beneficia describuntur versu 24, & Ipse memoratur versu 25 seq. Versu 24 hebdomadas dierum Iungmannus esse putavit, & versu 25 seqq. annorum. Vtrasque annorum esse, amplius constabit ex § VI.

§ II. *Numerus SEPTVAGINTA hebdomadum accurate accipi debet.*

Summa est, quæ dividitur in VII & LXII & I, & hæc ipsa una hebdomas dimidiata exstat. *Indicii* cœlestis gravitatem non agnoscunt, qui summam certam pro incerta, ut si *adagium* esset, partesque ejus certas pro incertis poni putant.

§ III. *Hebdomades LXX sunt ejusdem inter se longitudinis.*

Septuagesima hebdomas non minor, neque major est, quam singulæ de VII & de LXII hebdomadibus.

§ IV. *Habent fluxum simplicem & continuum.*

Hebdomades VII & LXII & I ordine incedunt, neque ulla sui parte concurrunt, quasi VII & LXII simul inciperent : sed tamen, ubi VII desinunt, LXII statim incipiunt; ubi LXII desinunt, una statim incipit. Intervallis has partes disjungi oportere, complures sunt suspicati : sed eos ipsa totius periodi unitas refutat; quam unitatem singularis quoque numerus verbi נחתך *decisum* demonstrat.

Novissime Iac. Kochius non modo hebdomadas VII & LXII & I quibusdam intervallis disterminavit, sed etiam hebdomadas LXII in tres periodos lætas divisit, interpositis quatuor periodis tristibus, ut LXX hebdomadibus & Cyrum & Titum complecteretur. Sed discrimen periodorum lætarum ac tristium non nititur textu : imo ipsæ LXII hebdomades בצוק העתים *in angustiis temporum* fore dicuntur. *

§ V.

* *He emphaticum in* haitthim *vim relativam habet, & indicat, hæc tempora in ipsis LXII hebdomadibus esse.* Weltalt. p. 195.

§ V. *Non sunt hebdomades dierum.*

Statim sub periocham de LXX hebdomadibus Daniel *tres hebdomadas* luctus sui & austeri victus ita describit, ut quanquam dubium esse non poterat, quin *dierum* hebdomades essent, tamen *dierum* vocabulum etiam atque etiam addat, c. X. 2. 3. Id antitheton argumento est, *hebdomadas LXX*, c. IX. 24 seqq. uti dierum non dicantur, sic non esse *dierum*.* Mensium hebdomades nusquam referuntur. Res sunt spatiosissimæ, quæ in LXX hebdomades includuntur, & res maximæ, in quas desinunt. Brevis esset septies septuaginta mensium dierumve post tantam & tam diuturnam calamitatem respiratio.

Rob. Cary LXX hebdomadas literali sensu tanquam hebdomadas dierum ducit ab angeli apparitione, anno 1 Darii Medi, ad absolutam Cyri Vncti monarchiam. Sensu mystico, LXIX hebdomadas annorum solarium computat ab anno 7 Artaxerxis ad baptismum Christi, & LXX hebdomadem unam cum dimidia tribuit Antiocho Epiphani. Palæol. f. 190. 205. Vtrumque, perquam incommode. Annus Cyri primus idem fuit, qui Darii Medi, non LXX hebdomadibus diremtus: neque Cyrus magnifica Christi beneficia præstat: neque idem tam prope abest ab extrema vastatione urbis: neque hebdomas LXX in cursum hebdomadum LXIX longe ante earum exitum intrudi potest.

* *Cum* Daniel *de hebdomadibus* dierum *loquitur*, dierum *vocabulum diserte addit c. X. 2. 3. Eodem modo vocabulum* anni *posuisset, si de hebdomadibus loqueretur, quarum quælibet septima sui parte nec plus nec minus* anno *comprehenderet. Nec enim ullibi in toto V. T. invenias* hebdomade *significari septem annos, adeo ut Lev. XXV. 8 legas,* septem annos, septem vicibus, *nec* septem septimanas annorum &c. *Aliunde igitur discendum est, quæ proprie septima pars hebdomadis Danielitica sit?* Weltalt. p. 186. 232.

§ *VI. Sunt hebdomades annales.*

Patet ex § V. Vtrum ſolares hîc anni, an breviores ſint, an appendices habeant, nondum quærimus.

§ *VII. Cœperunt ſub regibus Perſicis, & exierunt ſub imperatoribus Romanis.*

Prius dubio caret: alterum ex priore fluit, vi § VI. *Quasvis in partes omnia verſentur: terminus LXX hebdomadum cadit in primum æræ Chriſtianæ ſeculum.*

§ *VIII. IESVS Nazarenus eſt Meſſias Dux.*

Omnes characteres veri Meſſiæ, & ſpeciatim tempus, (§ VII.) in eum conveniunt. Hoc firmum & ratum manet, & elenchus veterum & recentiorum contra Iudæos, Empæctas, &c. etiam a LXX hebdomadibus tam frequenter adhibitus, perſtat, etiamſi explicatio per omnes articulos omnibus placita dari non poſſit. Eundum tamen eſt, quouſque iter patet.

§ *IX. In hocce ſcrutinio & initium LXX hebdomadum, & exitus, & longitudo, & diſtributio in VII & LXII & I, rite coagmentari debent.*

Quælibet harum partium ad ceteras eſt accommodanda, ut ſuavi omnium concentu, ſine vi, res tota componatur. Non aut initium ſeorſum, aut longitudo, aut exitus, totam facilitatem ſibi vindicare debet, reliquis partibus in difficultates eo majores conjectis. Notabile *initium longitudo* conveniens excipiat oportet, & in *terminum* illuſtrem deſinat.

§ *X. Sententiæ de initio & de exitu non mediocribus temporum ſpatiis invicem diſcedunt.*

1. Danielem in Hagiographis excipiunt Ezra & Nehemia: & prædictionis, apud Danielem deſcriptæ,

ptæ, eventus, apud Ezram & Nehemiam, incipiens duntaxat, legitur.

2. Apud Ezram & Nehemiam nomina & anni regum Perſicorum, quibus annos Per. Iul. adjecimus, ſic habent:

P. I.	4176.	Cyri	1	Ezr. I. 1
	4185.	Ahaſveros (Cambyſis)	1.	IV. 6
	4192.	Artaſaſtha (Smerdis)		7
	4195.	Darii (Hyſt.)	2.	24
	4256.	Artaſaſtha (Artax. Longimani)	7.	VII. 8
	4269.		20.	Neh. II. 1
	4281.		32.	XIII. 6

3. Sed de his regibus diverſæ ſunt ſententiæ, ad quas percipiendas plenior Tabella facit:

A.	Annus 4176.	Per. Iul. Darii Medi 1us Gabriel. Dan. IX.
B.	4176.	Cyri 1. Captivitas, poſt LXX annos Babelis, ſoluta. *
C.	4185.	Cambyſis 1.
D.	4192.	Smerdis.
E.	4195.	Darii Hyſt. 2. Haggai & Zacharia. Vrbs, poſt LXX annos, inſtaurata. *Initium LXX Hebdomadum.*
F.	4229.	Xerxis 1.
G.	4250.	Artaxerxis Longimani 1. *Tranſitus ab hebdomadibus VII ad LXII.*
H.	4256.	Ejuſdem annus 7. Profectio Ezræ. } Initia LXX hebdomadum apud alios.
I.	4269.	Ejuſdem annus 20. Profectio Nehem. }
K.	4292.	Darii Nothi annus 2. }
L.	4316.	Artax. Mnem. annus 7. } Anni in opinione aliorum inſignes.
M.	4329.	Ejuſdem annus 20. }
N.	4742.	Æ. D. 29, menſe Sept. *Tranſitus ab hebdomade LXIX ad LXX.*
O.	4743.	30, in vere: *Mors Chriſti.*
P.	4746.	33. *Medium* hebdomadis.
Q.	4750.	37. *Exitus hebd. LXX.*
R.	4783.	70. Vaſtatio templi & urbis. Exitus hebdomadum Scaligerianus.

§. XI.

* conf. c. IV. Sect. III. § VI. nr. 12.

§ XI. *Exierunt hebdomades LXX sub tempus Messiæ: & quidem anno 37 Dionysiano, Per. Iul. 4750.*

1. Plane lætum LXX hebdomadum terminum beneficia Messiæ referunt: & ad consolandum præcipue pertinet angeli sermo. *

2. *Excisus est Messias* (in morte, A. 30 Æ. D.) *post hebdomadas LXII*, id est, non post hebdomadas LXX, sed in ipsa hebdomade LXX, neque in medio hujus, sed sub hujus initium. Hæc Messiæ excisio lucidissimum punctum est, transitum a penultima hebdomade ad ultimam exsertissime ostendens. Vnde porro patet, LXX hebdomadas neque ante annum 37 Æ. D. exisse, neque postea, sed in eo ipso anno.

3. Sunt, qui terminum LXX hebdomadum statuant in vastatione templi & urbis, quia hebdomades LXX super populum & super urbem decisæ sint. Sane *super populum & super urbem* decisæ sunt: quo respectu? eo respectu, qui *sanctitati* urbis respondet: id est, non ad vastationem, sed *ad cohibendam transgressionem*. &c. Inprimis in Israelem & Ierusalem redundavere Messiæ beneficia, quæ *Ducis* appellatio summatim complectitur, & ejus rei tempus designatur per hebdomadas. ** Indicatum est per Gabrielem tempus Messiæ: Messias ipse tempus indicavit vastationis, ea ipsa generatione subsecuturæ. Matth. XXIV. 15. 34. *** Conf. *Erkl. Offenb.* p. 1075.

4. Plura

---

* *Sex beneficia Salutis Dan. IX. 24. celebrantur, & vi accentuum ac rei ipsius* justitia, *in quarto membro, proprie opponitur* peccato, *in tribus præviis; duo autem postrema singulariter invicem cohærent.* Weltalt. p. 212.

** *Etiam id, quod angelus de VII. & de I. hebdomade commemorat, Messiam spectat.* Weltalt. p 193.

*** *Si tempus vastationis jam per* Danielem *fuisset indicatum: minus*

4. Plura de exitu, infra dicemus: nunc sententias de initio, ordinatim cernemus. *Interea annum 37 Æ. D.* tanquam terminum LXX hebdomadum *Lector animo suo infixum, velim, habeat.*

§ XII. *Non cœperunt hebdomades LXX ab ipsa angeli apparitione: neque ab edicto Cyri: neque adeo ante annum 2 Darii.*

1. Quum Danieli *apparuit* angelus, egressum erat verbum de Daniele docendo: sed eodem tempore promittebatur egressus verbi futurus, de ædificanda Ierusalem. * Non semper a prædictione protinus incipit tempus in ea definitum. Abrahamo 400 anni ante natum Ismaelem prædicti sunt, qui a nato demum Isaaco incepturi erant.

2. *Cyrus* anno 1 regni sui potestatem Iudæis dedit redeundi Hierosolymam, & *templum* ibi ædificandi.

---

minus arduum esset effatum DOMINI, amen dico vobis, hæc generatio non præteribit, dum omnia hæc fiant *Nunc vero* DOMINO Christo reservatum fuit, tempus vastationis definitum indicare: *atque inde asseveratio*, amen dico vobis, *suum accipit pondus*, & indicium *temporis* in laudem *vergit* magni prophetæ, *cui reservatum fuit.* Weltalt. p. 224.

* *Dan. IX. 25. non* idem *verbum innuitur, quod v. 23. præcessit. Cum enim* hoc *in fine v. 23.* per He emphaticum *indigitatum esset: iterum de novo sine He emphatico dicitur*, ab egressu Verbi. Weltalt. p. 188. *Cum angelus v. 23. universe de LXX hebdomadibus præmonens dixisset*, adverte - attende: *tum ille insuper v. 25 monitum addit & dicit*, & cognosces intelligesque, *videlicet Septem hebdomadas demum ab ejusmodi egrediente verbo incepturas, vi cujus & urbs ædificanda, & sic usque ad Messiam Ducem, nemine impediente, mansura sit. Anno I* Cyri *protinus initium LXX hebdomadum fore putari potuit, sed clausula hæc*, de egressu Verbi, *&*, usque ad Messiam, *illud accurate docet.* Weltalt. p. 189.

di.* Ab eo edicto *Adamus Weinheimerus* numerat hebdomadas 69 sive annos 483 ad baptismum Domini, qui in medio hebdomadis 70 crucifixus fuerit. Sed spatium longe majus importat historia: & jactis templi fundamentis sub ipso mox Cyro impediti sunt Iudæi. Sic *angusta* fiebant *tempora*, quæ primis septem sub verbi egressum hebdomadibus non congruebant, (ut ex antitheto earum ad LXII hebdomadas patet, v. 25.) & usque ad annum 2 Darii permanebant, adeoque initium LXX hebdomadum aliquantisper differri docebant.

3. Ipso demum anno 2 Darii, mense 9, fundabatur templum iterum: id erat initium ædificandi. Ezr. V. 2. Hagg. II. 19. ac mense 11 audiebatur etiamnum illud: *Domine Sabaoth, quamdiu tu non misereberis Hierosolymæ & urbium Iuda, quum indignatus es hos LXX annos?* Zach. I. 7. 12. coll. cap. VII, 1. 5.

§ XIII. *Darius, apud Haggai Zachariam & Ezram, est Darius Hystaspis: & post Darium, Artasastha est Artaxerxes Longimanus.*

1. Non nisi duo reges, *Abasveros & Artasastha*, erant inter Cyrum & Darium, Ezr. IV. 6. 7. ut ipsa rerum probat series; (hoc loco Tabellas § X etiam atque etiam respici velim:) sive ipse Cambyses & Smerdis erant, sive æquales iis Tanaoxares & Artaphernes. Vide des-Vignoles T. 2. p. 595. Erat ergo Darius rex a Cyro quartus, Darius Hystaspis. Necessario Ezr. IV. 24 Darius accipitur proximus a Cyro Darius: neque, quum Ezra scriberet, alterum hujus nominis regem Persica habebat historia, a quo esset distinguendus.

2. Anni

* Cyri *edictum de reditu populi aliquanto prius est, quam verbum egredientis, quod solummodo de ædificatione urbis agit.* Weltalt. p. 192.

2. Anni LXX, qui Zach. I. 12. VII. 5. anno 2 & 4 Darii terminabantur, non nisi in Darium Hystaspis conveniunt, ut supra vidimus, pag. 210.

3. Hujus anno secundo vivebant Zorobabel & Iesua, qui jam anno 1 Cyri floruerant; imo residui erant senes, qui priorem templi gloriam viderant: Ezr. II. 2. V. 2. Hagg. II. 4. at a Cyro Darius Nothus 115 annis remotus est, a templo per Chaldæos exusto, 165 annis. Non utimur suffragio eorum, qui locum Ezr. IV. 14 ita reddunt, ut ii, qui ad Artasastham scribunt, se *templi vastatores* dicant. Minime firma illa est interpretatio.

4. Sub ipso Cyro, sub Dario Hystaspide, sub Artaxerxe Longimano, Iudæi appellantur *filii migrationis*, & *migratio*. Vid. Ezr. IV. 1. VI. 16. 19 seq. Zach. VI. 10, (ubi notabile est antitheton, ad eos, qui de Babel venerant, Babele nati:) Ezr. IX 5. X. 6. ff. 16. coll. Nehem. VII. 6. Sed sub Dario Notho hæc appellatio eis non convenit, nedum sub Artaxerxe Mnemone, 80 annis post solutam captivitatem, præsertim quum appellentur etiam *ii qui REDIERANT* (ipsi) *de migratione: ii qui VENERANT de captivitate, filii migrationis*. Ezr. VI. 20. VIII. 35.

5. Vicissim tam prope abest Darius Nothus a temporibus Messiæ, ut LXX hebdomades non potuerint sub eo demum incipere. Qui Darium Nothum spectant, ab anno ejus secundo numerant LXX hebdomadas, videlicet ad urbem per Romanos vastatam: sed id intervallum annos quidem 491 habet, quo pacto non possunt ostendere, sacrificium & oblationem *media* hebdomade desisse. Plura vide § XI.

6. Dario Hystaspide comprobato, de Artaxerxe Longimano eximitur dubitatio. Nonnullis *Ahasveros* & *Artasastha*, qui Ezr. IV. 6. 7. memorantur, sunt Xerxes & Artaxerxes Longimanus: sed hi duo regnarunt annos plus 60. Quare non possunt esse inter-

interfecti inter Cyrum & inter Darium illum, qui LXX annis post vastatam urbem, adeoque intra XX annos post captivitatem edicto Cyri solutam, ædificandi facultatem dedit. Darium Hystaspis præcesserunt Ahasveros & Artasastha Ezr. IV. sed Artasastha Ezr. VI & VII ex intervallo successit.

7. Ex libro *Nehemiæ* præcipua tela conquirunt, qui Artaxerxen, sub quo Ezras & Nehemias Hierosolymam ascenderunt, seriorem faciunt. (1) Sanballatum Nehemias memorat, principem adversariorum suorum, apud Samaritas, diu ante Artaxerxis obitum, eundemque deinceps ita provectæ ætatis, ut generum haberet. c. II. 19. XIII. 28. Atqui Sanballatum in tempora Iaddi & Alexandri Magni prorogat Iosephus. l. XI. ant. c. 7 & 8. Vnde inferunt, Nehemiam minus antiquum esse. Resp. Vbi de Nehemia Iosephus agit, nullus est Sanballatus: Sanballatum autem scribit satrapam a Dario ultimo Persarum rege missum Samariam. Ita Sanballatum citeriori aperte refert tempore, quam veritas patitur. Ex Nehemia Iosephum corrigere licet: Nehemiam ad Iosephum, in Persicis minime accuratum, inflectere, nefas est. (2) Ipse Iaddus apud Nehemiam recensetur: sed ne hoc quidem Nehemiam ab Artaxerxe Longimano ad Alexandrum versus detrudit. Anno 20 Artaxerxis Longimani Hierosolymam petiit Nehemias, juvenis utique: idem anno 32 Artaxerxis venit ad regem, & postea iterum Hierosolymam. Ibi complura eum egisse, & multis post annis librum suum perscripsisse, *Darii* mentio docet. c. XII. 22. Princeps sacerdotum, Eliasib, ædificavit. c. III. 1. Nepos ejus (non frater Iadduæ, ut Iosephus ait,) Sanballati filiam duxit. c. XIII. 28. Pronepos denique memoratur cap. XII. ubi sic legitur: *Iesua genuit Iojakim; Iojakim genuit Eliasib, Eliasib genuit Iojada: Iojada genuit Ionathan; Ionathan genuit Iaddua.* v. 10. 11. Tenellam hujus Iaddua

dua ætatem ostendunt omnia. Totus liber Nehemiæ cadit in tempora duorum regum, Artaxerxis (Longimani) & Darii (Nothi) c. II. 1. XII. 22. atque ut tempora magis distinguantur, sacerdotum quoque principes in catalogo sacerdotum & levitarum, convenienter, notat Nehemias. Itaque *sex* illas generationes versu 10. 11 interserit, & priores *quatuor* generationes, versu 1. 12. 22. 23, ipsum illum catalogum imbibunt, tali modo:

α sub *Iosua* notantur sacerdotes, v. 1. & levitæ. v. 8.

β sub *Iojakim*, sacerdotes. v. 12.

γ Interponuntur *Levitæ* & sacerdotes juniores, sub *Eliasib* & *Dario*, versu 22, qui sic habet: *Levitæ in diebus Eliasib, Iojada & Iohanan & Iaddua; scripti principes patrum: & sacerdotes, ad regnum Darii Persae.* Hîc Iojada & Iohanan & Iaddua non sunt successores Eliasib, sed sunt ipsi levitæ, scripti principes patrum. nam α distinctivus accentus in *Eliasib*, & *Iojada* sine Vav præfixo, ab Eliasibo sejungit tria levitarum nomina. β Hoc versu notantur *levitæ* sub solo Eliasib: etenim sub filio ejus demum versu sequente notantur. Quare Iaddua alius est versu 22, atque versu 11. Porro, inquam, interponuntur versu 23, ex alio libro allegato, *filii Levi, vel usque* ad dies Iohanan filii Eliasib, *non ultra.* Hic, *Iohanan ab Eliasib genitus*, alius est, atque *Iojada* filius Eliasib, v. 10. & alius, atque Iohanan *non ab Eliasib genitus*: v. 22. parallela autem sunt tempora Eliasib juxta & Iohanan & tempora Darii, apud levitas ac sacerdotes se mutuo connotantia. Igitur Darius ille versu 22 est Darius Nothus. Nam neque Eliasib neque filius ejus Darium Codomannum attigisse dici potest, quin generationes sacerdotales sex primum nimis dilatentur, deinde in aliquot tantummodo annos contrahantur.

δ Subjunguntur levitæ veterani, tempore *Iojakimi*, *Nehemiæ* &c. v. 24-26.

In γ & δ est χιασμὸς, ut mox versu 27 seqq. describatur functio horum levitarum, qui viri erant Nehemiæ tempore. Atque is χιασμὸς docet, in hoc sacerdotum & levitarum catalogo *ultimæ* eos ætatis fuisse, qui sub Dario (Notho,) & sub Iohanan Eliasibi filio, sacerdotum principe florebant. *Quinta* demum generatio recurrit in extremo, ubi de juvene sermo est, c. XIII. 28. *Sexta* desiit in *Iaddua*, cujus nulla alia apud Nehemiam mentio. Nondum habebat liberos: ipse minor erat. Etenim constat, genealogias etiam ad parvulos descendere. Iosadak, Iesuæ pater, deportatus est tempore Nebucadnezar: 1 Chron. V. 41. Iesua floruit a Cyro ad Darium Hystaspis: Eliasib partim Artaxerxi (Long.) partim Dario coævus erat: Darii regnum duravit in tempora Iohanan. Postea Iaddus Alexandro M. non diu superstes fuit, teste Iosepho. Sine causa If. Vossius, Rob. Cary, Humphr. Prideaux, hanc periocham post obitum Nehemiæ a collectoribus canonis insertam, putant. Omnia sine violento remedio conveniunt, si Nehemiæ juventutem conferas in annos ultimos Artaxerxis Longimani, & in Nehemiæ senectutem adolescentiam Iadduæ. Annus ille 32 Artaxerxis Longimani est Per. Iul. 4281. & Iaddus Alexandrum excepit Anno 4382 Per. Iul. Quid obstat, quo minus Nehemias circ. A. 4309 P. Iul. scribere potuerit, & Iadduæ mentionem facere? Manet igitur apud Nehemiam Artaxerxes Longimanus & Darius Nothus.

§ XIV. *Hebdomades LXX cœperunt anno 2 Darii.*

Complura momenta hoc loco perpendenda veniunt.

1. *Heb-*

1. *Hebdomadas ſeptem*, accuſativo caſu, dicit verſus 25, quemadmodum *hebdomadas ſexaginta duas & hebdomadem unam* dicit idem verſus 25 & 27, ut ſubjectum ſit להשיב ולבנות (quemadmodum Dan. II. 43. V. 17. VI. 2.) hoc ſenſu: *Ab egreſſu verbi erit reædificare Hieroſolymam ad Meſſiam Ducem hebdomadas ſeptem.* quanquam illa interpretatio, *ut reædificetur &c.* nobis non officit.

2. Quanta erat calamitas, tantum beneficii exoptabatur & promittebatur. Vno tempore templum & urbem vaſtarant Chaldæi: in ruinis & templum & urbs jacebant, quum Daniel oraret: quare, uti prædictio vaſtitatis, Ier. XXI. 10. XXXIV. 2. 22. XXXVII. 8. 10. XXXVIII. 17. 23. ſic deſcriptio vaſtitatis & ædificationis ſub *urbis* mentione *templum* quoque innuit. Hinc omnia Daniel precibus complectebatur, *urbem, montem ſanctum, populum, ſanctuarium.* v. 12. 15. - 19. coll. v. 2. Eademque omnia complectitur reſponſio per angelum allata. v. 25.

3. Ædificationem *templi* & ædificationem *urbis* plerique nimis preſſe diſtinguunt. Vnum idemque negotium erat, judicio Dei, & æſtimatione Iudæorum, & adverſariorum, & Perſicorum regum. Primum Iudæis *Hieroſolymam* aſcendendi facultatem Cyrus dedit, ut *templum* exſtruerent. Pars multitudinis (Ezr. II. 64 ſeq.) quæ, ad paucitatem antea per Chaldæos abductam, magna erat, in urbes Iuda ſe contulit, pars Hieroſolymam. Et Hieroſolymam quidem ventitabant omnes, cultus divini cauſa. Cumque ſub dio agere non poſſent, non erat dubium, quin domos ædificare licitum eſſet, eaſque revera ædificarunt. Conjunctiſſima erat templi & urbis ædificatio. In verbis Danielis & Gabrielis ædificatio *urbis* ſanctæ connotat ædificationem templi: in diplomatibus regum Perſicorum ædificatio *templi* connotat ædificationem urbis, ut favorabilium rerum latior eſt interpretatio. Cum templum ædifi-

caretur, urbs ædificari censebatur: rursus interdicto de urbe non ædificanda, templi ædificatio impediebatur. Ezr. IV. 12. 24. Igitur unum idemque censebatur agi negotium sub Cyro & Dario, & Artaxerxe. * Ezr. VI. 14. Tantummodo aliæ partes negotii aliis temporibus magis curabantur, cum omnia simul peragi non possent. Primo tempore præcipue urgebatur templum, jussu Cyri, divinitus impulsi: postea cum ædificatores, sub ipso Cyro, & deinceps, impediti fuissent, proprias domos eo magis festinabant, sed nullo successu. Hagg. I. 4-11. II. 16-20. Per Haggai & Zachariam ad templum revocantur: parent divino jussui: templum ædificant; urbis mox ædificatio nutu divino bene succedit. Zach. I. 12. 13. Interrogati, *Quis vos jussit domum istam ædificare, & murum istum reficere?* edictum Cyri allegant. Res ad Darium refertur. Darius, cum ipse aut jubere aut vetare posset, Cyri edictum requirit & comprobat. Sic Cyrus *templum & urbem* ædificavit, Ies. XLIV. 28. XLV. 13. non tam per se, quam per Darium. Itaque Ezræ VI, citato versu 14, accentus hebraici cum Cyro arctius Darium jungunt, quam cum Artaxerxe, qui tamen Darii nepos erat: & elogium *regis Persici* ad Cyrum redigunt, plus ejus tribuentes auctoritati, quam duorum successorum. Quicquid autem Cyrus super templo & urbe jusserat, jussit Darius. Sume a *Cyro* edictum, & a *Dario* annum: habes caput 70 hebdomadum, quæ *Artaxerxe* regnum capessente a 7 hebdomadibus ad 62 progressæ sunt.

4. *Va-*

* *Dux* Zorobabel & Iosua *summus Sacerdos non sub* Cyro *solum, sed multo magis sub* Dario & *templi & urbis ædificationem urserunt, atque ambo cum prophetis* Zacharia & Haggai *præ* Esra *ipsis seriore, ceteroquin excellenti scriba, longe eminent, id quod omnino eo pertinet, ut ædificatio urbis a Darii anno maximi omnium momenti esse censeatur.* Anhang IV. Abth. §. 8.

4. *Vastitas* & *ædificatio* proprie inter se opponuntur: hæc opposita neque simul esse, neque intervallo ullo sejungi possunt. Et quidem vocabulum חרב apud Danielem proprie notat vastitatem *ædificationi* oppositam, sicut שממה opponitur copiæ *incolarum*. Itaque finem LXX annorum vastitatis Ierusalem & excipit, & continuo excipit, initium ædificationis, adeoque LXX hebdomadum. A vastatione LXX anni neque ante Darium exierunt, neque ultra Darium excurrerunt: plane autem sub Dario sunt completi. Elucescit hoc e Zach. I. 12 seqq. neque obstat mentio Ieremiæ in Dan. IX. 2. De utroque loco egimus supra, pag. 198 seqq.

5. Egressus verbi non est *prædictio* per se; nam Ieremiæ, imo Isaiæ tempore jam *prædicta* erat restitutio & ædificatio Hierosolymæ: sed *declaratio* conjuncta cum successu ipso. * Dicitur *Egressus verbi; de reædificando Ierusalem, usque ad Messiam Ducem.* Accentus hebraicos hîc imitamur, ut fert Latina lingua. Hoc dicitur (1) Est reædificare Ierusalem. (2) Vrbs reædificata manebit usque ad Messiam Ducem. (3) *Egredietur verbum.* (4) *Eo verbo declarabi-*

 tur,

* *Expressio*, moza dabar, *Dan. IX. 25. accurate consideranda est.* Dabar, *notat* verbum, *si verba citantur, vel* rem, *si de rebus dicitur.* res *erat reædificatio urbis Hierosolymæ.* moza *significat* exitum. *Si quid in negotiis humanis ad intentum perducitur finem: dici solet*, rem ad suum perveniisse exitum. *Vbicunque antea ædificatio impedita fuit, res exitum nanciscì debuit. Si obtinendum fuit propositum, opus erat jussu divino, & regio ex Persi edicto, quin etiam ipso opere a populo & proceribus susceptο. hæc omnia simul nonnisi anno* Darii *secundo concurrerunt, ubi neque jussus divinus seorsim, neque regium ex Persia edictum seorsim, neque populi in opere ipso studium seorsim,* dabar *cum suo* exitu *vocatur, sed hic est ipse* rei exitus *per illa omnia expeditus.* Anhang IV. Abth. § 8.

tur, urbem & reædificatum iri, & sic usque ad Messiam Ducem esse mansuram. (5) Ædificantes huic operi impendent *septem hebdomadas.*

6. Itaque *verbum egrediens* est verbum divinum. Eadem phrasis est versu 23 & 25. In sermone angeli Gabrielis ad prophetam Danielem, *Verbum*, absolute dictum, *Dei verbum* est, idque expressum. Apud Zachariam Dominus *respondit* angelo: angelus *dixit* prophetæ: propheta *prædicavit* populo. Zach. I. 13. Idem verbum ante Zachariam & cum eo Haggæus, post utrumque Malachias prædicavit, non apud Persas, sed apud Iudæos, in ea ipsa urbe, cujus erat ædificatio. Mandata, (ἐξελθόντα δόγματα, ut habet phrasis Luc. II. 1.) regum Persicorum, illi verbo subserviebant. * Hoc initium LXX hebdomadum, in anno 2 Darii Hystaspis, Eusebius, (alibi tamen aliter sentiens, Oecolampadius, Munsterus, Driedo, Ianssenius, Zeltnerus, agnoscunt. Lutherus & Melanchthon idem initium a præconio Haggæi & Zachariæ repetunt, quanquam Darium pro Artaxerxe Longimano habebant.

7. Id verbum egrediens MAGNIFICENTISSIME describitur, Ezr. VI. 14. 15. *Et seniores Iudæorum ædificabant prospere, per prophetiam Haggai prophetæ, & Zachariæ filii Iddo: & ædificabant & perficiebant ex jussu Dei Israel; & ex jussu Cyri & Darii, & Artaxerxis, regis Persarum. Et absoluta est domus hæc &c.* Conf. ibid.

* *Unum erat Verbum de ædificanda urbe: id egrediebatur sub* Cyro & Dario: *hic exitus unus duntaxat exitus erat (uti exitus populi ex Ægypto multorum dierum, immo XL annorum unus erat exitus Mich. VII. 15. Iud. XI, 13) & hic exitus verbi ut consummatus, non ut inchoatus consideratur. Nam si qui anni initii exitus ex Ægypto memorantur, additur* lezeth: *& cum initium dierum 1290* (Dan. XII. 21) *indicatur, dicitur* umeeth, *hic vero non dicitur* lemoza *nec* min eth moza, *sed* min moza. Ehrenr. p. 201.

ibid. c. V. 1. de Haggai & Zacharia, qui erant ἐργοδιῶκται. Respondit succesſus, anno ſecundo Darii, cujus cor ad Iſraëlitas flexit Dominus. Ezr. VI. 22.

8. Ante illum annum interrupta fuerat ædificatio: poſtea, nunquam fuit impedita. Hoc infert *exeundi* phraſis, coll. יצוא Ieſ. XLII. 1. 3. Si Iſraelita aliquis tum, quum Gabriel LXX hebdomadas denunciabat, totum eventum ſubſequentem vidiſſet, lætiſſimus ei fuiſſet annus 2 Darii, Haggai de templo loquitur: ſed urbis ædificatio exſertiſſime additur Zach. II. 2 ſeqq. atque apud hunc ipſum prophetam frequentiſſima *Hieroſolymæ* eſt mentio. Ipſe egreſſus verbi factus eſt certo & definito die: ſed verbum ſemel egreſſum reſonabat diutius. Igitur eodem *verbo* gubernabantur etiam inſequentes anni. Zach. VII. 1. Vrbem, ut tum ædificabatur, *uſque ad Meſſiam* eſſe manſuram, per Haggæum demum & Zachariam eſt indicatum, in quorum ſermonibus ædificatio templi & adventus Meſſiæ arctiſſime connectuntur. Hagg. II. 8. Zach. VI. 12. Malachias quoque adventum Meſſiæ in idem templum prædixit. c. III. 1.

9. Hac ratione obtinetur juſta intervalli brevitas inter apparitionem angeli & inter ipſarum LXX hebdomadum initium. Darii Medi tempore Daniel erat ſenex, & paullo poſt jubebatur placidum exſpectare obitum. Dan. I. 1. X. 1. XII. 13. Itaque ad initium ipſarum LXX hebdomadum non videtur vixiſſe. *Attendere* ergo debuit, non ſua, ſed poſteritatis causa, perinde uti cap. X. 11. coll. 1 Petr. I. 12. Conſolationis tamen ipſe non expers manſit. Nam & Nebucadnezar, & filius ejus, & filius filii ejus, jam vivere & regnare deſierant, & Cyrus per Ieſaiam prædictus florebat. Omnia igitur magis magiſque ſecunda exſpectanda erant, dum ipſæ hebdomades LXX inciperent. Neque ipſum hebdomadum initium diu abeſſe potuit: quia nullum intervallum

inter prædictionem & inter eventum indicatur, contra ac fit in c. XI. 2.

10. Plane singularis est annus 2 Darii: quæ ceteri anni, in quos initium LXX hebdomadum confertur, divisim habent, in hoc anno concurrunt. Itaque initium hoc apud prophetas, prophetice, & in hagiographis, apud Ezram, historice, est relatum.

§ XV. *Hebdomades LXX cœperunt, anno Per. Iul.* 4195, *d.* 14. *febr. feria* 4.

Absit curiositas! Quo nos verbum Dei ducit, sequimur ultra, non scrutamur: citra, non acquiescimus. Regnum accepit Darius Hystaspis anno 4193 Per. Iul. d. 1 jan. ut methodus fert Canonis Ptolemaici; revera autem circa mensem martium, ut demonstrat Newtonus in Obs. ad Dan. p. 97 s. Inde annus 2 Darii, in quo mensem 6 & 9 memorat Haggai, mensem 8 & 11 Zacharias, sic respondet anno 4194 Per. Iul. ut in annum 4195 porrigatur. In *mense 11, qui est mensis Schebat, dies 24* valde insignis est. *Tum respondit angelus Domini & dixit: Domine Sabaoth, quousque tu non misereberis HIEROSOLYMÆ? Et RESPONDIT Dominus Angelo* (inquit propheta,) *loquenti in me, VERBA bona, VERBA solatii plena. Et dixit ad me Angelus loquens in me: PRÆDICA, dicendo: Sic dixit Dominus Sabaoth: Zelavi pro HIEROSOLYMA & pro Sion Zelo magno. — Convertar ad HIEROSOLYMAM in misericordia, domus mea aedificabitur IN EA, dicit Dominus Sabaoth, & linea extendetur super IERVSALEM. Amplius PRÆDICA — eliget adhuc HIEROSOLYMAM. — Vir cum funiculo mensorio abiit ad metiendum HIEROSOLYMAM, ut videret, quae latitudo ejus, & quae longitudo ejus. &c.* Totum, fac, legas Zach. I. 7. II. 5. Nonne hic *egressum est verbum*, & quidem verbum de *urbe*? Eo anno dies 24 Schebat erat d. 14 februarii. namque neomenia Tisri erat 15 Sept.

De

De mensibus & diebus apud Zachariam *singulari* cura notatis, Hebræi multum disquirunt, uti docet Meyerus ad Seder olam, p. 1081. Quorsum pertinet id curæ? Ad initium LXX hebdomadum exserte ostendendum. Pulcre congruunt, quæ de Danielis & Haggai, Zachariæ, Malachiæ, necessitudine, in spiritu prophetiæ, idem collegit Meyerus, p. 991. Apud Danielem, verbum exstat *egressurum*; in Zacharia, verbum *egrediens*.

§ XVI. *Ab anno 7 Artaxerxis ad tempus Christi numerari possunt 490 anni, 70 hebdomades non possunt.*

Canon Ptolemæi a morte Xerxis, cui successit Artaxerxes, ad mortem Tiberii, qui A. 37. Æ. D. obiit, computat annos 500. Itaque ab anno 7 Artaxerxis sunt 490 anni ad annum 34 Æ. D. & inde annus 30 ejusdem Æræ, quo mortuus est Christus, haberi possit pro *medio* hebdomadis, in quo finem habuerit sacrificium & oblatio. Certe ex omnibus interpretationibus, hactenus cognitis, hæc una est expeditissima, quam etiam *Humphr. Prideaux* amplectitur. Hanc nemo saltem, qui *annales* præcise hebdomadas sumat, poterit contemnere. Eandem egomet in Harmon. evang. p. 68 ceteris prætuli: neque quod nunc aliam propono, reprehendendus sim aut inconstantiæ accusandus. Inconstans enim est, qui in sententiis v. gr. ab *A* ad *B* vel *C*, & rursum a *C* ad *B*, ad *A* labitur, non qui ab *A* ad *B*, a *B* ad *C* recto itinere tendit; hoc est, qui ad opinionem, quam antea deseruit, redit, non qui in scrutinio veritatis ad meliora progreditur, quæ ut prius videret, non item in sua potestate habuit. Certe annus 7 Artaxerxis, si ab eo ducamus initium LXX hebdomadum, nimis longe a prædictione per Gabrielem facta abest: & minus insignem habet verbi egressum: neque transitum ullum a VII hebdoma-

dibus ad LXII reperit: neque post LXII hebdomadas excisionem Messiæ sine intervallo ponit. * Anni illi 500 exhibent LXX hebdomadas, demtis VII primis, id est hebdomadas LXII & I.

§ XVII. *Annus* 20 *Artaxerxis Longimani cadit in cursum LXII hebdomadum.*

Annus 20 Artaxerxis ab anno 30 Æ. D. qui verus est annus passionis Dominicæ, ne 475 quidem abest annis: sed permulti, annum 20 Artaxerxis & initium LXX hebdomadum conjungentes, passionem Dominicam a vero anno in seriores annos detrudunt, & in iis Tho. Lydyatus usque ad annum 36 Æ.

---

* *De anno 7* Artasasthæ *agit Esra C. VII — X. ubi* ædificationis *ne semel quidem occurrit mentio, quæ tameu C. I — VI. sub* Cyro & Dario, *atque in libro Nehemiæ ad annum 20* Artasasthæ *frequens occurrit. Esra loco primario C. VII. 27, ubi edictum de anno 7* Artasasthæ *suo quasi titulo signat, nonnisi de* templo *ejusque tantummodo ornatu loquitur. Per sacram igitur historiam omnium minime licet opinari, quod 70 hebdomades ab anno 7* Artasasthæ INCIPIANT. *Epistola regis ad* Esram *& totum* Esræ *negotium supponit urbem ædificatam, quanquam sine mœnibus, posthac demum* a Nehemia *exstructis. Duas phrases,* lehaschib velibnoth, thaschub venibnetha, *Dan. IX. 25. sive per Hebraismum per* reædificationem (quod tutius est) *interpreteris, sive de* restitutione & ædificatione *exponas, propria tamen* ædificatio (*quam annus 7* Artasasthæ *non refert*) *neque a reliqua urbis* restitutione, *neque ab initio 70 hebdomadum divelli potest. Ante* Ioh. Funecium (Cedreno *excepto, apud quem tamen non 7, sed 8 annus* Artaxerxis *exstat, qui loco anni 20, H pro K, irrepserit*) *nullum occurrit vestigium, quenquam tot veterum interpretum de 70 hebdomadibus anno 7* Artasasthae *inchoandis cogitasse, id quod in vaticinio dudum impleto etiam iis, qui veritatem non humana auctoritate metiuntur, justam falsæ interpretationis suspicionem movet.* Anhang IV Abth. §. 5.

Æ. D. descendit. Præterea nonnulli confugiunt ad annos breviores, eosque vel lunares, ut Africanus & Beda; vel 360 dierum, (omissis Epagomenis, quæ tamen adjici solitae erant,) ut Brunsmannus: vel initium regni Artaxerxis annis nescio quot superius ponunt, quam aut Themistoclis apud Thucydidem profectio ad Artaxerxen postulat, aut plures historici patiuntur. Nulla machina, nulla arte hoc intervallum ita diduci potest, ut LXX hebdomades ab anno 20 Artaxerxis incipiant. Eodem anno decretum *minime solenne* regis Persarum exstitit. Neh. II. 1. 5 (in Hebr.) 6 seqq. Conf. Harmon. evang. p. 69 seqq. *Mœnia* exstruxit Nehemias: id ipsum a VII hebdomadibus removet sermo angelicus, & in LXII hebdomadas confert.

§ *XVIII. Ratio temporum non modo non adversatur deductioni LXX hebdomadum ab anno 2 Darii ad annum 37 Æ. D.*, sed etiam eam comprobat, easque aliunde deduci non posse docet.*

1. Non in placita nobis tempora res debemus cogere, sed res ipsas in principio hebdomadum, res ipsas in exitu hebdomadum sumere: deinde tempora ad eas exigere, & eam temporum amplecti longitudinem, quæ hebdomadas, angelico sermoni convenienter, quamvis non annos præcise, exhibeat.

2. Alii annos 490 breviores, ut modo vidimus, adhibent: alii contra, Iubilæos in subsidium vocant, &

* *Quicquid sit de intermediis, hebdomadas oportet certo initio & fine contineri*, Lutherus *sapienter scribit T. IV. Ien. Lat. f. 710. Certum initium 2 anno* Darii *ponit, certumque finem 7 annis post mortem* Christi (*Vorrede zu Dan. IX*). *Quid? si etiam* intermedia *congruant?* Harmon. evang. ed. 2, p. 113. Zeugnis p. 134.

& pro 49, 50. pro 490, 500 annos ſumunt: alii alias rationes excogitant. Non ſatiſſaciunt, ne ſibi quidem. Reſpice tabellam, §§ X. vel etiam muta eam & ſupple: nullo modo 490 elicies. At LXX hebdomades ab anno 2 Darii ad annum 37 Æ. D. (§§§ XI. XIV.) id eſt ab anno 4195 Per. Iul. ad 4750 numeratæ, quid exhibent? Annos 555.* Peropportunum nobis compendium præbet Canon Ptolemæi. Ab anno Darii ſecundo ad mortem Tiberii A. 37. Æ. D. numerat annos 555, qui quidem numerus cum forma temporum apocalypticorum apprime congruit.

3. Daniel erat obſignatus: Apocalypſis non eſt obſignata. Itaque per Apocalypſin ſolvitur Daniel. ** Sobrietatis laudem merentur, qui apocalyptico ſubſidio non cognito, LXX hebdomadas accurate reſolvi poſſe, negarunt. etenim irritos multorum fuiſſe

---

* *Cardo rei in hiſce duobus propoſitionibus vertitur. Prima eſt:* Hebdomades LXIX ſunt ab egreſſu verbi ad paſſionem Chriſti. *Secunda eſt:* A ſecundo Darii anno ad annum 17 Tiberii (*quo Chriſtus paſſus eſt*) ſunt 548 anni, fere. *Prima propoſitio nititur ipſa Scriptura ſacra: altera nititur hiſtoria. Vnde ſequens exoritur* neceſſaria *æquatio:* 69 hebdomades ſunt 548 anni fere. *Adeoque hebdomas non habet 8 annos completos, ſed paululo minus. Sunt adhuc 7.* Septumanae *ſua conſtat denominatio. Weltalt. p. 233.* Anhang IV. Abth. §. 13.

** *Scripturam per Scripturam eſſe explicandam, indubium eſt. Indoli autem V. & N. T. convenit, ut* Daniel *potius per* Iohannem, *quam ut* Iohannes *per* Danielem (*de analyſi temporum præcipue hic ſermo eſt*) *reſolvatur, ea maxime de cauſſa, quod ille iterum iterumque juſſus eſt obſignare, quod utique non ad unicum modo verſum* (*c. XII. 8*) *pertinet; hic vero de* apertis *ſigillis, & de* aperto *libellulo* (*ubi* nonniſi *verba VII. tonitruum obſignare debuit*) *& univerſe de* interdicto *obſignationis loquitur.* Zeugnis p. 22. coll. ibid. p. 58.

se conatus, res ipsa demonstrat: quosdam etiam in vesaniam incidisse, experientia testatur. *Tempus, tempora & dimidium*, Dan. XII. 7. sunt chronus in Apocalypsi. vid. *Erklærte Offenbarung*, pag. 507. Quare ex Apocalypsi etiam LXX hebdomadas solutum iri, sperare licet.

4. In Apocalypsi numerus bestiæ est 666. Ibi, quia quælibet monas est annus, non simpliciter, sed cum appendicula quadam, vocabulum *anni* reticetur: & tamen annus, quia veritas anni manet, subauditur. Apud Danielem similiter dicuntur *hebdomades*, non annorum, sed absolute, ut quælibet hebdomas appendicem non modo habere possit, sed etiam habere existimanda sit, dum res apertius evolvatur. *Cubitus* dicitur Ez. XL. 5, qui cubitum communem cum palmo continet: nil prohibet, quo minus *hebdomas* censeatur, quæ septem annos cum appendice continet, modo 7 ac non 8 sint anni.

5. Vnum ex omnibus temporibus apocalypticis occurrit, quod huc conveniat. Habet mensis propheticus annos communes $15\frac{5}{6}\frac{5}{3}$: dimidius, annos *SEPTEM* & $\frac{5}{6}\frac{2}{3}$. Hic emicat *hebdomas*.* Si cui etiamnum annos Nabonassareos ac lunares huc conferre libet, (quod ego quidem non postulo,) in *hebdomade* reperiet *6 Nabonassareos* & *2 lunares*, ut hebdomas *tantum non octo* solares habeat annos, & tamen vera maneat *hebdomas*. Hac ratione LXX hebdomades sunt anni Nabonassarei 420 & lunares 140: unde fieri potuit, ut Iudæi, prætermissis his, & arreptis illis, putarent, templum secundum stetisse annos 420.

6. Tali

* Daniel *habet hebdomadas, nec menses:* Iohannes *habet menses, nec hebdomadas. Mensuræ hæ temporum apud utrumque Prophetam non debent secum invicem committi. Attamen commodum suaviterque accidit, quod longitudo hebdomadis aliunde demonstrata eadem est cum dimidia longitudine mensis aliunde evicta.* Zeugnis p. 24.

6. Tali modo
hebdomades, sunt anni communes

7:	$55\frac{5}{9}$
62:	$492\frac{14}{63}$
1:	$7\frac{59}{63}$, sive d. 2898$\frac{3}{4}$.
In summa 70:	$555\frac{5}{9}$. Respice, quam prope huc accessum fuerit num. 2. § hujus.
Item, 63 (62 & 1:)	500 præcise.
$\frac{1}{7}$	$3\frac{61}{63}$, sive d. 1449$\frac{3}{8}$.
$\frac{1}{7}$ sive monas annalis cum appendice:	$1\frac{59}{441}$, sive d. 4$\frac{1}{2}$4$\frac{3}{8}$
140 (bis 70:)	$1111\frac{1}{9}$, sive Chronus. num. 3. § hujus.

Monas de 490 sive de septies septuaginta, habet appendiculam, $\frac{59}{441}$, & hæc appendicula, dies 49 haud integros importans, ita modica est, ut ejus septuplum toti hebdomadi non addat annum. Igitur appendix non mutat veritatem hebdomadis (1 Reg. VI. 38. coll. v. 1.) omisso præsertim *anni* vocabulo.

7. Rem *a priori*, pie Lector, adspice, & cogita, Divinam Sapientiam voluisse periodum annorum $555\frac{5}{9}$ per ænigma propheticum proponere, & quidem ita, ut *septuaginta* annis *vastatæ* urbis responderet continuo subsequens urbis actu & statu *aedificatae* periodus in *totidem* partes æquales dividenda, & in *septenas* partes subdividenda. Divisio est hæc:

$$70 — 555\frac{5}{9} \text{ ann.} — 1 — 7\frac{59}{63}.$$

Primus terminus habet *septuaginta*; quartus, *hebdomadem*: & ellipsis *annorum* propter appendicem ad 7 annos usitatos accedentem eximie congruit.

8. Hîc jam denuo confirmatur verum initium hebdomadum LXX. Nam ab anno 1 Darii Medi aut Cyri sunt anni multo plures, quam 560, adeoque LXX *octennia* plena, non *septennia*. Ab Artaxerxis anno

anno 7 & anno 20, neque hebdomades plenæ, neque hebdomades præciſæ, in terminum incurrunt. Vnus annus 2 Darii Hyſtaſpidæ expedit hebdomadas LXX.

9. In LXX hebdomadibus maximam partem verſatur liber, *Remarques chronologiques ſur l'ancien teſtament, à Paris*, 1737. Recte anonymus auctor, diſcuſſis aliorum ſententiis celebrioribus, agnoſcit, finem LXX annorum vaſtatæ urbis, & initium LXX hebdomadum reædificatæ urbis, immediate connecti: ſed eo tandem devenit, articulo XX, ut LXX hebdomadas indefinite accipiendas non obſcure ſuadeat. Nunc autem, ut confido, ratio conſtat, qua & LXX anni & LXX hebdomades immediate connectuntur, & ipſæ LXX hebdomades, (perinde ut LXX anni,) & hebdomadum partes, definite accipiuntur, & ab illuſtri principio, non interrupto curſu, ad fulgidiſſimam metam perducuntur.

§ XIX. *Hebdomadum LXX diviſio in VII & LXII & I ipſam totius periodi longitudinem egregie comprobat.*

Schema hoc eſto:

Anno P. I.	ante Æ. D.	
4176	538.	Darii Medi 1. Gabriel Dan. IX.
4176	538.	Cyri quoque 1. Captivitas ſoluta. *
4195	519.	Annus 2. Darii Hyſtaſpis. d. 14 febr. fer. 4, initium LXX hebdomadum.
55 5/7		Hebdd. VII.
4250	464.	Annus 1. Artaxerxis Longimani.
492 4/7		Hebdd. LXII.

4742

* conſer ſupra in margine c. IV. Sect. III. §. VI. n. 12.

4742	Æ. D. 29.	d. 23 sept. fer. 6. Finis hebdomadum LXII, post quas exscinditur CHRISTVS, interjecto semestri.
		Hebd. $\frac{1}{2}$
$3\frac{6}{62}$		
4746	33.	d. 12 sept. sabb. Gentium apostolus.
$3\frac{6}{62}$		Hebd. $\frac{1}{2}$
4750	37.	31 aug. f. 7, Populus Dei, sine circumcisione.
Anni $555\frac{5}{9}$		Hebdd. LXX.

Hoc schema lucem accipiet ex libro *Erkl. Offenb.* ubi divisionem LXX hebdomadum in VII & LXII & I, & divisionem numeri bestiæ in sexennia completa 100 & 10 & 1, invicem comparavimus, p. 1074 s. Nunc idem schema pluribus explicabimus.

§ XX. *Hebdomades VII & LXII multis rebus inter se differunt.*

Non dicuntur hebdomades LXIX, sed VII & LXII, & quidem ita, ut magno accentu dispescantur, qui non extenuandus est h. l. quin potius eximium usum habet.

Differunt. 1. ipsa longitudine, ut VII & LXII. 2. In hebdomadibus VII est ædificatio *activa* (in Hebr. & Græc.) ut sint, qui *actu* reædificent. In hebdomadibus LXII est ædificatio *passiva*, ut urbs in statu suo sit reædificata, subinde perfectior ac munitior. Similem differentiam verbi τρέφειν & τρέφεσθαι Ap. XII. 6. 14 evolvimus alibi. In VII hebdomadibus inquit angelus, strenue fiet opus, ita ut ipsa ædificatio VII hebdomadibus terminetur, elapsisque VII hebdomadibus urbs jam pro *ædificata* haberi possit, quamvis & transitus ab actu ad statum ædificationis paulatim fiat, & postea subinde aliquid novi operis accedat. In LXII hebdomadibus urbs, ut urbs ædi-

ædificata, ſtabit. neque enim actus ædificationis eſt continuorum aliquot ſeculorum.

3. Hebdomades VII conjunctam habent Chriſti Ducis mentionem: ubi non uſque ad Meſſiam ipſum ſunt hebdd. VII, nam is demum poſt LXII hebdd. inquit angelus, exſcindetur: ſed urbem per VII hebdomades ædificabunt, quæ etiam per LXII hebdomadas ædificata manebit, ante Meſſiæ exciſionem non deſtruenda. Simul innuitur, verbum de *Meſſia* in VII hebdomadibus auditum iri præ LXII hebdomadibus. Etenim in VII hebdomadibus floruere Haggai & Zacharia, nec non Malachia, prophetarum V. T. noviſſimus. nam *prophetiæ donum propemodum XL annos ſub templo II perſtitiſſe*, inſignes Hebræorum doctores ajunt, ac Ioſephus prophetas uſque ad Artaxerxen fuiſſe ſcribit; ab Artaxerxe non fuiſſe. l. 1. c. Apion. f. 1036. nobis autem idem Artaxerxis & LXII hebdomadum eſt initium. § XIX. Atque illi III viri prophetæ teſtati ſunt, templum & urbem, ſtructuræ illius, præſentia Meſſiæ colluſtratum iri. In LXII hebdomadibus nulli reperiuntur prophetæ uſque ad novam Gabrielis apparitionem in ipſo diluculo N. T. Luc. I. II. III. &c. In fine autem LXII hebdomadum ipſum Meſſiam affore, eo innuitur, quod poſt LXII hebdomadas exciſio ejus fore dicitur.

4. In hebdomadibus VII urbs nondum habet plateam & foſſam; (nec tamen non eſt ædificata, quod ad templum & ad domos civium attinet:) in hebdomadibus LXII accedit platea & foſſa*, præſertim

* *Prophetia præciſe loquitur, non dicitur*, platea & mœnia: *mœnia enim ſub* Antiocho *rurſus deſtructa ſunt*, 1 *Macc. I. 33. Sed* platea & foſſa. *Hæc manebant: & paullo poſt etiam mœnia reparabantur. Poſt* Antiochum, *ſicut ante illum, non ter-*

sertim per Nehemiam. Est locutio florida, *platea & fossa*. Per *plateam* definiuntur areæ domorum: *fossa*, definit limites totius *urbis*. *Designat mœnia fossa* apud Virgilium: ipsum *urbis* vocabulum ab *urbando* dicitur, quod est, limites condendæ urbis aratro designare.

5. In hebdomadibus VII nulla est *angustia temporum*: in hebdomadibus LXII est angustia temporum; urbe sæpius obsessa, occupata, oppressa. Ps. LXXIV. 9.

§ XXI. *Hebdomades LXII conjunctiores sunt cum præcedentibus septem, quam cum subsequente una.*

Hebdomades VII & LXII in unum versum compinguntur, & ad *ædificationem* urbis referuntur.

§ XXII. *Hebdomades VII & LXII fluxere ab anno 2 Darii ad annum 29 Æ. D. majore ex parte elapsum.*

1. Hebdomades VII sunt anni 55⅝ sub Dario & Xerxe. Darius regnavit annos 36. Xerxes 21. Summa 57. Subtrahe annum 1 Darii, & partem anni 2. Residuum est intra 55 & 56 annos. Tanta religione adornatum est edictum Darii, Ezr. VI. 10 — 12, ut non mirum sit, ædificationem ab illo edicto fuisse continuam. Inter Darium & Artaxerxen nil in utramque partem Xerxes edixit: Ezr. VI. 14. Itaque Darii annis similes sunt anni Xerxis.

2. Hebdomades LXII sunt anni 492 pleni, sub Artaxerxe Longimano & ceteris regibus Persidis, Græciæ, Ægypti, atque imperatoribus Romanis, usque ad annum 29 Æ. D.

3. Non

---

tium, sed secundum fuit templum, & urbs non tertia, sed secunda vice reædificata. Weltalt. p. 246.

3. Non memorat Ezra annum 1 Artaxerxis: annum 7 describit cap. VII. 7. 8. sed quod Ezra de eodem rege memorat cap. VI. 14, ipso regni initio factum esse, ex eo colligas, quod de sententia Artaxerxis *ædificarunt* Iudæi, c. VI. 14. at cap. VII. 1 seqq. nil de ædificatione dicitur, sed, ea præsuppositа, quid *postea* factum sit, refertur. Totum Ezræ propositum ibi describitur versu 10, cui diploma regis plane respondet. Sed ob arctiorem hebdomadum VII & LXII nexum postulari non debet, ut transitus ab illis ad has liquidius ostendatur. Nam actum ædificationis sensim excepit status urbis ædificatæ. Nil magis conspicuum in eo temporum tractu externa refert historia, quam hoc ipsum, quod Xerxes obiit, successore Artaxerxe. Majorem vero apud ipsos Iudæos differentiam inter hebdomadas VII & LXII exhibet *prophetia*, quæ ante Artaxerxen, non sub Artaxerxe fuit.

4. Quomodo autem status urbis ædificatæ incipere potuit ante Nehemiam, qui plus ædificavit, quam alius quisquam? Non sunt extenuanda, quæ is fecit: sed tamen omnia sunt ejusmodi, ut etiam antea *ædificatæ urbis* titulum tueri potuerit Hierosolyma. Etiam *ædificata* urbs *ædificari* potest, 2 Chron. XI. 5. XIV. 7. Etiam *sine mœnibus & portis* urbs esse potest, vel in florentissimo statu, Zach. II. 4. vel bono, vel aliquo certe. 1 Reg. III. 1. 2 Chron XXXII. 5. XXXIII. 14. Parte muri destructa, patet urbs tota: & tamen urbs est. 2 Chron. XXV. 23. coll. c. XXVI. 6. Itaque statum ædificatæ urbis Hierosolymæ non interpellat opus illud, quod 52 diebus absolvit Nehemias.

§ *XXIII. Hebdomas una, septuagesima, longe maximi est momenti, & gratiæ pleniſſima.* *

* *Elapsis VII & LXII hebdomadibus, hebdomas residua, non vocatur septuagesima, sed V N A, (uti Apoc. XVII. 10 post lapsos*

Hoc propria ejus descriptio abunde commonstrat.

§ XXIV. *Post hebdomadas LXII excisus est Messias.*

Excisio כרת facta est, quum in cruce tanquam κατάρα *maledictum* pependit, & mortuus est, & de terra viventium, in medio humanæ ætatis, נגזר abscissus, Iesaiæ LIII. 8. ואין לו *& non erat* : * לו ut in לך לך additur. Factum A. 30 Æ. D. mense Nisan: & hebdomades LXII exierant A. 29 Æ. D. d. 23 sept. pauculis diebus ante initium magni anni passionalis, qui panditur in hist. evang. Ioh. VII. 2. Cum excisione Messiæ protinus jungitur illud, *Et urbem & sanctuarium perdet populus ducis venientis.* &c. Dux est Messias: populus veniens, Romani. Hi dicuntur populus ejus, quia ei tota illa expeditione servierunt. conf. Ioel. II. 11. Matth. XXII. 7. Interemto Messia tantam sibi pœnam Iudæi contraxerunt, & ipsum protinus malum initia habuit. Id non includitur hebdomadi LXX. nam etiam ultra eam extenditur. quare dicitur, ante mentionem ipsius hebdomadis LXX, *post hebdomadas LXII*, non, *in hebdomade LXX*, quippe quæ rebus lætis destinatur. Valde notabilis &

---

5 reges reliqui duo non dicuntur 6 & 7, sed unus & alter:) *eo quod prophetia non tam præteritum quam futurum, simulque in hac una illustrissima hebdomade* Christum *spectat.* Ehrenr. p. 147.

* Aen *significat* non est *Exod. XXII. 1. 2. s. Hoc* Non esse *Messiæ, & Non esse bestiæ Apoc. XVII. 8. ad multa illa momenta pertinet, quibus loca de 70 hebdomadibus & de duratione bestiæ inter se comparantur* (Harmon. ed. 2. p. 116.) *Sententia integra rotunda Dan. IX. 26. quoad ipsum Messiam attinet, hæc est,* ipsum iri excisum, & nihil habiturum. *vid. Coccei. Lex. Hebr. col. 28. Id agnoscet, qui in hebræo exercitatus est. Cum* Christus *occideretur, nihil habebat* Hierosolymæ *Matth. XXI. 39. Act. XIII. 27.* Ehrenr. p. 199.

& triſtis apud Iudæos eſt annus 30 Æ. D. qui 40 annis præceſſit cladem urbis.

§ XXV. *Roboravit Meſſias fœdus multitudini hebdomadem unam.*

Hebdomas una, LXXma, eſt ab A. 29 Æ. D. d. 23 ſept. ad A. 37 d. 31 Aug. Toto eo tempore Chriſtus, Angelus fœderis, multitudini Iudæorum*, id eſt, toti populo, uberrime præſtitit, quæ ex fœdere cum patribus inito præſtanda erant. Tertio prædica-

* Multi *illi non modo multitudinem* Iudaeorum *deſignant, uti ego quidem, cum aliis, exiſtimabam in Ord. Temp. Sed* Iudaeos & gentes, *Ieſ. LII. 14. 15. LIII. 11. 12. Dan. XI. 33. XII. 3. Matth. XX. 28. & hebdomade hac non fœdus, novum videlicet & æternum, ſed inchoata fœderis roboratio vel confirmatio comprehenditur. Initio hebdomadis ſanguis* N. T. *pro* multis *effundebatur Matth. XXVI. 28, & inde fœdus hoc ſeu teſtamentum Iudæis & porro etiam gentibus prædicatum eſt, dum elapſis* 7 plenis annis *poſt Chriſti mortem gentes, adeo etiam ſine circumciſione, quæ adhuc neceſſarium fœderis ſignum fuerat, ut populus DEI reciperentur, plenaque evangelii libertas, a Paulo ad Galatas potenter aſſerta, invaleſceret. Durante hac* hebdomade, *Hieroſolyma, ſancta urbs, ſedes primaria firmati fœderis erat: deinde vero etiam Cæſariam, Antiochiam &c. ventum eſt.* Weltalt. p. 223. Harm. Evang. ed. 2. p. 123. 125. *Fœdus eſt illud, vi cujus urbs Hieroſolyma* ſancta *fuit* urbs: *adeoque fœdus eſt antiquum, ſed quatenus promiſſionem novi fœderis involvebat. quoad gentes non ſine circumciſione admittebantur, fœdus in toto ſuo ambitu Iſraeli firmabatur. Id quod a morte* Chriſti *plenum ſeptennium durabat. Deinde vero gentes ſine circumciſione admittebantur, tuncque hebdomas roborati fœderis ſuum aſſecuta eſt finem. Magnus ille eventus Act. X. non erat* ſucceſſivus. *Sed uno die, quin uno momento evenit v. 44. & continuo fundamentum exſtitit omnis ſubſecutæ conjunctionis Iudæorum & gentium.* Ehrenr. p. 203.

dicationis anno, a ſcenopegia Ioh. VII copioſiſſime docuit Hieroſolymis: ſanguine ſuo fœdus novum ſancivit, Matth. XXVI. 28. Hebr. XIII. 20. & Iſraelitis tanquam *filiis fœderis* præcipue patefecit omnia bona, per apoſtolos. Act. III. 25. 26. Etenim huc pertinent Acta apoſtolorum, cap. II ſeqq. IX. 31. Fœderis firmitudinem multi per fidem ſunt amplexi. Fuerant Iudæi populus Dei ex fœdere, (Dan. IX. 4.) præ gentibus: Pſ. CXLVII. 19. 20. fœderis ſignum erat circumciſio: quam diu ſine circumciſione non admittebantur gentes, fœdus firmabatur.

2. Euphemiſmus ineſt in his verbis, *roborabit fœdus hebdomadem unam*, ſcilicet, non ultra. Id eſt, poſt hebdomadem tolletur fœdus, quippe cujus bonis multitudo Iudæorum ſe indignam reddet: & gentes, etiam ſine circumciſione, ad eadem bona admittentur. Iudæorum caſus & gentium receptio, conjuncta ſunt.

3. Tempus hebdomadis exeuntis infra videbimus.

§ XXVI. *In dimidio hebdomadis illius ſuſtulit* ſacrificium & oblationem.*

Sublata ſunt ſacrificia tribus modis: 1 in morte Chriſti. 2 per præconium evangelii. 3 in excidio urbis. Primus modus hîc non ſpectatur. nam *poſt hebdomadas LXII* exciſus eſt Chriſtus: at finem ſacrificii & oblationis fecit *in medio hebdomadis*. Hæ duæ diſtinctæ locutiones docent, exciſionem ſive mortem Chriſti præcedere, finem ſacrificii & oblationis ſubſequi. Neque tertius modus hîc ſpectatur: nam excidium urbis nulla ratione in medium hebdomadis conferri poteſt. ** Relinquitur ergo modus ſecundus.

* *Prophetia ſacrificia ea ratione* iri ſublatum *indicat, qua ante nunquam ſublata ſunt, atque alia voce utitur ac Dan. VIII. 11. XI. 31. XII 11.* Weltalt. p. 227.

** *Sententiam meam de ſublatis ſacrificiis* non prorſus retracto, *ſed* ambi-

dus. A. 33 Æ. D., uti pag. 273 vidimus, Saulus, tertio vocationis anno, *Hierosolymam* primum, ut Christianus & Apostolus venit: atque is ante etiam, quam Hierosolymam veniret, evangelium prædica-

ambigo *tamen, quid sibi istud* hebdomadis dimidium *Dan. IX. 27. velit. Angelus de 70 hebdomadibus loquitur, & porro de 7 & 62 & 1 agit: quemadmodum igitur istæ 7 & 62 hebdomades, ut illius summæ partes, se invicem continuo excipiunt, quoniam inter ædificationem 7 & 62 hebdomadum nulla alia ædificatio intervenit; sic etiam una illa hebdomas residua, ut pars illius summæ, id est, unice individuæ periodi, continuo post 62 hebdomdas subsequitur. Postquam vero summa 70 per 7 & 62 & 1 completur: nil est quod nos cogat, ut* dimidium hebdomadis *in textu subsequens, tanquam partem 70 hebdomadum, & præsertim uuius hebdomadis, tractemus: sed quæritur demum, annon post* 70 hebdomadas *illud* hebdomadis dimidium *ut propria & multo brevior periodus (& quidem interjecto in historia spatio annorum circiter 29 ab A. 37 Dion. ad 66) cursum suum habuerit? Rationes, quæ me ad affirmandum invitant, sunt hæ:*

(1) *Sicuti angelus primo de* ædificatione, *& deinde de* excidio *urbis ac sanctuarii plane proprie loquitur, ita sermo* de tollendis sacrificiis *item proprie capiendus est, quemadmodum illa, exusto templo, ipso facto sublata sunt. coll. Dan. VIII. 11. seq.*

(2) *Dictum hoc:* In dimidio hebdomadis quiescere faciet sacrificium et oblationem, *per accentus ab hebdomade firmati roboris in textu prævia disjungitur, contra ea cum* vastitate *subsequente, super qua ad præcisam consummationem* stillabit, *conjungitur. Duo hemistichia priora v. 26. 27. inter se sunt parallela, uti etiam duo posteriora.*

(3) *Quemadmodum igitur* cessatio sacrificiorum *funesta est, &* fœderis firmatio *antecedens solatiflua: ita utraque non in unum congruit tempus.*

(4) *Non dicitur:* in dimidio VNIVS hebdomadis — *sed,* in dimidio hebdomadis. *exceptioni quidem locus est, non dici indefinite,* in dimidio

vit in Arabia, Gal. I. 17. sed *Hierosolymis* solennior legatio ad gentes facta est. Rom. XV. 19. Illo igitur anno, Hierosolymis, in templo, ubi sacrificium & oblatio viguerant, orans, in ecstasi, Dominum vidit, qui ei dixit, *Propera & exi celeriter Hierosolymis.* &

---

dimidio hebdomadis, *sine He emphatico, sed,* in dimidio hebdomadis ILLIVS *cum He emphatico, coll. 1 Sam. XVII. 40 s. Attamen istud He sæpe ponitur quum* pergit *sermo in* enumerandis *temporibus. v. g. post* sex *dies* dicitur, septimus dies *cum* HE *emphatico, quanquam nulla hujus diei mentio in textu præcedat; post* septem dies, *dicitur cum* HE, octavus dies: *post* septem annos *dicitur cum* HE, octavus & nonus annus *Lev. XXIII. 3. 36. XXV. 22. Et hoc loco apud* dimidium hebdomadis *sufficit, quod ad finem versus 26. referatur finis versus 27, & quod hic, sicut ante, de* hebdomadibus *ejusdem longitudinis, simulque de totius rei conclusione sermo sit.*

(5) *In complemento emicat hoc* hebdomadis dimidium. *Non est quod* integra *singularis hebdomas circa cessationem sacrificiorum in historia quæratur, sed* dimidia hebdomas, *id est, 3 anni, 11 $\frac{2}{3}$ menses, metiuntur* tempus belli Iudaici, *quo de sacrificiis dimicabatur. cœpit illud A. 66. Æ. Dion.* in medio Augusti, *& quidem ob* sacrificia *pro Imperatore & Romanis offerenda: & A. 70. post* initium mensis Augusti *templum igni datum, omnibusque sacrificiis, templo alligatis, finis impositus est, quo facto intra mensis spatium tota urbs occupata & vastata fuit.*

Nunc cuique cogitandum relinquitur, an finis sacrificiorum in emissione apostoli gentium, *an in* bello judaico *ponendus sit? Si posterius est, &* dimidium hebdomadis *seorsim accipitur, vera interpretatio LXX hebdomadum apud multos eo faciliorem inveniet assensum. LXX hebdomades nihilominus manent unica summa & periodus individua,* ab anno 2 Darii ad receptionem gentium *Act. X. Si hoc unicum de fine sacrificiorum excipias, cetera mihi firma manent, quæ* in Harmon. Evang. A. 1747. de 70 hebdomadibus p. 91 — 126. *fusius exposui, & huic denuo ad ista provoco.* Zeugnis p. 140. seqq.

&, *Abi; nam ego te in gentes longe emittam.* Act. XXII. 17 seqq. Tum cœpit in ecclesiis per evangelium dominari *Benjamin Parvus*, Paulus. Ps. LXVIII. 28. Antea gentes debuerant ad urbem Hierosolymam se aggregare; uti novissimo eunuchi Æthiopis exemplo constabat: Act. VIII. 27. sed nunc Christus Saulum ad eas longe emisit, eoque ipso necessitatem Hierosolymam veniendi & sacrificia oblationesque faciendi sustulit. Circumcisio instituta est ante sacrificium & oblationem leviticam: sacrificium & oblatio sublata est ante circumcisionem.

§ XXVII. *Exitus unius hebdomadis, atque adeo LXX hebdomadum, valde est conspicuus.*

1. Multi satis habent, si medium hebdomadis & mortem Christi conjungant: de exitu hebdomadis parum laborant. Nullum quidem Scriptura N. T. expresse annum aut diem refert, in quo exierint LXX hebdomades: sed tamen vestigia valde notabilia signat, ita, ut *res* & *tempus* se invicem aperiant.

2. *Rem* ipsam attigimus § XXV. Exiit enim cum hebdomade LXX, tota periodus, quum gentes, sine circumcisione, ad populum Dei sunt admissæ. Hæc admissio utique in Actis Apostolorum habetur: in Actis autem duo sunt capita, quæ huc referamus, de Cornelio, de Concilio. Concilium post mortem Herodis, cap. XII. XV. adeoque notabili post finem LXX hebdomadum intervallo fuit. Vna relinquitur historia de Cornelio. Act. X. XI. *Tempus* ipsa primum periodi longitudo offert: & a die illo, quem § XV notavimus, anni $555\frac{5}{9}$ deveniunt ad diem 31 aug. anno 37 Æ. D. Per. Iul. 4750. Etenim anni 555 naturales, sunt dies $202709\frac{1}{4}$: & hi anni sive dies decurrunt a die 14 febr. ad d. 10 febr. demto anni Iuliani excessu. Inde $\frac{5}{9}$ anni sive 203 dies sunt ad d. 31 augusti, qui A. 37 Æ. D. Per. Iul. 4750 erat sabbatum. Atque ita $555\frac{5}{9}$ anni, tanquam $202912\frac{1}{2}$

dies, sive $28987\frac{1}{2}$ *hebdomades* dierum, cœpere noctu, Zach. I. 8. *feria 4*, & desiere die *sabbati*. Is dies ad clausulam LXX hebdomadum, etiamsi nulla conjectura consequi possemus, quid eo die accidisset, peropportunus erat. Vno illo die & sabbatum erat, & neomenia Tisri * sive initium anni judaici, præcipuo tubarum clangore celebrari solitum. Eodem anni initio, ut multi existimant, Iohannes Baptista prædicare cœperat: cœperat decem ante annis, quum item sabbatum & dies primus Tisri concurrerent. Anno illo Dion. 37 Pilatus Iudæa decedere coactus est, & Tiberius obiit.

III. In magno illo eventu, qui Act. X. 1-XI. 18. memoratur, non modo *res*, sed etiam *tempus* præsto est. Tum magna illa visio obtigit Cornelio: *tum PRIMVM DEVS INVISIT sumere ex gentibus POPVLVM in nomine suo, ELEGIT*que, ut gentes per os Petri audirent verbum evangelii, & crederent. Act. X. 3. XV. 7. 14. Res gesta est non *Hierosolymis*, sed *Cæsareæ*, quæ primaria gentium in Palæstina statio erat; atque interjectis diebus quibusdam, (Act. X. 48. XI. 2.) Petro *Hierosolymis* eos, qui ex circumcisione erant, pacante, in gloriam Dei comprobata. Hæc *longe maxima & plane singularis Epocha* est: hoc, longo post tempore, fundamentum fuit decisionis in concilio Hierosolymitano. Facta est gentium admissio A. 37 Æ. D. ut vidimus p. 273. ac postremis anni illius Iudaici diebus, ut conjicere licet, magna illa res Cæsareæ gesta est.

4. Neo-

* *Multo tamen verisimilius est, fuisse tunc annum Iudæis emboliæum, & 1 Tisri diem 30. Sept. Quum igitur dies 31. Aug. (a quo non est, quod discedamus) in anno Iudaico antecessisset: cum lectionibus illius sabbati Deut. XVI. 18-XXI. 9. Ies. LI. 12-LII. 12. (iis, quos O. T. citat, non exclusis) singulariter congruit sermo Petri Act. X. 28. 34. 35. 36. 38. 39. 42. 43.* Harm. Evang. p. 126.

4. Neomeniam Tisri præcedunt lectiones aliquot sabbatorum ex Mose, Deut. XXI. 10-XXXI. 30. & ex prophetis, præsertim ex Ies. LIV-LXIII sparsim. Quotiescunque autem cum sabbato concurrebat neomenia, legebatur Iesaiæ caput LXVI. Ad ejusmodi lectiones in sabbatis & festis diebus sæpe alluſit Dominus IEsus: idque fecit etiam Paulus Act. XIII. Iam Petri sermo, apud Cornelium habitus, iis scatet locutionibus, quæ partim cum oraculis initio LXX hebdomadum per Haggai & Zachariam pronunciatis, partim cum periochis Mosis & prophetarum ante illum diem & illo ipso die legi solitis ita congruunt, ut eas plane respexisse videatur.

Act. X. 35.	*In omni gente. qui Deum timet, & justitiam facit, acceptus est.*	Ies. LXVI. 18 f. Deut. XXV. 18. 16.
36.	*Pacem:*	Ies. LXVI. 12. Hagg. II. 10. Zach. IX. 10.
39.	*In ligno suspenderunt:*	*Maledictus, qui pendet in ligno.* Deut. XXI. 23.
42.	*Iudex vivorum & mortuorum:*	*Iudicabit Dominus cunctam carnem* Ies. LXVI. 16.
43.	*Omnes prophetæ:*	*Moses & Iesaias*, copiose.
	Remissionem peccatorum:	Hos. XIV. 3.
	Omnem credentem:	Ies. LXI. 11. &c.

5. Has Mosis & prophetarum periochas si quis a Petro spectatas minus agnoscit, ipsa tamen periocharum lectio perquam accommodata erat ad fœdus *hactenus* corroborandum. nam Iudæorum casum & gentium admissionem aperte celebrant. Vide inprimis, de *fœdere*, Deut. XXXI. 16. 20. Certe *Iesaiæ caput LXVI*, in neomenia & sabbato, (vid. v. 23.) in

in synagoga, legi solitum, & præterea illo anno, ineunte mense Tisri, ineunte anno Iudaico, ultimo LXX headomadum die lectum, tanquam insignis Protestatio, *conclusit LXX hebdomadas*, præsertim in urbe *Hierosolyma*, super quam hebdomades LXX decisæ fuerant, sublata speciatim fiducia templi, sacrificiorum, sabbati. v. 1. 3. 23. Expendatur etiam versus 4. 5. 6. 12. 15. 18. 19. 20. Cogita omnes avitæ Israelis prærogativæ innutritos: Cornelium divinitus Petro sine circumcisione derepente delegatum: insignem illum Iesaiæ epilogum, Iudæos hypocritas redarguentem, gentibus propitium, insigni die publice lectum &c. Aut nihil, aut talium rerum concursus, terminum LXX hebdomadum tuebitur.

§ XXVIII. *Vera interpretatio LXX hebdomadum, * & chronologia evangelica & apostolica, & tota ratio sacrorum temporum, magnopere se invicem confirmant.*

1. Omnia inter se cohærent: initium LXX hebdomadum: tempus mortis Christi: apostolatus Pauli: gentium admissio per Petrum.

2. Ipsæ

* *In hac nostra interpretatione* (1) *propria ante aguita verborum textus* hebraici *significatio, itemque* (2) accentus *retinentur*, & (3) *70 annos iræ* continuo *excipiunt 70 hebdomades*: *hæ* (4) simplicem *habent cursum, non duplicem, & progrediuntur post illustre* (5) initium, (6) non interruptæ, (7) certo *suo numero*, *nt* (8) septuaginta, *non ut 72 hebdomades, nec* (9) *ut communes* hebdomades annales, *attamen* (10) *salvo* hebdomadis nomine, *& resolutione* (11) *cum aliis temporibus* prophetici *analoga*, (12) *per distinctas suas* partes, *usque ad* (13) metam *suam*, *quæ ipsa* (14) *admodum optata est &* illustris. *En!* quatuordecim characteres, *quibus, spero, nemo quicquam opponere, aut eosdem* omnes simul *in ulla alia interpretatione commonstrare poterit.* Weltalt. p. 235.

2. Ipſæ LXX hebdomades non modo *ſeptenarium* numerum in ſuis partibus continent, ſed etiam ut partes *ſeptimæ* ingrediuntur periodos majores, ipſamque mundi ætatem. Id paulo diſtinctius evolvemus. Hebdomades LXX conſtant annis $555\frac{5}{9}$, ſive 5 ſeculis, id eſt, ſemitemporibus, ſive 35 menſibus propheticis, adeoque cum tota mundi ætate analogiam habent; & rurſum ætas mundi complectitur, ut videbimus, 980 hebdomadas Danieliticis analogas. Præterea hebdomades LXX juxta cum ipſa ætate mundi per hebdomadas dierum incedunt. Inde exiſtimare fas eſt, hebdomadas LXX cum diebus mundi præcedentibus & ſubſequentibus analogiam habere. Quare ætas mundi in tres diviſa *partes ante* hebdomadas, & *in* hebdomadibus, & *poſt* hebdomadas, videamus quid exhibeat.

Ab ineunte anno 1 mundi ad initium LXX hebdomadum A. M. 3424 d. 14 febr. fer. 4. (ſubtracto anni Iuliani exceſſu,) ſunt dies 1250382, hebdomades dierum 178626, *hebdomades hebdomadum* talium 25518: minus $3\frac{1}{2}$ dies.

Inde ipſæ hebdomades LXX ſive anni $555\frac{5}{9}$ decurrunt ad A. M. 3979 Æ. D. 37. d. 31 Aug. fer. 7. ſuntque dies $3\frac{1}{2}$, & hebdomades dierum 28987, *hebdomades hebdomadum* talium 4141; quæ, diebus illis $3\frac{1}{2}$ additis, ſunt dies $202912\frac{1}{2}$. [Dies $3\frac{1}{2}$, in mediæ partis initio, ſunt notabiles. Cœpere LXX hebdomades feria 4, d. 14 Februarii, & poſt dies $3\frac{1}{2}$, ſabbato videlicet, d. 17 februarii, completæ ſunt hebdomades hebdomadum diurnarum, per ſabbata decurrentes. Feria 4 viſionem habuit Zacharias & prædicare juſſus eſt, cap. I. 14. 17. prædicationis autem, ut exiſtimare licet, occaſionem maximam attulit *ſabbatum* proxime ſubſequens. His diebus $3\frac{1}{2}$ æquale reſpondet intervallum, proxime *ſub* completas LXX hebdomadas, cujus ſingulare exſtat diarium

rium Act. X. 3. 9. 23. 24. coll. v. 30. ut visioni Zachariæ respondeat visio Cornelii; & præconio Zachariæ præconium Petri. Si quis hæc nimis quæsita putat, simpliciter dicat, in primo sabbato sub LXX hebdomadum initium, quod sane fixum est, & exitum earum firmat, *mox* fuisse transitum a prima periodo diurnas hebdomadum hebdomadas complexa ad periodum secundam, quæ ab eodem sabbato item hebdomadas hebdomadum diurnas, perinde ut tertia periodus, habet.]

Denique ab exitu hebdomadum LXX ad finem temporum sunt dies 1387484, hebdomades dierum 198212, *hebdomades hebdomadum* talium 28316.

Habet igitur prima *pars* hebdomades hebdomadum 25518

secunda, 4141

tertia, 28316

Summa, 57975.

Prima & tertia pars conjunctim complectuntur annos $7222\frac{2}{9}$. secunda, $555\frac{5}{9}$. Summa, $7777\frac{7}{9}$. Hoc concentu, quem ne Epicureus quidem pro fortuito habere poterit, & longitudo LXX hebdomadum, & initium earum, & meta earum, & præcedentia tempora, & subsequentia, *ante hunc ipsum observatum concentum aliunde ad diem usque probata*, ita confirmantur, ut nihil loco moveri possit.

3. Dupliciter hæc tractatio *veritatem* comprobat *religionis christianæ*. Primum indefinita LXX hebdomadum periodus, quæ annos *septuagies septenos*, non *octonos*, *novenos* &c. continet, demonstrat, Messiam primo Cæsarum tempore venisse, qui alius esse non potest, atque IEsus Nazarenus. § VIII. Deinde, quia Daniel ita obsignatus est, ut neque Iudæi neque Christiani veram LXX hebdomadum *longitudinem*, sine Apocalypsi, definire possint, Apocalypsis autem eam definite recludit, Apocalypsis IEsu Christi vera est, & IEsus, cujus est Apocalypsis, est Christus.

SECTIO

SECTIO II.

DE CETERIS TEMPORVM PERIODIS APVD DANIELEM.

CAP. VII. v. 12.

Longitudo vitæ data eſt beſtiis uſque ad זמן וערן *ſpatium & tempus.*

Duratio IV regnorum ducitur non tam a tempore viſionis, anno 1 Belſaſar, quam ab ipſo potentiæ Babylonicæ initio. Initium hoc fuit poſt elapſos annos mundi $3333\frac{3}{9}$, poſt obitum Ioſiæ, quem intervallo vix notabili inſecutum eſt initium potentiæ Babylonicæ: & inde ſunt $2444\frac{4}{9}$ anni ad A. M. $5777\frac{7}{9}$, ſive ad ſtragem regum terræ, Ap. XIX. Nota: 5 ſemitempora ſecularia ſive anni $555\frac{5}{9}$ ſunt 70 hebdomades: ergo 22 ſemitempora ſecularia, ſive anni $2444\frac{4}{9}$ ſunt hebdomades 308, adeoque hebdomades quadratæ 44. Duæ partes inæquales ſunt זמן וערן & poſſunt 22 ſecula ſe invicem habere ut 20 & 2, (ſive ut Sarus & καιρὸς,) aliisve modis. quanquam neſcimus, quomodo duæ partes inæquales זמן ערן hoc loco differant, totum manet.

CAP. VII. v. 25.

Tempus, tempora, dimidium temporis.

Ex regno quarto ſive imperio Romano ſurgent decem reges: & alius ſurget poſt eos, videlicet homo peccati: cujus in manum tradentur ſancti *tempus & tempora & partem temporis.* Hæc periodus dicitur ὀλίγον *paucum* tempus manſionis, Apoc. XVII. 10, & fortaſſe eſt dierum $666\frac{2}{3}$ vid. *Erkl. Offenb.* p. 883. 1072. Ita VII tempora Dan. IV. 20 fuerint duplum temporis 1. 2. $\frac{1}{2}$ ſive dies $1333\frac{1}{3}$ ſive anni $3\frac{2}{3}$ propemodum. *

CAP.

* Paululum *unam horam & porro totam regis alterius manſionem, in tertio beſtiæ inciſo (Apoc. XVII. 12. 10.) complectitur. In idem*

CAP. VIII. 14.

2300 *vesperi mane.*

In visione de ariete & hirco, Cornu parvum est Antiochus Epiphanes: & dicuntur fore *2300 vesperi mane* ad justificationem sanctuarii.

Diei prophetici vocabulum cap. XII. 11. 12. aliter adhibetur: quare dies naturales per paraphrasin notantur, *vesper mane.* Dies 2300 sunt anni 6, cum appendice dierum 108, hor. 13, quos Antiochi vis non explet. Iungmannus valde sudat, ut dies 2300 efficiat: nec tamen efficit T. I. in Dan. p. 440 seqq. coll. p. 436. 224. nam Anno 143. regni Græcorum, urbem & templum violavit: & anno 149 ineunte obiit. 1 Macc. I. 21. VI. 16. coll. 2 Macc. XI. 21. &c. Divisim numera *vesperam*, divisim *mane*, quemadmodum distincta eorum mentio fit versu 26, ut sint, dimidiato numero, 2300, dies 1150, sive anni 3, & dies 54 pleni, sive hebdomades 164 & dies 2. Sic omnia sunt faciliora. * Apparet, die *Iovis*, Iovis Olympii abominabile idolum esse collocatum, & *sabbato* exisse lugubrem periodum.

CAP.

---

idem cadunt, si id non explent, tempus, & tempora & dimidium temporis *apud Danielem, assentiorque, esse annos* $3\frac{1}{2}$, *sed, in summa, dierum 1278, ex veritate naturali, non dierum 1260, neque dierum* $1333\frac{1}{3}$, *qui in mentem venire possent. apud Danielem, (cujus* $3\frac{1}{2}$ *tempora illud* Paululum *non explent) videtur bestiæ ex abysso actio* in terra Israel *spectari: in Apocalypsi (cujus Paululum* horam unam & porro 1335 dies communes *vid. infra ad Dan. XII. 12. comprehendit) extra eam quoque terram bestia ex abysso* prius *habet, quod agat.* Gnom. ed. I. p. 1185. ed. II. p. 1317.

* *2300 vesperi mane* Glassius *& alii pro 1150 vesperis & pro 1150 mane solido fundamento agnoscunt, quemadmodum in hebræo*

v. 26.

Cap. XII.

v. 7. *Tempus, tempora & dimidium.*

v. 11.

v. 26 veſper ET mane *clariſſime diſtinguuntur. 2 Chron. XXVIII. 8. numerus 200000 ſic capiendus eſt, ut partim mulieres, partim filios, partim filias, nec vero ſeorſim 200000 mulieres, totidem filios, totidemque filias complexus ſit. Iud. XVI. 27. 3000 fuerunt, non viri, ſed viri & mulieres. Eadem ratione hic quoque numerus 2300 (quem* L. Oſiander *alio modo decurtare voluit) dividendus eſt. Quotidie ſacrificandum* mane & veſpere *fuit: ſed ſub Antiocho 1150 ſacrificia* veſpertina *et 1150* matutina, *ſummatim 2300 cultus* ſacrificii jugis, *intermiſſi ſunt, ita ut ſacrificium* primo *intermiſſum eſſet* matutinum, *&* ultimum veſpertinum. *Uti Xenophon per ſeptem profectiones Cyri ſeptem annos, aut tempora veris ſubindicat, ſic hoc loco per 2300 ſacrificia totidem abominabiles ſemidies innuuntur. Habentur 3 anni & 10 dies 1 Macc. I. 57. IV. 52. 54. qui jam plus 2200 ſacrificia exhibent, & quæ reſtant pauca ex c. I. 21. 30. 39. 41. colligi poſſunt. Hæc propria eſt & expedita interpretatio, cui nihil ſolidi opponetur.* Weltalt. p. 204. ſ. *De 2300* veſperi mane *porro notandum; I.* Gabrielem *de* Antiocho Epiphane *loqui, inprimis ex v. 9. patet. II. Ubicunque temporis cujusdam denominatio & numerus, uti hic* Subſtantivum, veſperi mane, *hoc eſt, veſperi & mane v. 26, & Adjectivum 2300 exſtant, ad ſe invicem pertinent. Natura linguæ conficit, ut v. 14.* Subſtantivum ſingularis numeri *etiam* citra ſenſum diſtributivum *cum* Adjectivo numerali *conſtructum ſit, & verſum 14. reſpicit v. 26. Nec igitur ellipſin* diei, *ut qui veſperi & mane conſtat, hic ſtatui neceſſe eſt. III. Stilus propheticus non obſtat, quo minus* proprio *ſenſu accipiatur* veſperi & mane. *Etiam Ezech. XLVI. Sermo* proprie *eſt de* ſex diebus operis, *de* die Sabbati *ejusque ſacrificio, & ſic quoque de* ſacrificio jugi *v 1 — 6. 13 — 15. IV. Siquis 2300 non de totidem ſacrificiis jugibus, partim matutinis, partim veſpertinis (quanquam de jugi ſacrificio iterum iterumque loquatur textus) accipere poteſt (quod tamen interpretes non*

v. 11. *Dies* 1290.
v. 12. *Dies* 1335. *

§ I.

Vna est visio, Dan. X — XII copiose descripta. Capite I. v. 21 vixisse Daniel dicitur usque ad annum 1 regis Cyri: itaque eo anno videtur in unum collegisse, quæ c. I — IX habentur; & *anno 3 Cyri* (c. X. 1.) hanc partem adjecisse. Et eam quidem totam ad Antiochum Epiphanem alii referunt, alii Antiocho in Daniele locum esse negant. Revera docetur, quid *populo Danielis* futurum sit in אחרית *posteritate* dierum, c. X. 14. a tempore visionis usque ad finem mundi. c. XI. 1. XII. 1 s. 13. Et res evolvemus & tempora.

§ II. Ordine describuntur reges Persidis, c. XI. 1. Alexander Macedo, ib. v. 3. 4. reges Ægypti & Syriæ, v. 5 — 20. speciatim Antiochus Epiphanes, v. 21 — 45. actum demum tempora novissima. c. XII. 1 ss. Subjungitur quæstio, de *TEMPORE finis mirabilium;* & juramentum, quo confirmatur, id fore *ad tempus & tempora & dimidium.* De hoc juramento egimus alibi. *Erkl. Offenb.* p. 492 s. sed nunc addemus aliqua.

§ III.

---

pauci faciunt, apud Sudermannum ad Newtoni *Obs. p. 84): dies 2300 integri, sed communes apud* Antiochum *prodeunt ab anno græco 143, (quo ille Ægypto percussa, redux Hierosolymam petiit, ibique tam crudeliter se gessit) per annos 145 & 148 (in quibus templum profanatum & restitutum est) usque ad annum 149, quo is caussa Iudæorum DEIque eorum pro justa etiam scripto declarata, terribili morte obiit. 1 Macc. I. 21. 30. 57. IV. 52. VI. 16. 2 Macc. IX. 12 — 28.* Ehrenrett. p. 156.

* *Quæ in Ord. Temp. de periodis hujus capitis XII observata sunt, ea facile patior ab iis dijudicari, qui plus lucis acceperunt.* Weltalt. p. 199.

§ III. Vocabulum *temporis* est generale, & potest mensem, vel annum, vel periodum ex annis annorumque partibus conglomeratam denotare: quare quid sit *tempus*, *tempora* & *dimidium*, per se non patet, sed aliunde disci debet.

§ IV. Michaelis mentio fit c. XII. 1, idemque in Apocalypsi memoratur. Idem princeps: eadem actio: idem tempus. Igitur Daniel quoque *finem* spectat; c. XII. 2. 4. 6. 9. 13. XI. 35.

§ V. Iussus fuerat Daniel occultare visum de vespere & mane, c. VIII. 26, quia *in multos dies* esset: idem vero sub ea, quæ de resurrectione multorum & de gloria æterna dicuntur, jubetur *occultare verba* & *obsignare librum*: v. 4. & sub juramentum de tempore, temporibus, & dimidio, dicuntur *occultata* & *obsignata* verba ad tempus finis. v. 9. Quæ *occultata* ac non obsignata *sunt*, suo tempore, sine nova revelatione patescunt: quæ vero & *occultata* & *obsignata* sunt, per novam demum revelationem patescunt.

§ VI. Etenim victoria Michaelis, res maxima, in invisibilibus peracta, quando facta sit, non nisi ex divino documento constare potest. In Daniele non declaratur ea: neque alibi declarata reperitur, nisi in Apocalypsi, quæ capite X simile juramentum, sed cum libellulo *aperto* habet, & capite XII victoriam Michaëlis & tempus ejus describit. Daniel habet librum obsignatum: apocalypsis libellulum apertum. Danielem in hac parte, Apocalypsi non adhibita, non possumus interpretari: adhibita apocalypsi, illum recludi sentiemus.

§ VII. Initium *Non-chroni* in juramento apocalyptico non erat tum, quum Iohannes in Patmo esset, sed eo tempore, quod in serie Apocalypseos per antecedentia & consequentia definitur. Pari modo initium periodi apud Danielem non est anno tertio Cyri, quum visio ei obtigit, sed, ex ordine eventuum,

tuum, anno ultimo Antiochi Epiphanis, cujus deceſſum deſcribit c. XI. 45.

§ VIII. Anno 165 ante Æ. D. erat ἀρχὴ ἐλέους novum *miſerationum initium*. 2 Macc. VIII. 27. Reſtitutum eſt ſanctuarium, & circa illud ipſum tempus miſere periit Antiochus. nam obitus quidem ejus Anno 149 regni Græcorum ponitur in 1 Macc. VI. 16. qui annus cœpit menſe Martio anno 164 ante Æ. D. ſed documenta in 2 Macc. eum aliquanto prius obiiſſe teſtantur. namque poſt obitum Antiochi Epiphanis Anno 148 Seleucidarum, qui annus cœpit A. 165 ante Æ. D. menſe Septembri, Antiochus Eupator d. 15 menſis Xanthici, & Lyſias d. 24 ejus menſis, qui Xanthicum præceſſit, id eſt, (ut Lalamantius vidit,) Dyſtri, ΔΥΣΤΡΟΥ (quod Græci librarii legerunt ΔΙΟΣΚΟΡ. & porro διὸς κορινθίου· Latini, *Dioſcori*:) ad Iudæos epiſtolas ſcripſerunt. 2 Macc. X. 10 ſſ. XI. 21. 33.

§ IX. Longitudinem periodi bene magnam eſſe, ipſa juramenti gravitas evincit. Res erat per ſtupendas remoras ad lætiſſimum exitum evaſura. Ab Antiochi interiru ad tempora noviſſima pertingit.

§ X. Memoratur

	Dan XII. 1.	Ap. XII. 7.
Michaelis pugna:		
Anguſtia ingens:	ibid.	12.
Liber vitæ, & qui in eo ſcripti ſunt vel non ſcripti.	ibid.	XIII. 8.
Multi expergiſcentes.	v. 2.	XX. 4.
Iuramentum ipſum.	v. 7.	X. 6.

Apud Danielem ſummatim attinguntur, quæ in Apocalypſi uberius pertractantur. Apud illum, ſunt *mirabilia*: in hac, *myſterium*. Tempus Meſſiæ abunde declaratum erat Dan. IX. itaque id ipſum nunc præſupponit & tranſilit ſermo angelicus.

§ XI. Vis juramenti in utraque prophetia non ſuper rem ipſam cadit, jam antea teſtatam; ſed ſuper

tempus.

tempus. Et quidem apud Danielem quæstio de *tempore* est, cui juramentum respondet.

§ XII. Alia meta est apud Danielem; alia in Apocalypsi. Alias in Apocalypsi frustra juraret Angelus iterum. Meta apud Danielem est prior, quam meta in Apocalypsi. Ex eadem causa.

§. XIII. Apud Danielem meta periodi est in cœlo: ideo ibi vir linteatus, cum duobus aliis *cœlitibus* colloquitus, *utraque manu* in *cœlum* sublata, gestu plane singulari, juravit: in Apocalypsi meta non-chroni est in mari & terra, ideo angelus una tantummodo manu in cœlum sublata jurat, & alteram manum Iohanni præbet, pedemque dextrum in mari ponit, sinistrum in terra. Prius juramentum de consummatione in cœlo non excludit ulteriorem moram in terra: & revera inter utramque metam intervallum non breve est.

§ XIV. Michaelis pugnam & Draconis cladem continuo excipit væ tertium in terra A. 947. Itaque *tempus*, *tempora & dimidium*, ab A. 165 ante Æ. D. currente ad A. D. 947 currentem sunt anni 1111, an Chronus potius, annorum $1111\frac{1}{9}$. Id est duplum hebdomadum LXX, quæ sunt anni $555\frac{5}{9}$.

§ XV. *Tempus* מועד fere *menses* spectat; & habet Chronus 70 *menses* propheticos sive 70 paria hebdomadum annalium, quales sunt Dan. IX. Hinc talis nascitur divisio:

Tempus:	menses	próph. hebd.	annales:	anni commun.
1.	20.	40.	317	$\frac{29}{63}$
2.	40.	80.	634	$\frac{58}{63}$
$\frac{1}{2}$.	10.	20.	158	$\frac{46}{63}$
Conjunctim, anni			1111	$\frac{1}{9}$, hebdomades dierum, 57975, præcise.

§ XVI. Illustre hinc effulget antitheton: Apud Danielem est Chronus, in Apocalypsi, Non-chronus, ut in Apocalypsi angelus hoc dicat: Mysterium

prophetis, speciatim Danieli, evangelizatum, *tempus, tempora & dimidium*, sive *chronum* importat, usque ad victoriam Michaelis: verum a praesenti juramento non erit *chronus*, sed paulo minus, dum mysterium penitus consummetur, etiam in terra. Ante exitum periodi apud Danielem, incipit Non-chronus apocalypticus: sic ante complementum juramenti prioris juratur alterum. Neutrum frustra est.

§ XVII. Sub væ tertio est dispersio populi sancti: & væ tertium habet *tempus paucum*, quo elapso fit consummatio in terra. Adde chronum & tempus paucum, sive annos $1111\frac{1}{9}$ & $888\frac{8}{9}$: habes annos 2000 praecise, ab interitu Antiochi ad interitum bestiae, cujus typus erat Antiochus.

§ XVIII. Dices: *Tempus, tempora & dimidium temporis*, Dan. VII. 25. *anguste sumsisti: nunc eandem periodum tantopere extendis.* Resp. Non urgebo differentiam verbi chaldaici עדן cap. VII, & hebraici מועד cap. XII. sed certe utrumque vocabulum generale est. Menses 42, Ap XI. 2, & XIII. 5, duplici notione ponunrur: cur non etiam *tempus, tempora & dimidium* duplici notione poni possint? Imo ita accipi debent. nam cap. VII brevem esse periodum, c. XII longam, utrinque ex contextu evicimus. Intermediae inter utramque periodum longitudinis est *tempus, tempora & dimidium temporis*, Ap. XII. 14.

§. XIX. Sequuntur dies 1290 & 1335. A tempore, quum removetur luge, & ponitur abominatio desolationis, sunt dies 1290. Beatus qui attingit dies 1335. v. 11. 12. * Utroque versu generis

* *Dies 1335 sunt & manent dies* beati, *atque ad novissima tempora pertinent.* Weltalt. p. 199.

Dan. XII. 12. Aschre *quidem substantivum est, habet vero, uti semper, vim adjectivi.* beatitudo exspectantis, & beatus exspectans *annum idemque dicit.* laggia, *notat*, attinget, *nempe inchoan-*

ris ejusdem utique sunt dies, nec ii quidem communes, ut finis eorum ab initio longe remotus nos supra docuit; sed prophetici, quanquam diversam a die prophetico apocalyptico longitudinem habent.

§. XX. Versu 12 dies 1335 sunt 1000. anni, ut videbimus; unde talis oritur progressio:

dies Dan.	anni comm.	dies comm.
1	$\frac{200}{267}$	sive $273\frac{105}{178}$.
$59\frac{1}{3}$	$44\frac{4}{9}$	sive 2319 hebd. dier.

quo pacto dies Danielitici cum temporibus supra notatis confluunt.

178	$133\frac{1}{3}$	= 6957 hebd. dier.
267	200.	& sic deinceps.
445	$333\frac{1}{3}$	
$1483\frac{1}{3}$	$1111\frac{1}{9}$	&c.

§ XXI. E converso,

		anni
Dies:	1000:	$749\frac{85}{133}$
	200:	$149\frac{108}{133}$
	90:	$67\frac{55}{133}$
Summa:	1290, versu 11:	$966\frac{100}{133}\left\lfloor\frac{26}{89}\right.$.
Item:	1000:	$749\frac{85}{133}$
	300:	$224\frac{96}{133}$
	35:	$26\frac{29}{133}$
Summa:	1335, versu 12:	1000.

choantes 1335 dies, *ut* tempus beatum. Ehrenr. p. 199.

Ab una hora Bestiæ, regno decem cornuum auctæ (Apoc. XVII. 12), *elapsa* residuum intervallum *usque ad interitum bestiæ sunt dies 335, iique communes. Hos sequuntur continuo dies 1335 prophetici Danielitici* (*quos* mille annos *esse docet* Ordo Temp. h. l.) *qui promittuntur Dan. XII. 12 ut dies 1335 communes, miseri*, exspectationis, *sustentationis*, *subaudiantur*; *& dies 1335 prophetici*, *beati*, attingendi, *extrimantur*. *Verba*, qui exspectat, & attinget, dies, mille, *magnam ab accentibus vim habent*. Gnom. ed. I. p. 1185, ed. II. p. 1317.

§ XXII. Iuge remotum est A. 168 ante Æ. D. d. 15 Casleu sive d. 17. nov. inde per annos 966 & dies 107 pervenitur ad A. Dion. 800 d. 9. martii. Ei certe anno annique parti *Iuramentum* angeli Ap. X. convenit. Quod antea obsignatum erat usque ad tempus finis, tum cœpit esse apertum. Ap. X. Tum cœpere multi reges, instaurato imperio occidentis. Carolus & Aaron Rasjid erant concordes. De Hierosolymis vid. Osiand. H. E. & Calvis. chron.

§ XXIII. Tempora 1. 2. $\frac{1}{2}$. & dies 1290 hæc tabella exhibet.

A. Iuge remotum. A. 168 ante Æ. D.
B. Encœnia: Antiochus rejectus. 165.
C. Libellus apertus: Nonchronus juramento firmatus: Reges multi. A. D. 800.
D. Michaelis pugna: Consummatio mysterii in cœlo. Initium pauci temporis: sive annorum $888\frac{8}{9}$. A. D. 947.
E. Interitus bestiæ. 1836.

Ab A ad C. sunt dies 1290, sive anni $966\frac{26}{89}$.
a B ad D, tempus 1. 2. $\frac{1}{2}$. sive anni $1111\frac{1}{9}$.
a B, interjecto D, ad E, 2000.
a C ad E, non-chronus, id est, plus quam 1000 anni, sed minus quam $1111\frac{1}{9}$.

§ XXIV. Versu 12 laudatur *beatitudo* novissimi temporis, non alia, atque ea, quæ Ap. XX. 6 describitur. Vtrinque dicitur: *beatus*. Dies 1335 apud Danielem, obsignati, sunt mille anni, aperti, in Apocalypsi. Mille anni, ut ad periodos apocalypticas, sic ad Danieliticas resolvendas faciunt.

CAP.

Cap. XI.

ÆTAS MVNDI MODESTE DEFNITIA.

§ I.

Perquam moderate I. E. Gerhardus: *Haut quaquam omne illorum*, inquit, *reprehendendum ſtudium eſſe, cum Theologis orthodoxis ſentio, qui & in annum, in quem annorum dierumque a Prophetis, Daniele atque Ezechiele, ut & Iohanne Apoſtolo prædictorum finis incidat, pie modeſteque inquiſiverunt.* in Dedic. diſpp. Ioh. Gerh.

II. Eorum annorum ſumma eandem analogiam, quam partes ejus inter ſe habere oſtendimus, multo magis ipſa cum partibus utique ſuis aſſequetur, ut conſtet annis, ſi placet, 6000, vel $6111\frac{1}{9}$ &c. vel 7000 &c. vel $7666\frac{6}{9}$, vel $7777\frac{7}{9}$, vel $7888\frac{8}{9}$ &c.

III. Longiorem eam eſſe annis $7666\frac{6}{9}$, & breviorem annis $7888\frac{8}{9}$, hæc evincunt:

1. *Spatium aliquod ſupereſt, donec ab hodierno die ad caput XX Apocalypſeos pervenitur.*

2. *Tum incipiet captivitas Satanæ, eaque habebit mille annos.*

3. *Vbi millennium Satanæ ligati deſinit, ibi millennium regni ſanctorum incipit.*

4. *Millennio regni ſanctorum conſummato, protinus reſurrectio ceterorum mortuorum, adeoque finis mundi erit.*

[Magna dices hæc poſtulata: ſed in Exegeſi Apocalypſeos, Germanica præſertim, ſatis ea, ut ſpero, confirmantur.]

5. *Mundus non perveniet ad annos* 7880.

Ante paſſionem Chriſti non pauciores certe annos ſtetit mundus, quam ſtat poſtea: at a creatione ad *paſſionem* erant anni 3972, cujus numeri duplum eſt 7944. Et de hac ipſa ſumma aliquid de-

cedit. nam ne ante nativitatem Christi quidem pauciores annos stetit mundus, quam stat postea. *Manifestatio* quippe ejus in carne, passionem pro fine habens, facta est in consummatione seculorum: at natus est anno mundi 3940 ineunte: cujus numeri duplum est 7880. Ergo mundus non perveniet ad annos 7880. Hebr IX. 26. 1 Petr. I. 20.

6. *Mundus non durabit minus quam 7692 annos.*

Ab Adamo ad epocham Dionysianam elapsi sunt anni 3942. & æra Dionysiana hodie habet plus annos 1750. & ab hodierno die residui sunt anni 2000 & ultra, ut patet ex n. 1. sqq. summa 7692 anni & ultra.

7. *Mundi duratio vertitur inter annos 7692 & 7880, adeoque finis cadit inter annum Æræ Dion. 3750 & 3938.*

Patet ex n. 5. & 6.

8. *Pulcre contrahitur hæc indago per rationes periodorum, quæ hodie sunt in cursu.*

Primum *Non-chronus*, deinde *paucum tempus*, tum *tempus* 1. 2. $\frac{1}{2}$, postremo *menses* 42 bestiæ sive numerus ejus, incipiunt: & de his periodis, paulo post quartæ finem, tres primæ finem habent unum. Porro *Non-chronus*, qui longior est annis 1000, & brevior annis $1111\frac{1}{9}$ cœpit Anno 800. Exit igitur inter A. 1800 & 1912. Post væ secundum, quod circ A. 845 abiit, tertium væ *celeriter* venit; & hoc habet *paucum tempus* sive annos $888\frac{8}{9}$, qui per hos calculos jam exire potuerunt, neque ab exitu longe abesse possunt. Mulier alas aquilæ magnæ nacta est ante ascensum bestiæ ex mari, qui factus est ante exitum seculi XI, & mulieris *Tempus* 1. 2. $\frac{1}{2}$. sunt anni $777\frac{7}{9}$, quos exire oportet *ante annum 1877*. Menses bestiæ, & numerus ejus, sive anni $666\frac{6}{9}$ cœpere circa medium seculi XII, & exibunt circa annum 1817, bre-

brevique *post* intervallo delebuntur hostes. Illarum igitur periodorum exitus est *aliquanto post Annum 1817, & aliquanto ante Annum 1877.* hoc est, inter annum mundi 5759 & 5819. Additis annis illis 2000, summa in angustiores redacta terminos versatur inter 7759 & 7819.

IV. Peraccommodata sunt ad hunc locum, quæ differit Vitringa. *Sed forte sic in longum nimis protenditur spes magna de illustri* adventu Domini *ad plenissimam suorum ἀπολύτρωσιν* & universale judicium, *ipsi a Patre commissum! Fateor certe longius differri, quam sibi vulgus hominum in Ecclesia Christiana futurum esse persuadet. Et ipse quoque ego hac de re nonnisi trepide scribo; etiamsi in clara veritatis luce minus esse videatur, quod metuam.* Amo apparitionem Domini Iesu, *nec* peto moram finis, *sperans*, me misericordiam inventurum in die illo: *Fidei tamen & prudentiæ esse existimo, spatium dare Deo opus suum in his terris consummandi, antequam claudat sæcula; & nobis* imperiose non vindicare arbitrium constituendorum temporum Mundi & Ecclesiæ; *quod solius Dei esse nos docuit Dominus. Opus enim, quod Deus in his terris exhibere decrevit, & cujus exhibendi causa sæcula condidit, est magnum*, mirabile, paradoxum; *quod nostri officii est non ex animi nostri parvitate, sed Divina majestate, magnitudine, & consiliorum ejus vastitate ac profunditate metiri.* Hæc ille, & plura, in Anacrisi Apoc. p. 847 seq.

V. Maria, Dominum magnificans, multas *generationes* supereſſe innuit Luc. I. 48. neque heredis pueritia, tutelæ subjecta, tam longa est, quam ætas virilis. Gal. IV. 1 seqq.

VI. Quicquid dictorum ex N. T. *de propinquo fine mundi* profertur, eos non ferit, qui non multo longiora, sed tamen aliquanto longiora agnoscunt tempora V. T. quam Novi. Totum aliquod Scriptura solet describere per duas partes, *initium & finem.* 1 Sam. III. 12. Igitur elapsa dimidia parte annorum mun-

mundi, finis esse cœpit. Qui sub Petri & Pauli tempora vixerunt, Dictorum illorum intuitu putassent, ad hæc tempora, in quibus nos vivimus, mundum non mansurum, præsertim cum tanta etiamnum residua exspectatione: & tamen opinionem illam res ipsa refellit. Atque apud Paulum & in Apocalypsi, quæ rerum finem non proximum inferebant, eadem adhuc inferunt.

VII. Dices: *Tametsi ita est, tamen istud non oportet propalari, ne empactæ abutantur ad petulantiam, alii ad securitatem.* Respondeo: Ante Apocalypsin datam nemo sane credentium putasset, adventum Domini ad mille annos & ultra dilatum iri: sed postea omnes, qui Iohannem IESV Christi servum agnoscebant, id oportuit credere. num id securitati causam dedit? Ante diluvium dati sunt homini anni centum & viginti; non ad socordiam, sed ad resipiscentiam. Veritas magis magisque in apertum enititur: ea mundo in testimonium est proponenda. Luc. XII. 2. 3. 2 Cor. III. 12. 13. Ratiocinationes humanæ divino consilio non sunt opponendæ: cœlum altius terra est. Ies. LV. 8. 9. Iustus manet justus, etiamsi multa secula sibi in mundo sciret esse permanendum: improbus manet improbus, sæpe in extremum usque spiritum. Modestam, ex vaticiniis eorumque complemento desumtam, determinationem temporis adventûs Christi non debet reprimere timor abusûs. *Noli obsignare: injustus injuste agat amplius, & sordidus sordide.* Apoc. XXII. 10. 11.

VIII. Plerique chronologi præteritos mundi annos nimis multos statuunt, & iis ignoscitur, dummodo textum Hebraicum sequantur: qui autem futuros etiamnum annos tuentur vulgi opinione plures, ii valde reprehendi solent. Atqui periculosius est, decurtare futuros annos, contra veritatem, quam extendere. nam qui decurtant; empæctis, exitu non respondente, ansam præbent, & res in prophetia

phetia prædictas excludunt. Eosdem annos extendere, iis tantummodo olim noxium esse poterit, qui id in securitatem verterint, ut dies ille repente ipsos opprimat. Veritas tenenda est : ea ipsa abusui medetur.

IX. Nonnulli primos *sex*, nonnulli *septem* primos dies mundi pro typo *sex septemve* millenniorum mundi habent. reputare debebant etiam vigiliam nocturnam, quæ appenditur in Psalmo XC. 4. Vt ad diem se habent anni 1000, sic *ad diem cum vigilia* se habet Chronus, & ad talem hebdomadem septem Chroni, quanquam mihi nulla ratio occurrit, qua primus dies cum primo millennio aut chrono, septimus cum septimo, intermedii cum intermediis, singulatim conferantur.

X. Notanda etiam venit astrologorum vanitas. *Diluvium* ii ponunt in trigono *igneo:* & finem sive *conflagrationem* mundi vera chronologia differt in trigonum, quem *aqueum* appellant. certe pro *igneo* deberent dicere *aqueum*, & pro *aqueo igneum* : quo vel uno corruit, quicquid huic nomenclaturæ partium cœli ab elementis desumtæ superstruunt.

XI. Summa annorum mundi versatur inter 7759 & 7819. Ex omnibus igitur articulis, quos § II proposuimus, unus tantummodo supereſt: $7777\frac{7}{9}$.

XII. Hic demum & ipsa sua figura *meros* septenarios exprimente animum nostrum illico percellit, & in partes suas resolutus, præ aliis articulis similiter figuratis, inter quos interjacet, adeoque præ ceteris omnibus, multiplicem septenarium exhibet, ut postea videbimus.

XIII. Linea chronologica a Genesi ad Apocalypsin usque deducta immotam totius Scripturæ veritatem omnibus vel Novi vel V. T. adversariis firmissime demonstrat. Sine Apocalypsi, ut diximus, Daniel præsertim quod ad tempora attinet, solvi non

potest:

potest: obsignatus est, obsignatus per se manet. Per Apocalypsin solvitur. Tempora, quæ in historia V. T. occurrunt, per se sunt quiddam incompletum in fine: N. T. tempora, initio quiddam incompletum habent. Se mutuo complent. Vna catena aurea confit, in qua omnes articuli cohærent ac respondent. V. T. non sine N. T. & N. T. non sine V. T. summam temporum mundi conficit. Altera pars alteram egregie confirmat: & tota confirmatio omnes infideles, confirmatio temporum ex N. T. Iudæos convincit. Vnum Scriptura instrumentum. omnes libri ejus unum corpus constituunt. Singuli libri totum quiddam sunt, & particularis scopi quisque sui rationes exhauriunt: conjunctim, unus liber est, ex partibus illis resultans, scopum universum habens multo ampliorem. Tempora, quæ Moses primus in eremo, novissimus Iohannes in Patmo, inter utrumque alii homines sancti, tot seculorum intervallo, sparsim & paullatim notarunt, non potuere consilio humano adornari: unus est Intellectus, omnia comprehendens, infinitus, divinus, a quo proficiscuntur, qui præterita, præsentia & futura exacte in numerato habet. SCRIPTVRA, DEI LIBER EST. Si tamen hæc omnia minus movent empæctas, credentibus certe nutrimentum præbent sanctæ admirationis & lætitiæ. *

XIV.

---

* *Tota* Linea chronologica *vi eorum, quæ im Weltalt. dicta sunt in præcipuis suis articulis hæc est: Anno 771 Per. Iul. 14 diebus ante æquinoctium autumnale: Primus dies mundi, mensis, adeoque anni & hebdomadis.*

Sexto die: creatio hominis.

Annis Mundi

130. Seth nascitur.

1946. Abraham nascitur.

2016. Promissio ei datur.

2046.

XIV. Dimidio menſe ante æquinoctium autumnale conditum eſſe mundum, vidimus pag. 23 ſeq. Inde anni $7777\frac{7}{9}$ decurrunt circa ſolſtitium, menſe Iunio: qua anni tempeſtate Ieruſalem per Chaldæos capta

---

2046. Iſaac naſcitur.

2446. Exitus ex Ægypto.

2458. atque ante & poſt: ambulatio in deſerto.

2486. Ingreſſus in terram Canaan.

2492. Diſtributio terræ.

2758. Iephta.

2882. David, Rex.

2922. Salomo.

2962. Roboam.

3316. Annus 13 Ioſiæ, & annus I Ieremiæ.

3338. Annus I Nebucadnezaris. Initium 70 annorum, quibus dominatur Babel: Iuda & gentes ſerviunt.

3345. Initium Captivitatis.

3356. Vaſtatio Hieroſolymæ.

3382. Evilmerodach in gratiam recipit Iechoniam, die 27 menſis 12.

3408. Annus I Cyri.

3422. Annus I Darii.

$3777\frac{7}{9}$ — $3888\frac{8}{9}$ — 4000. Medium annorum (mundi.)

3940. Chriſtus naſcitur.

3943, 3944. annus I Æræ Dionyſianæ.

3970: Dion. 27. Incipit Iohannes: Chriſtus baptizatur.

28. Paſcha, Ioh. II.

29. Paſcha Ioh. VI.

30. Æt. Chr. 33. Chriſti mors & reſurrectio.

3980. 37. Receptio gentium Act. X.

5000. Initium $3\frac{1}{2}$ temporum, vel annorum $777\frac{7}{9}$ Ap. XII.

$5777\frac{7}{9}$. Initium duarum periodorum Apoc. XX.

$7777\frac{7}{9}$. Finis.

Summa.

capta est. Igitur finis homines opprimet in æstate, in medio fervore plantandi, ædificandi &c. conf. Luc. XVII. 28. Messis, parabolice, est consummatio seculi: Matth. XIII. 39. & vicissim consummatio seculi erit in messe proprie dicta, ad quam sæpe alluditur in sermonibus de fine mundi.

XV.

Summatim probatur.

1. *A principio ad A. 2046, anni patrum* certam summam præbent. *Apud* Semum *vero 2 anni, apud* Tharah *60 anni, & apud* Abrahamum *5 anni, adhuc identidem, auctore* Vsserio, *sine caussa adjiciuntur. Hi 67 anni si tandem demerentur: omnes ii, qui nullos novos errores admittunt, in primis mundi temporibus, adeoque in tota chronologia a creatione ad nostram usque ætatem, opinione propius convenirent.*
2. *A principio ad 3382 respondet dies mensis.* Cycl. §. 87.
3. *Ab A. 2046 ad 2446 sunt 400 anni Gen. XV. 13. adeoque ab A. 2446 retro ad 2016 sunt anni 430. Exod. XII. 40. Gal. III. 17.*
4. *Ab A. 2046 rursum ad 2492 sunt anni illi quasi 450. Act. XIII. 20. vi antiquæ lectionis.*
5. *Ab A. 2446 ad 2926* (*ann.* 5. Salomonis) *sunt 480 anni 1 Reg. VI. 1.*
6. *Ab A. 2458 ad 2758 sunt 300 anni Iud. XI. 26.*
7. *Ab A. 2966* (*anno* 4. Roboami) *ad 3356 sunt 390 anni Ezech. IV. 5.*
8. *Ab A. 3316 ad 3356 sunt anni 40. Ez. IV. 6.*
9. *Ab A. 3338 ad 3408 sunt 70 anni Ier. XXV. 11.*
10. *Ab A. 3356 ad 3426 sunt 70 anni Zach. VII. 1. 5.*
11. *Ab A. 3424.* (*in quem annus* 2 Darii *incurrit*) *ad 3980 sunt* $555\frac{5}{9}$. *Hæ sunt 70 hebdomades.*
12. *Cursus* æræ Dionysianæ *nulli expositus est dubitationi.*
13. *Summa ætatis mundi plus infert quam* $7660\frac{6}{9}$, *& minus quam* $7888\frac{8}{9}$: *inter utrumque numerum illa commode reducitur ad* $7777\frac{7}{9}$.
14. *Hæc omnia in extenso demonstrata vide in* O. T. *&* Weltalter, *hujusque præsertim c. VI.*

XV. Ita propinquus est dies novissimus, ut multas res magnas antea evenire necessum sit. Quare ipsum diem illum per se jam investigare, perperi hominis esset. Olim, quum omnia, quæ diem illum præcedere debent, ad completionem tendent, quid amor erga Salvatorem cum ardentissimo desiderio conjunctus apud sanctos perpaucos effecturus sit, ipsi viderint. Interea quum & *principium* mundi conditi & *duratio* ejus ex scriptura sacra emicat, *finis* ejus vel invitis nobis oculos nostros ferit. Neque tamen dico, annis $7777\frac{7}{9}$ a primo die mundi elapsis, finem fore, ita, ut nil horarum, dierum, hebdomadum, aut accedere possit aut decedere: sed tantummodo hanc longitudinem statuo esse basin considerationis temporum, quæ in Scriptura proponuntur, ita, ut primus dies sit feria 1 ineunte: medius, elapsis annis $3888\frac{8}{9}$, & residuis annis $3888\frac{8}{9}$., sit feria 4 mane: novissimus, die sabbati elapso. Architectus, quum oppidum, castellum, palatium exstruendum designat, unum quoddam centrum necessario figit, ex quo omnis circumferentia per partes intimas & extimas determinatur; & tamen modo hic modo illic, reductiora aliqua vel productiora facit. Sic septenarius in diebus, in annis, in seculis, in temporibus, in chronis, locum habere potest: nec tamen analogia calculorum de fine nos certum habere cogit. Si hodie exiret annus mundi 7777, & hodie exitum illum esse sciremus, propius sane abessemus ab exitu, & nos ab exitu illo prope abesse sciremus: nec tamen existimare fas esset nobis, mundum non posse vel ultra $\frac{7}{9}$ anni manere, vel citius præterire. *Temerarium equidem diei novissimi intuitum non solum aperta protestatione, sed etiam intima animæ meæ religione ab oculis meis removeo, & ab oculis omnium, qui per fidem ambulant, remotum esse cupio.* Sed tamen, quicquid convelatum est, revelabitur: & quicquid absconditum est, cognoscetur, ad Dei gloriam.

CAP. XII.

VARIA DIVISIO AETATIS MVNDI PER SEPTENARIVM, CVM ROTVNDITATE CONCINNA CONIVNCTVM.

SECTIO I.

DIVISIO IN PARTES MAIORES.

§ I.

Apposite Ambrosius in Luc. ad illud, *Si septies: An vero*, inquit, *quia cum septimo die requievit Deus ab omnibus operibus suis, post HEBDOMADAM ISTIVS MVNDI quies nobis diuturna promittitur, ut quemadmodum mala istius mundi feriata cessabunt, ita etiam vindictæ severitas conquiescat? Sabbatum autem non solum dierum, sed etiam mensium est. Et ideo septimi mensis decima die sabbata sabbatorum. Nec solum mensium, sed ANNORVM quoque: nec annorum tantummodo, sed etiam generationum: postremo IPSIVS MVNDI, cujus typus est sabbatum magnum, sicut in lege est hebdomada septima, post quam celebratur annus jubilæus.* Atque Augustinus: *Quod post septuaginta annos secundum Hieremiæ prophetiam reditur ex captivitate & templum renovatur: quis fidelis Christi non intelligat, post evoluta tempora, quæ septenarii dierum numeri repetitione transcurrunt, etiam nobis, id est, ecclesiæ Dei, ad illam cœlestem Hierusalem, ex hujus seculi peregrinatione redeundum?* l. 12. c. Faustum, c. 36.

II. Hoc ad summam annorum $7777\frac{7}{9}$ convenienter applicatur. Hæc enim in partes resoluta, *septenarium*, eumque cum versatili *rotunditate*, si quis eam quoque requirit, affatim complicatum, mirabili varietate refert.

III. Ipsa summa ex manifesto componitur *septenario* Chronorum, & singuli Chroni continent partes

tes *septenas* intermediæ magnitudinis, ex quibus rursum partes *septenæ* minores existunt. Quotiescunque jam jam v. gr. *tempora*, imo etiam *tempuscula*, simplicia vel composita, *septuplicia* præsertim, emergent, dierum in iis *hebdomadas* simplices vel compositas, sæpe *quadratas*, contineri memineris.

IV. Habet summa annorum $7777\frac{7}{9}$

A. duas partes æquales, quarum utraque complectitur annos $3888\frac{8}{9}$, sive semitempora secularia quinquies *SEPTEM*.

B. *temporum* (*καιρῶν*) *hebdomadas* quinque, per hos annorum gradus:

α. in quovis tempore.	β. in quavis temp. hebd.
1. $222\frac{2}{9}$.	1. $1555\frac{5}{9}$.
2. $444\frac{4}{9}$.	2. $3111\frac{1}{9}$.
3. $666\frac{6}{9}$.	3. $4666\frac{6}{9}$.
4. $888\frac{8}{9}$.	4. $6222\frac{2}{9}$.
5. $1111\frac{1}{9}$.	5. $7777\frac{7}{9}$.
6. $1333\frac{3}{9}$.	Quilibet gradus habet
7. $1555\frac{5}{9}$.	
14. $3111\frac{1}{9}$.	
21. $4666\frac{6}{9}$.	
28. $6222\frac{2}{9}$.	
35. $7777\frac{7}{9}$.	

hebdomadas dierum, in quovis tempore, simplices; in quavis hebdomade temporum, quadratas.

C. *SEPTEM* Chronos, per hos annorum gradus.

1 : $1111\frac{1}{9}$.	Quilibet gradus habet *hebdomadas* dierum.
2 : $2222\frac{2}{9}$.	
3 : $3333\frac{3}{9}$.	
4 : $4444\frac{4}{9}$.	
5 : $5555\frac{5}{9}$.	
6 : $6666\frac{6}{9}$.	
7 : $7777\frac{7}{9}$.	

D. Tempuſcula *ſeptupla* 25. per hos annorum gradus.

α. in tempuſculis ipſis:	β. in tempuſculis *ſept.*
1. $44\frac{4}{9}$.	1. $311\frac{1}{9}$.
2. $88\frac{8}{9}$.	2. $622\frac{2}{9}$.
3. $133\frac{3}{9}$.	3. $933\frac{3}{9}$.
4. $177\frac{7}{9}$.	4. $1244\frac{4}{9}$.
5. $222\frac{2}{9}$.	5. $1555\frac{5}{9}$.
6. $266\frac{6}{9}$.	25. $7777\frac{7}{9}$.
7. $311\frac{1}{9}$. &c.	
25. $1111\frac{1}{9}$.	
50. $2222\frac{2}{9}$.	
75. $3333\frac{3}{9}$.	
100. $4444\frac{4}{9}$.	
175. $7777\frac{7}{9}$	

Quilibet gradus habet hebdomadas dierum in quovis tempuſculo ſimplices, in quovis tempuſculo ſeptemplici, quadratas.

E. Semitempora ſecularia SEPTVAGINTA, per hos annorum gradus:

1. $111\frac{1}{9}$.	Quilibet gradus, ut *ſemitempus*, habet *ſemihebdomadas* dierum.
2. $222\frac{2}{9}$.	
3. $333\frac{3}{9}$.	
4. $444\frac{4}{9}$.	
5. $555\frac{5}{9}$.	
6. $666\frac{6}{9}$.	
7. $777\frac{7}{9}$.	
8. $888\frac{8}{9}$.	
9. $999\frac{9}{9}$.	
10. $1111\frac{1}{9}$. &c.	
70. $7777\frac{7}{9}$.	

Hæc diviſio majoris eſt conſiderationis.

ABACVS TEMPORVM

ſive Tabula generalis, annos mundi ad ſecula per progreſſionem in Scriptura oblatam reducens.

PRINCIPIVM.

Chronus:	Temp.	Seculum:	Anni:
		1.	$111\frac{1}{9}$
I		2.	$222\frac{2}{9}$

Chro-

Chronus:	Temp.	Seculum:	Anni:
		3.	$333\frac{3}{9}$
	II.	4.	$444\frac{4}{9}$
		5.	$555\frac{5}{9}$
	III.	6.	$666\frac{6}{9}$
		7.	$777\frac{7}{9}$
	IV.	8.	$888\frac{8}{9}$
		9.	$999\frac{9}{9} = 1000$
I.	V.	10.	$1111\frac{1}{9}$.
		11.	$1222\frac{2}{9}$
	VI.	12.	$1333\frac{3}{9}$
		13.	$1444\frac{4}{9}$
	VII.	14.	$1555\frac{5}{9}$
		15.	$1666\frac{6}{9}$
	VIII.	16.	$1777\frac{7}{9}$
		17.	$1888\frac{8}{9}$
	IX.	18.	$1999\frac{9}{9} = 2000$
		19.	$2111\frac{1}{9}$
II.	X.	20.	$2222\frac{2}{9}$
		21.	$2333\frac{3}{9}$
	XI.	22.	$2444\frac{4}{9}$
		23.	$2555\frac{5}{9}$
	XII.	24.	$2666\frac{6}{9}$
		25.	$2777\frac{7}{9}$
	XIII.	26.	$2888\frac{8}{9}$
		27.	$2999\frac{9}{9} = 3000$
	XIV.	28.	$3111\frac{1}{9}$

Chronus:	Temp.	Seculum:	Anni:	
		29.	$3222\frac{2}{9}$	
III.	XV.	30.	$3333\frac{3}{9}$	
		31.	$3444\frac{4}{9}$	
	XVI.	32.	$3555\frac{5}{9}$	
		33.	$3666\frac{6}{9}$	
	XVII.	34.	$3777\frac{7}{9}$	: ant. Æ. D. 165.
Tempus XVIII. *medium*, ejusque pars al- prite- or; ra:		35.	$3888\frac{8}{9}$	: ante Æ. D. 54.
			MEDIUM.	
		36.	$3999\frac{9}{9} = 4000$.	D. 58.
		37.	$4111\frac{1}{9}$.	Dion. 169.
	XIX.	38.	$4222\frac{2}{9}$.	280.
		39.	$4333\frac{3}{9}$.	392.
IV.	XX.	40.	$4444\frac{4}{9}$:	503.
		41.	$4555\frac{5}{9}$:	614.
	XXI.	42.	$4666\frac{6}{9}$:	725.
		43.	$4777\frac{7}{9}$:	836.
	XXII.	44.	$4888\frac{8}{9}$:	947.
		45.	$4999\frac{9}{9} = 5000$.	D. 1058
	XXIII.	46.	$5111\frac{1}{9}$:	1169.
		47.	$5222\frac{2}{9}$:	1280.
	XXIV.	48.	$5333\frac{3}{9}$:	1392.
		49.	$5444\frac{4}{9}$:	1503.
V.	XXV.	50.	$5555\frac{5}{9}$:	1614.
		51.	$5666\frac{6}{9}$:	1725.
	XXVI.	52.	$5777\frac{7}{9}$:	1836.
		53.	$5888\frac{8}{9}$:	1947.
	XXVII.	54.	$5999\frac{9}{9} = 6000$.	D. 2058

Chro-

Chronus:	Temp.	Seculum:	Anni:
		55.	$6111\frac{1}{9}$
	XXVIII.	56.	$6222\frac{2}{9}$
		57.	$6333\frac{3}{9}$
	XXIX.	58.	$6444\frac{4}{9}$
		59.	$6555\frac{5}{9}$
VI.	XXX.	60.	$6666\frac{6}{9}$
		61.	$6777\frac{7}{9}$
	XXXI.	62.	$6888\frac{8}{9}$
		63.	$6999\frac{9}{9} = 7000.$
	XXXII.	64.	$7111\frac{1}{9}$
		65.	$7222\frac{2}{9}$
	XXXIII.	66.	$7333\frac{3}{9}$
		67.	$7444\frac{4}{9}$
	XXXIV.	68.	$7555\frac{5}{9}$
		69.	$7666\frac{6}{9}$
VII.	XXXV.	70.	$7777\frac{7}{9}$

FINIS.

Obſervationes, ad ſecula.

Sec. I. & ſeqq. Non nulla ſeculorum, major Temporum, maxima chronorum eſt differentia. nam in Chrono I. Adam.
II. Noah.
III. Iſrael.
IV, medio: CHRISTVS effulget.
V. Væ tria.
VI. Gentes non ſeducendæ.
VII. Gog & Magog.

Sec. 1-10. Chronus I. habet patriarchas ab Adam ad Noachum, qui natus est A. M. 1056.

Sec. 11 — 20. Chronus II. habet patriarchas a Noacho ad Iacobum.

Sec. 15. Diluvium, A. M. 1656.

Sec. 19. Abraham vocatur A. M. 2016. Ab hoc tempore specialius incedit historia sacra.

[In articulis seculorum, stamina rerum: revolutiones ipsæ, in progressu.]

Sec. 23. Exodus, A. M. 2446.

Sec. 27. Templum, A. M. 2926.

Sec. 31. Ipso chroni quarti initio, post Iosiæ obitum, fuit initium calamitatum. 2 Reg. XXII. 20.

Sec. 34. Interitus Antiochi.

Sec. 35 & 36. Medium ætatis mundi & medium partium majorum & minorum.

Hîc incidit illustris locus Hab. III. 2, qui ad ordinem temporum magnopere facit*, & ideo copiosius tractandus est.

I.

Verba prophetæ sic habent: *Iehovah*, ut *audivi auditionem tuam, extimui*; *Iehovah*, quod attinet ad *opus tuum, in medio annorum vitam ejus, in medio annorum notam facies: in trepidatione miserationis recordabere.* Sunt qui חיהוה pro verbo accipiant; quod ipsum nobis nihil obstat:

* *Locus Hab. III. 2 non est* principale *chronologiæ meæ* fundamentum. *Si quis interpretationi meæ assentiri potest, ei chronologia mea hinc eximie confirmatur: ast demonstrationem ejus potest quis percipere, etiamsi locum illum non adjungat.* Zeugnis p. 59. *Jam dudum de Messia ejusque tempore hic locus agere existimatus est: & parallelismus plane singularis in Cantico,* magnificat *Luc. I. 54. de* recordatione misericordiæ *vix quicquam aliud admittit.* ibid. p. 60.

ſtat: ſed tamen id חיהו eſſet, Iod ſimplici; at חיהו Iod iterato, nomen eſt, ut confirmat R. Salomo ben Melech, cum ſuffixo הו uti ירהו ibid. v. 10. atque ita demum verbum תוריע accuſativum congruentem habet. Accentus ponitur, uti verſu 8 in ſimili verborum iteratione.

2. Quum juſſus fuiſſet propheta *Programma* quoddam publicare de viſione למועד *ſtatuto tempore* certiſſime ventura, cap. II. 2 ſeq. orationem ſubjunxit, cujus hæc ipſa ſumma eſt: *Iehovah, audivi — recordabere.* Atque hoc infert propheta, ex reſponſo divino cap. II. 3. Scrutati ſunt prophetæ, *in quod aut quale tempus manifeſtaret Spiritus Chriſti.* Id quam diſtinctiſſie factum eſt per Danielem; ſummatim vero etiam antea per Habakkuk: ſic vero per utrumque, ut tempora, illis indicata, demum per Apocalypſin reſolverentur. Hæc certior eſt utriuſque antiqui prophetæ propinquitas, quam illa, quæ in capite de dracone Babylonico memoratur.

3. Textum in quatuor ſententias diſpeſcunt accentus, hoc modo (I) *Iehovah*, ut *audivi auditionem tuam, extimui*; (II) *Iehovah*, quod attinet ad *opus tuum, in medio annorum vitam ejus*, *in medio annorum notam facies*: (III) *in trepidatione*, (IV) *miſerationis recordabere.* Primæ ſententiæ triſtitiam tollit conſolatio ſecundæ: & ad tertiam ſimiliter ſe habet quarta.

4. פעל *Opus* Domini, ſingulari numero, totum, eſt unum: Deut. XXXII. 4. Pſalm XC. 16 XCII. 5. CXI. 3. CXLIII. 5. & hoc præſertim prophetæ loco dicit illud magnum opus ſalutis in Chriſto IEſu, quod hiſtoria evangelica deſcribit, v. gr. a Luc. I. ad Act. XXVIII. *comprehendens*, ut Eſtius ad locum hunc propheticum annotat, *Chriſti incarnationem, paſſionem, reſurrectionem, evangelii prædicationem.* Ipſa tum prophetæ verba diſerte ſunt repetita per Mariam, per Zachariam, per Apoſtolos. Luc. I. 54. 72. Act. XIII. 40 ſ. XV. 18. ubi *recordatio miſericordiæ*, *opus*

Domini ab ævo ipsi notum &c. egregie celebrantur, ipso *Zachariæ* ac potius *Iohannis* nomine *recordationem & gratiam* sonante. Non est incommoda paraphrasis Hieronymi : *Deprecor, Domine, ut, quod promisisti, explices, finitoque tempore reddas Christum tuum: & opus, quod pollicitus es, vivifica, hoc est, tuum, imple promissum. In medio annorum: cum venerit plenitudo temporis, & opere promissa impleveris, monstrabis, vera esse, quæ pollicitus es.* De adventu Salvatoris agi, agnoscit etiam Synopsis Athanasiana. Id Opus & vivum est & notum fit. Non mortuum est opus, ut sunt peccata, neque somnolentum ; sed vivum, sanctique vigoris plenum: & quum vivit ac viget, eodem tempore notum redditur, multo magis quam antea, per evangelium. Et vita est in medio annorum : & promulgatio fit in medio annorum. Qui sint anni, quid sit annorum medium, tanta emphasi bis memoratum, quæritur. *

5 Calvinus accipit de eo, quod captivitas media fuerit inter Abraham & Christum, neque populum delere debuerit. Et sic fere Ioh. Crocius. Lightfootus accipit de medio inter Samuelem & Christum. Plures sententias enumerat Marckius: & ad illas aggregari eæ possunt, quas postea Gebhardus & Kohlreiffius produxerunt.

6. Medium autem annorum accipitur vel cum determinatione ex ipso textu sumta, ut denotet medium annorum operis : vel absolute, de annis mundi. Anni operis non possunt accipi : nam cum initio annorum operis cognitio operis data est. Sunt igitur anni mundi.

7. In V. T. *creatio mundi* sanctis semper ante oculos versabatur. Itaque *principium* est principium die-

* *In* Targum Ionathan בקרב *proprie redditur* בגו, *ubi hæc accedit paraphrasis*: IN MEDIO ANNORVM, quibus dixisti, abs Te renovatum iri mundum, ad vindictam in impios & misericordiam in justos, Zeugnis. p. 60.

dierum & annorum *mundi*: Gen. I. 1. dies unus, secundus &c. est dies unus, secundus mundi &c. ibid. v. 5. &c. *Finis*, est finis dierum: & finis dierum est finis dierum *mundi*. Num. XXIV. 14. Dan. XII. 13. 2 Petr. III. 3. *Dies novissimus* est novissimus dierum *mundi*. Ioh. VI. 39. *Extremum dierum* & *extremum annorum* est extremum dierum & annorum *mundi*. Ez. XXXVIII. 8. 16. Libri chronicorum inscribuntur *Verba dierum*, id est, dierum *mundi*, inde ab *Adam* nominatim usque ad *Cyrum* nominatim. Anni ergo, quorum medium propheta notat, sunt item anni *mundi*.

8. Non sunt explodenda, quæ *Cornelius a Lapide* ad h. l. collegit. *Albertus* medium annorum præcise accipit, *annorum mundi*: sed refert ad liberationem, quæ A. M. 3419 acciderit, id est, a fine migrationis Babylonicæ. In medio trium ætatum sive seculorum mundi adveniſſe Christum, interpretatur Franc. Ge. Venetus t. 3. probl. sect. 4 de Christi adventu, num. 142. nimis laxe accepto tempore. Nonnulli, uti refert S. Vincentius Fererius ep. ad Benedictum, & Adrianus Finus lib. 5. flagelli c. 8. censuerunt, Christum in medio durationis mundi tempore assumsisse carnem. Petrus de Aliaco: *Ita debet esse a Christi die natalitio usque ad finem seculi, quantum est temporis elapsi spatium ab Adamo seu a mundi creatione usque Christi Salvatoris adventum.* Refert Strauchius in Brev. chron. p. 109. Totidem annos mundi ante N. C. ac post, defendit Ant. Zara in anat. ingen. sect. IV. membr. 12. teste Alph. Pandulpho: ac paria V. & N. T. tempora statuit Th. Burnetius, & G. G. Zeltnerus ad h. l.

9. *Incertum* hoc putat Cornelius a Lapide: sed id judicium non debemus morari. Incipit evangelica, secundum Lucam, historia, A. M. 3938. tum enim Zachariæ apparuit Gabriel, quanquam responsum Simeoni, de Christo videndo, multo etiam prius obtigisse, credibile est. Desinunt autem Acta apostolo-

ſtolorum A. M. 4000. Dion. 58. Hæc quomodo in *medium annorum* cadant, videamus.

10. Habet ætas mundi annos $7777\frac{7}{9}$, uti capite XI, non ſine ſobrietate, declarare cœpimus.

11. Medium annorum late patet, ſed paulatim fit contractius. Latiſſime eſt medium de tota ætate mundi in tres partes æquales diviſa, quarum quælibet habet annos $2592\frac{6}{7}$. Ea diviſio exhibet ἀρχὴν, τέλος καὶ μεσότητα χρόνων, *principium*, *finem*, *& medium chronorum* ſive temporum, Sap. VII. 18. & præcipuam quandam *Creationis* factæ & celebratæ, *Redemtionis* promiſſæ & exhibitæ, *Sanctificationis* interpellatæ & peractæ ſeriem complectitur, Gen: XIV. 19. 22. 1 Sam. II. 10. Ez. XXXIX. 29. traditioni Iudaicæ de tribus millenniorum paribus ſurrogandæ. Sic medium annorum eſt ab A. M. $2592\frac{6}{7}$ ad $5185\frac{5}{7}$. Dion. $1242\frac{2}{7}$. Id Medium per ſe eſt memorabile: ſed multis ſeculis cœpit ante orationem Habakkuki, neque a propheta innuitur.

12. *Medius* Chronus, quartus de ſeptem, erat ab A. M $3333\frac{1}{9}$ ad $4444\frac{4}{9}$. Dion. 503. Atque hic medius chronus jam eſt notabilis. Eo enim appropinquante, cecinit propheta: eo incipiente, occidit Ioſias: & ab eo tempore iucubuere Iudæis Chaldæi, (de quibus Hab. I. 6.) Perſæ, Græci, Romani denique, quorum imperium A. D. 476 per Gothos fractum eſt, exeunte Chrono medio. Veruntamen ſpatioſior etiamnum *chronus* eſt, quam ut annos operis divini, de quo propheta loquitur, determinet.

13. Proximum eſt, *Tempus* medium, ſive καιρός. Atque hoc demum mediocrem complectitur annorum numerum, qui Opus ipſum v. gr. utroque Lucæ libro deſcriptum, capiat, nec tamen longe excedat. Tempora mundi ſunt 35, atque horum medium ante ſe habet tempora 17, ipſum eſt tempus 18, & poſt ſe rurſum habet 17 tempora. Fluxit ab A. M. $3777\frac{7}{9}$ ad $3999\frac{8}{9}$ ſive 4000. 14.

14. In hoc tempore & *Ira* & *Miseratio* sese exeruit, divinitus. *Iræ opus*, alienum: *miserationis*, proprium, ut scriptum est Ies. XXVIII. 21, ubi ipsum verbum רגז ut apud Habakkuk רגז exstat. Miserationem ipse Deus exhibet: iræ, subserviunt homines. Atque in illo tempore *perturbatissimæ* fuere res Romanorum inter se, Iudæorum inter se, Romanorum simul & Iudæorum: sed eodem in tempore & viguit *Opus Domini* salutare & notum factum est. Tum & venit Iudæ Schiloh, & sceptrum abiit. Summa capita innuisse satis fuerit:

A. M. 3777$\frac{7}{9}$: ante Æ. Dion. 165. Antiochus Epiphanes Iudæos crudelissime vexat, ut aliquot antehac annos fecerat.
163. Summum sacerdotium indignissime laceratur.
160. Nicanor
156. Bacchides.
150. Templum in Ægypto ab Onia ædificatum.
77. Pharisæi Sadducæos premunt.
63. Hierosolymis, Pompejus:
55. Gabinius:
3888$\frac{8}{9}$: 54. Crassus:
40. Parthi:
37. Herodes, rex.
5. Gabriel apparet Zachariæ.
4. IEsus Christus nascitur.
Æ. D. 8. Iudæa fit provincia.
27. Iohannes prædicat.
28, 29. Annus acceptus.
30. Passio: crux: mors: resurrectio: ascensio: pentecoste: incunabula ecclesiæ christianæ.
54. Nero.
A. M. 4000: 58. Biennium Romæ a Paulo exactum

ctum. Iudaismus per epistolam ad Hebræos dispunctus.

70. Hierosolyma vastata.

Copiosius hæc omnia per annales Vsserius & alii enarrant.

15. Itaque in medium tempus, in medium annorum mundi, ab A. $3777\frac{7}{9}$ ad 4000, cadunt res turbulentissimæ Iudæorum, & item Opus Domini optatum.

16. Dissilit autem id tempus in duas partes æquales, Anno $3888\frac{8}{9}$, & quidem, (si medium quam strictissime quæris, si diem curas,) d. 1 Aug. feria 4, mane, A. 54 ante Æ. D. quem *diem* mundi *centralem* possis dicere. est enim medius in hebdomade, in medio tempore, in medio chrono, in media ætate mundi. *Annus* ipse, cujus item centrum hic dies erat, plenus fuit רגז *commotionis*, Romæ & Hierosolymæ.

17. Eo anno, nil dum novi: sed 50 annis interjectis Gabriel Zachariæ in templo Hierosolymis apparuit: inde intra 34 annos totus Salvatoris cursus peractus, ac rursus interjectis 28 annis Roma testimonio apostolico instructa est.

18. Idem annorum *medium* est conjunctum cum divisione temporum mundi in duas partes *propemodum æquales*, quarum altera Veteri Testamento, altera Novo convenit.

1) Ab initio mundi ad initium N. T. Luc. III. annos 3969, sive hebdomadas 567, sive hebdomadas hebdomadum 81, numeramus. etenim in V. T. *secrsum* annos sabbaticos & jubilæos, solares fuisse, agnoscimus, Sectione sequenti. Sic initium N. T. erat A. Dion. 27. mense Septembri.

2) Tota autem ætas mundi habet annos $7777\frac{7}{9}$, sive hebdomadas $1111\frac{1}{9}$, quarum singularum septima pars est annus $1\frac{1}{9999}$, quæ appendicula, minutissima, in tota mundi ætate non annum importat:

&

& hebdomadibus ita abundantibus respondent hebdomades hebdomadum.

3) Hac ratione si tempora illa V. T. & reliqua N. T. dividas, habet

	hebdomadas hebdomadum:	hebdomadas:	annos:	dies:
V. T.	81.	567.	$3969\frac{3969}{9999}$	$1449792\frac{5\,4\,3}{1\,1\,1\,1}$.
N. T.	$77\frac{5}{7}$.	544.	$3808\frac{3808}{9999}$	$1390982\frac{5\,9\,8}{1\,1\,1\,1}$.
In summ:	$158\frac{5}{7}$.	1111.	$7777\frac{7}{9}$.	2840775.

4) Transitus a V. T. ad N. T. si tempora sic dividas, factus est A. Dion. 28: d. 2 febr. feria 2.

5) Anni solares 3969 a creatione effluxerunt A. Dion. 27. d. 10 Sept. sed appendicula $\frac{3969}{9999}$ importat dies 145. Hi dies 145 fluxere a die 10 Sept. A. D. 27 ad A. D. 28. d. 2. Febr.

6) Iidemque dies haberi possint pro summa aurora Solem orientem proxime præcedente, si cogitandum censeas, Num sub initium eorum Iohannes Baptista prædicare cœperit, & elapsis illis Dominus IEsus vel baptismum, in quo ut Filius Dei ostensus est Israëli, acceperit, vel, post baptismum & post 40 dies in deserto exactos, & post tentatorem repulsum, cœlos & regnum cœlorum discipulis & populo patefecerit. Proxime conveniunt & res ipsæ & loculi temporum: id qui perspicit, vix tenebitur, quin plane conjungat.

19. Si *totum* tempus 18 sive medium de 35 temporibus sumitur, venit Christus in medio annorum, & Ipse, tanquam Lux mundi, in medio annorum positus tempora ante se & post se lumine perfundit. Sin id in *duas partes* dividitur, venit post medium, in fine seculorum. Initium erat usque ad medium mundi diem: & id continuo excepit finis. *

20. Mul-

* *Sæpe scriptura aliquod Totum in duas partes dividit, quæ dicuntur*

20. Multam τῶν αἰώνων *ævorum* mentionem, præsertim in epistolis ingruente millenarii quarti exitu scriptis, Paulus facit. Rom. XVI. 25. Eph. II. 7. III. 9. Col. I. 26. 1 Tim. I. 17. 2 Tim. I. 9. Tit. I. 2. maxime 1 Cor. X. 11, ubi ait, τὰ τέλη τῶν αἰώνων *fines æonum* advenisse. Habet ætas mundi tempora 35, sive chronos $\frac{1}{7}$, sive æonas $3\frac{1}{2}$, in summa: & scribente illa Paulo, 18 tempora erant in exitu, & 17 tempora residua erant. Illa ad hæc se habent, ut $1\frac{8}{10}$ ad $1\frac{7}{10}$. & in summa sunt æones $3\frac{1}{2}$. Quam distinctam de præteritis & futuris mundi temporibus cognitionem habuerint apostoli ante Apocalypsin Iohanni datam, ignoramus: sed certe divinitus ita sunt gubernati, ut indicio postea venturo ipsorum locutiones pulcre congruerent.

21. Itaque medium annorum mundi, & ipsa annorum summa a principio ad finem, inter se respondent.

* * *

Sec. 36. Notabilis exitus *millennii quarti*. Eo ipso anno, qui erat 58 Æ. Dion. desinunt Acta apostolorum: eodemque anno epistola ad Hebræos finem Iudaismo ponit.

A mundo condito annos 4000 numerat
ad stellam Matth II. Iac. Cappellus.
ad N. C. Iac. Vsserius, Matthias Flachsland ab Hauingen, H. Mascampius, Com. Camillus de Sylvestris, & multi alii apud Fabric. in biblioth. antiquar. p. 189
ad baptismum, Beda & alii.
ad pascha Ioh. II. D. A. Q. R. (Rivinus.)

ad

---

cuntur principium & finis 1 *Sam. III.* 12. 1 *Chron. XXIX* (*XXX*), 29. *Vt primum igitur medium ætatis mundi præteriit, id quod restitit, protinus ad finem referebatur.* Zeugnis p. 60.

passionem, G. Perkinsus, I. G. Siegesbeck, Iac. adKoch. sicut ad eundem terminum 6000 annos numerat Paulus Pezron.

Pro tali concinnitate assequenda eo libentius a creatione ad epocham christianam multi annos 3965 circiter vel 3970 numerant.

ad ruinam templi secundi, Ioh. Despagne.
ad apostolatum gentium Act. XIII. Adrichomius.
ad Concilium Act. XV. Lutherus.

Omnibus hisce eventibus suum tempus in vera chronologia assignatur: & ipse millennarius quartus insigni exitu concluditur.

Hoc demum loco potentissime refellit veritas Hebraica tot annos patriarchis in versione Geneseos Græca additos. Certum est ex toto testimonio apostolico, Filium Dei in carne venisse, cum de ætate mundi major pars præteriisset, sed non multo ante. Hæc ratio temporum V. T. collata ad tempora N. T. partim sat longe jam progressa, partim non multo longiora residua, nil loci relinquit Græcis illis additamentis.

Sec. 43. A. Dion. 836. Reformatio ecclesiæ per Ludovicum Pium. Versio Scripturæ Sacræ.

Sec. 44, elapsis annis mundi 4888$\frac{8}{9}$. Incipit væ tertium.

Sec. 45, elapsis annis mundi 5000. Incipiunt tempora $3\frac{1}{2}$ mulieris in deserto.

Sec. 50, elapso chrono V, restant duo chroni, sive æon, in quo prædicatur evangelium *αἰώνιον æternum.*

Sec. 52, A. M. 5777$\frac{7}{9}$. Terminus valde notabilis: antichristi interitus. Inter Antiochi interitum & finem mundi sunt 4 millennia. In medium hoc intervallum cadit interitus bestiæ. 2000 ante annis, A. M. 3777$\frac{7}{9}$, A. 165 ante Æ. Dion. Iudas Maccabæus copias Antiochi fudit; quam

victoriam mox restitutio sanctuarii & Antiochi inreritus est secutus : & 2000 post annis est finis mundi, A. M. $7777\frac{7}{9}$. Antiochus erat typus antichristi : equi albi Sessor, cœlo patefacto, bestiam perimens, edit specimen judicii in omnes impios. *

SECTIO II.

DIVISIO ÆTATIS MVNDI IN PARTES MINVS MAGNAS.

Habet ætas mundi, annorum $7777\frac{7}{9}$: menses apocalyptico-propheticos *septies septuaginta*, 490. nam semitempus habet *septem* ejusmodi menses.

Hebdomadas annales, annorum $7\frac{49}{63}$ (quales in Daniele vidimus,) 980. quæ sunt *hebdomades* ejusmodi *quadratæ* 140, *cubicæ* 20. Binæ respondent singulis mensibus apocalyptico-propheticis.

Hebdomadas annales, annorum	$7\frac{49}{63}\frac{7}{9}$,	1000.
Hebdomadas annales, annorum	$7\frac{7}{99}$,	1100.
Hebdomadas annales, annorum	$7\frac{77}{99}$,	1110.
Hebdomadas annales, annorum	$7\frac{777}{999}$,	1111.
Hebdomadas annales, annorum	7:	$1111\frac{1}{9}$.

DE ANNIS SABBATICIS ET IVBILÆIS.

Veram Summam ac seriem annorum mundi præclare comprobat ratio annorum sabbaticorum, ex quibus jubilæi pendent. Considerabimus.

§ I.

* Paulus 2 *Thess II* 3 *f. dicit, diem Christi ante adventum hominis peccati non venire. non dicit, hominem peccati mansurum usque ad diem Christi.* Zeugnis p. 27. *Apparitio adventus Christi secum fert interitum hominis peccati, huncque hominis peccati interitum voco* anteceſſum, specimen & arrham *interitus omnium impiorum in die novissimo. Simile quiddam legitur* 2 *Petr. II. 6. Iud. v. 7.* Zeugnis p. 28.

§ I. *Anni ſabbatici & jubilæi per Moſen inſtituti ſunt.*

Septimum quemque annum terra Iſraelitis data *feriatum* habere debuit, unde anni *ſabbatici* dicuntur: & ſeptimum quemque ſabbaticum annum excepit annus *jobelæus*, ſive, ut Latina pridem cum Vulgato appellavit eccleſia, *jubilæus*. De ſabbaticis & jubilæis annis agitur Ex. XXIII. 10 ſ. Lev. XXV. 1 ſ. 8 ſ. 20 ſ. Deut. XV. 1. XXXI. 10. Quæcunque anni jubilæi ratio nobis reſultabit, annos ſepties ſeptem in præſenti dicemus *Cyclum ſabbaticum.*

§ II. *Septenarius effulget etiam in annis ab Adamo ad diviſionem terræ Canaan.*

1. Septenarius, primum dierum, deinde annorum, in primævis quoque temporibus frequens eſt: Gen. II. 2. VIII. 10. 12. XXIX. 18. 30. XLI. 29. 30. idemque numerus in ſerie annorum mundi primævi complures format articulos. Ante omnes *ſeptimus* ab Adamo Enochus *ſeptenario* inſignitus eſt. namque tranſlatus eſt anno mundi 987, qui numerus continet ſeptenatios 141.

2. Quæ ſequuntur intervalla, non ejusdem ſunt omnia momenti, ſed tamen minime contemnenda. Seriem capite I repræſentatam reſpice: a tranſlatione Enochi ſunt *hebdomades* 114 ad nativitatem Regu: inde *hebd.* 13 ad nativitatem Tharah: inde *hebd.* 10 ad nativitatem Abraham: inde *hebdomas hebdomadum* ad mortem Nachor: inde *hebd.* 3 ad profectionem Abrahami ex Meſopotamia: inde *hebd.* 10 ad Iſaaci connubium: inde *hebd.* 5 ad Abrahami obitum: inde *totidem* ad Semi obitum: inde *hebd.* 10 ad Iſaaci obitum: inde *hebd.* 20 ad nativitatem Moſis: inde *hebd.* 17. ad mortem Aaron & ad cladem Sihon & Og: inde *hebdomas* ad terram Canaan diviſam.

3. Multis annis ante Adami mortem nati sunt Methusala & Lamech, & tamen iidem multis annis post Semum natum mortui sunt. Itaque Semi obitus non immerito habeatur pro clausula primævi mundi. Habuit tum mundus annos 2156, qui sunt *hebdomades hebdomadum* 44.

4. Anno sabbatico primo, quem in lege præscriptum jam jamque videbimus, a morte Sem elapsi fuerant anni 343, id est, *septem hebdomades hebdomadum*, & a creatione *hebdomades hebdomadum* 51.

§ III. *Anni a divisione terræ Canaan, ad urbem per Romanos vastatam, per septenarium incedunt.*

Tabulam hoc loco proponimus, in qua cyclos sabbaticos transversa linea distinguit. Annis *mundi* adjicimus annos *Per. Iul.* & *ante Æram Dion.* quo commodius alii chronologi conferantur, qui eos annos in sabbaticis & jubilæis explicandis adhibent. Postea amplius explanabitur Tabula & confirmabitur.

TABVLA ANNORVM SABBATICORVM.

Ann. P. I.	a creatione	ante Æ. D.	
3263	2492	1451	*Divisio* terræ: Radix annor. sabb. *
3270	2499	1444.	Decurrit cyclus 51 a creatione, & annus *sabbaticus* 1.

77

* *Quotiescunque numerus æræ Iudaicæ per 7 dividitur, ut nihil sit residui, annus, uti constat, subbaticus habetur. Ea ratio est anni æræ Iudaicæ 5509, qui cum nostris annis 1748, 1749 coincidit. Adeoque* A. Dion. *68. 69 (ad quos retrorsum ab A. 1748 per 1680, hoc est, per septies 240 devenitur) annus apud* Iudæos *erat sabbaticus. Per unumquemque annorum sabbaticorum omnes demonstrantur: atque eruditi habent, quod vigilent, ne error, quo nonnulli chronologi hodie annos sabbaticos uno seriores faciunt, locum inveniat.* Ehrenr. p. 105.

P. I.	a creatione.	ante Æ. D.		
77	2506	37.	Annus sabb. 2.	
84	13	30.	3.	
91	20	23.	4.	
98	27	16.	5.	
3305	34	09.	6.	
12	41	02.	7.	Jubilæus 1.
3319	2548	1395		
26	55	88		
33	62	81		
40	69	74		
47	76	67		
54	83	60		
61	90	53.		Jubilæus 2.
3368	2597	1346		
75	2604	39		
82	11	32		
89	18	25		
96	25	18		
3403	32	11		
10	39	04.		Jubilæus 3.
3417	2646	1297		
24	53	90		
31	60	83		
38	67	76		
45	74	69		
52	81	62		
59	88	55.		Jubilæus 4.
3466	95	1248		
73	2702	41		
80	09	34		
87	16	27		
3594	23	20		
01	30	13		
08	37	06.		Jubilæus 5.

P. I.	a creatione.	ante Æ. D.	
3515	2744	1199	
22	51	92	
29	58	85	
36	65	78	
43	72	71	
50	79	64	
57	86	57.	Jubilæus 6.
3564	2793	1150	
71	2800	43	
78	07	36	
85	14	29	
92	21	22	
99	28	15	
3606	35	08.	Jubilæus 7.
3613	2842	1101	
20	49	1094	
27	56	87	
34	63	80	
41	70	73	
48	77	66	
55	84	59.	Jubilæus 8.
3662	2891	1052	
69	98	45	
76	2905	38	
83	12	31	
90	19	24	
97	26	17	
3704	33	10.	Jubilæus 9. Templum exstructum, dedicatur.

3711

P. I.	a creatione.	ante Æ. D.	
3711	2940	1003	
18	47	996	
25	54	89	
32	61	82	
39	68	75	
46	75	68	
53	82	61.	Jubilæus 10.
3760	2989	954	
67	96	47	
74	3003	40	
81	10	33	
88	17	26	
95	24	19	
3802	31	12.	Jubilæus 11.
3809	3038	905	
16	45	898	
23	52	91	
30	59	84	
37	66	77	
44	73	70	
51	80	63.	Jubilæus 12.
3858	3087	856	
65	94	49	
72	3101	42	
79	08	35	
86	15	28	
93	22	21	
3900	29	14.	Jubilæus 13.

P. I.	a creatione.	ante Æ D.	
3907	3136	807	
14	43	800	
21	50	793	
28	57	86	
35	64	79	
42	71	72	
49	78	65.	Jubilæus 14.
3956	3185	758	
63	92	51	
70	99	44	
77	3206	37	
84	13	30	
91	20	23	
98	27	16.	Jubilæus 15.
4005*	3234	709	
12	41	02	
19	48	695	
26	55	88	
33	62	81	
40	69	74	
47	76	67.	Jubilæus 16.
4054	3283	660	
61	90	53	
68	97	46	
75	3304	39	
82	11	32	
89	18	25	
96	25	18.	Jubilæus 17.

4103

* vid. supra p. 116. *de annis 14. 15. 16. Ezekiae, qui inciderunt inter annos sabbaticos A. M. 3227. & 3234.* Ehrenr. p. 65.

P.I.	a creatione.	ante Æ. D.	
4103	3332	611	
10	39	604	
17	46	597	
24	53	90	
31	60	83	
38	67	76	Jubi-
45	74	69.	læus 18.
4152	3381	562	
59	88	55	
66	95	48	
73	3402	41	
80	09	34	Annus primus post reditum ex captivitate.
87	16	27	
94	23	20.	Jubilæus 19: initium LXX hebdomadum.
4201	3430	513	
08	37	506	
15	44	499	
22	51	92	
29	58	85	
36	65	78	
43	72	71.	Jubilæus 20.
4250	3479	464	: Artaxerxis Longimani annus 1. Initium 62 hebdomadum.
57	86	57	
64	93	50	
71	3500	43	
78	07	36	
85	14	29	
92	21	22.	Jubilæus 21.

P.I.	a creatione.	ante Æ. D.	
4299	3528	415	
4306	35	08	
13	42	01	
20	49	394	
27	56	87	
34	63	80	
41	70	73.	Jubilæus 22.
4348	3577	366	
55	84	59	
62	91	52	
69	98	45	
76	3605	38	
83	12	31	
90	19	24.	Jubilæus 23.
4397	3626	317	
4404	33	10	
11	40	03	
18	47	296	
25	54	89	
32	61	82	
39	68	75.	Jubilæus 24.
4446	3675	268	
53	82	61	
60	89	54	
67	96	47	
74	3703	40	
81	10	33	
88	17	26.	Jubilæus 25.

4495

P. J.	a creatione.	ante Æ. D.		
4495	3724	219		
4502	31	12		
09	38	05		
16	45	198		
23	52	91		
30	59	84		
37	66	77.	Jubilæus 26.	Antiochus Epiphanes.
4544	3773	170		
51	80	63		
58	87	56		
65	94	49		
72	3801	42		
79	08	35		
86	15	28.	Jubilæus 27.	
4593	3822	121		
4600	29	114		
07	36	107		
14	43	100		
21	50	93		
28	57	86		
35	64	79.	Jubilæus 28.	
4642	3871	72		
49	78	65		
56	85	58		
63	92	51		
70	99	44		
77	3906	37		
84	13	30.	Jubilæus 29.	Alexandria capta: regnum IV. Dan. II. VII.

P.I.	a creatione.	ante Æ. D.		
4691	3920	23		
98	27	16		
4705	34	9		
12	41	2		
19	48	Æ. D. 6		
26	55	13	Jubi-	
33	62	20.	læus 30.	
				Initium N. T. Luc. III.
4740	3969	27		
47	76	34		
54	83	41		
61	90	48		
68	97	55		
75	4004	62	Jubi-	
4782	4011	69.	læus 31.	Clades Templi & urbis, A. D. 70.

§ IV. *Annus primus agriculturæ non ſtatim fuit ſub primam de Amoræis victoriam.*

Videri poſſit populus, devicto rege Sihon & Og, initium feciſſe terræ colendæ, & inde annonam habuiſſe: ſed non ita erat. Num. XXXII. 16. 17. Poſt tranſitum demum Iordanis de proventu terræ Canaan ederunt, & tum demum deſiit Manna. Ioſ. V. 11. 12. Terram porro colebant Cananitæ, dum bellum gerebatur: Iſraelitis etiam frumenta, vel in agris, vel in horreis, per eos annos prædæ erant.

§ V. *Annus primus agriculturæ fuit continuo poſt finem belli.*

Deletis Cananæis, mox terram colere neceſſum habuerunt Iſraelitæ. Itaque cum ipſo belli fine conjunctiſſima erat diſtributio terræ, & cum diſtribntione cultura. Ioſ. XI. 23 — XIII. 7 — XIV. 15.

§ VI.

§ VI. *Radix annorum sabbaticorum est annus mundi* 2492. *Per. Iul.* 3263.

1. Cœpit agricultura cum anno mundi 2493, ut supra ostendimus, p. 74. & annus 2492 est Radix annorum sabbaticorum, quosindicat *septenarius* ad 2492 vel 3263 identidem additus. Respice Tabellam, sæpius.

2. Cuilibet anno judaico respondet *initium* anni alicujus juliani, cum majore parte *reliqua*, atque adeo cum messe & æstate, anni subsequentis. *Anni juliani notationem a nobis non ad initium, sed ad progressum & finem anni Iudaici accommodari, monemus.* *

§ VII. *Annus primus sabbaticus decurrebat anno mundi* 2499. *Per. Iul.* 3270.

1. Radix annorum sabbaticorum est annus mundi 2492. P. I. 3263. Adde 7. habes 2499 & 3270.

2. Nonnulli in prima occupatione terræ, ante obitum Mosis, trans Iordanem, radicem figunt talium annorum: alii contra, post 7 annos belli, alteros 7 annos dividendæ terræ statuunt, & tum demum annos agriculturæ numerare incipiunt. Ex illorum sententia annus sabbaticus primus habendus esset Per. Iul. 3263. ex horum placitis, esset 3277. Per utrosque manet ipsa *sabbaticorum* annorum series: sed tamen in medio veritas ambulat, asserta in §§ præced.

§ VIII. *Annus septimus sabbaticus erat anno mundi* 2541 *P. I.* 3312.

Ad eandem Radicem adde 49: habes 2541. habes 3312.

§ IX. *De annis Iubilæis major est disceptatio.*

Quinque formas anni jubilæi ab eruditis propositas enumerat Strauchius lib. II. Brev. chron. c. 4. Iudai-

---

* *A. P. I. 4550. 4578. 4676 ab autumno* sabbatici *identidem* anni *inceperunt, uti evincit* Petavius *in Ration. Temp. Part. II, p.* 51. Weltalt, p. 114.

Iudaicos autem speciatim explanat D. Hofmannus in chronologia sacra, p. 78 seqq. quod ipsum systema præcipue ad Iubilæos, ut Seder olam eos digerit, est accommodatum. p. 37. 40 seqq. Sexta accedit ex L. Kohlreiffii chronologia sacra, c. II. § 3. ubi שנת החמשים שנה censetur esse annus quinquagesimum exactum subsequens.

§ X. *Anni jubilæi erant Per. Iul.* 3313. 3362. *& per eadem intervalla insequentes ceteri.*

1. Speciosa est sententia, quæ annum quemque 49, a primo agriculturæ anno inclusive, pro Iubilæo habet: quo pacto tabula, annos infert Iubilæos P. I. 3312. 3361. 3410. 3459: &c. Sed W. Langius, Ricciolus, Wichmannus, Kochius, ipsum *quinquagesimum* annum, non præcedentem, ita pro jubilæo amplectuntur, ut eundem pro primo anno cycli sequentis habeant: quo pacto eadem tabula annos infert Iubilæos P. I. 3313. 3362. 3411. 3460. &c. Hanc sententiam & veram censeo, & (quum ceteras satis refutarunt alii,) confirmabo.

2. Vti *post* septem hebdomadas erat pentecoste, Lev. XXIII. 16. sic *post* septies septem annos erat annus, a 49 annis expresse distinctus, quinquagesimus. Iisdem verbis pentecoste & annus quinquagesimus apud Mosen describuntur. Neque primum annus quinquagesimus, *qui ceterorum Iubilæorum norma* erat, numerari poterat, nisi exactis 49 annis: nullus enim præcesserat jubilæus, a quo, inclusive, quinquaginta numerari possent. Rursum autem, exactis 49 annis, quinquagesimus continuo erat jubilæus, a septem sabbatis annorum individuus. Lev. XXV. 8 f. Idem vero primus erat annus cycli sabbatici subsequentis. Decurrebat v. gr. annus sabbaticus septimus anno 3312, P. I. Error autem esset, si quis diceret, ob interventum anni quinquagesimi sive jubilæi primum hebdomadis sequentis demum fuisse anno 3314, & sabbaticum

ticum primum cycli novi anno 3320. Verum post annum sabbaticum septimum anno 3312 P. I. primus hebdomadis sequentis mox decurrebat anno 3313 P. I. & sabbaticus primus cycli novi anno 3319.

3. Igitur hebdomadibus annorum hebdomades, etiam in transitu a cyclo ad cyclum, sine interpellatione addi debent. Etenim præceptum de annis sabbaticis antiquius est præcepto de annis jubilæis; Ex. XXIII. 11. neque anni jubilæi sabbaticos deinde mutarunt: Deut. XXXI. 10. & uniformia annorum sabbaticorum intervalla demonstrat historia, apud Iosephum. Annos is *sabbaticos* fuisse testatur, qui nobis in annis mundi sunt 3780. 3808. 3906. Neque alia annorum sabbaticorum & jubilæorum ratio ante urbem per Chaldæos vastatam firmis veterum Hebræorum testimoniis obtinebitur.

4. Dubitationi de victu anni sabbatici, quæ Lev. XXV. 20 s. proponitur, ita respondetur ibidem, ut etiam de jubilæi anni victu promissio fidem faciat.

5. Apud Matthæum Parisiensem valde subtesta est narratio, quæ A. D. 1189 ortum *Iubilæi* judaici collocat. Scriptor ille ignotum suo tempore vocabulum *jubilæi* (nam ante jubilæum a Bonifacio VIII institutum obiit,) improprie posuit, pro anno *remissionis*, id est, pro anno sabbatico, quem Vulgatus annum remissionis interpretatur. Alias in tota historia V. & N. T. judaica nullus reperitur *Iubilæus* notatus: & quos in æra Samaritana aut in æra Iudaica Alphonsus Des-Vignoles jubilæos fuisse autumat, quosve ipse, æræ Judaicæ in ea parte consensum laudans, pro jubilæis habet, eos scriptor Maccabaicus, &, ut mox declarabimus, Iosephus, simpliciter ut *septimos* describunt. De jubilæis nil scimus, nisi quod Moses docet.

§ XI. *Si cui minus certa est anni Iubilæi ratio, annis tamen sabbaticis niti potest.*

1. Anno quovis 49 vel exit annus Iubilæus, vel incipit. Sive illud, sive hoc, quod nobis placet, Lecto-

Lectori placet : ita constructa est Tabula ut anno Iubilæos referat. *

2. Si neque hoc, neque illud, sed quidvis potius Lectori placet, aut si de tota ei re dubium est, certe annus quisque a terræ divisione 49us est etiam *septimus* duntaxat, eoque nomine notabilis.

§ XII. *Anni sabbatici confirmant ordinem temporum.*

1. Nil animo præsumere debemus, neque postulare, ut hæc vel illa temporum periodus eo modo, qui ingenio nostro arridet, conformata sit: quæ autem sua sponte nobis se offerunt, eorum demum concinnitatem fas est amplecti.

2. Multi sua systemata sic adornarunt, ut quilibet annus sabbaticus, ex lege Mosis observatus, esset etiam in annis mundi septimus. Exempli gratia, is annus, quo elapso *initium evangelii* effulsit, anno Dion. 27. adulto est

apud Samaritanos (conf. Kohlreiffii Defens. p. 137.) annus mundi	4466.
apud Iudæos,	3787.
apud Iac. Preielium & alios,	3976.
apud Lydyatum & alios	4032.
apud Florentium Schillingium,	4046.

Omnes hi numeri dividuntur per 7.

3. Nos septenarium in annis ab Adam ad Mosen vidimus § II. Inde § III, in Tabula annorum sabbaticorum post Mosen, ipsa *radix*, & *quilibet annus sabbaticus*, est etiam annus *septimus in annis mundi*, ut numeri

* Relandus *scribit*: „Iudæi, tam Rabbanitæ quam Karæi, putant, annum jubilæum non esse primum novæ schemittæ, sed annum sequentem.„ *Sensus hic est*: annus jubilæum sequens, est primus novæ schemittæ. *Patet hoc ex toto* Relandi *sermone, antiq. p. 492 seqq. atque antea notum est.* Zeugnis p. 103.

numeri 2492. 2499. 2506. &c. per 7 dividantur. Ea progressio annum illum Dion. 27 vero suo loco nobis exhibet, & totus concentus septenarii ante Mosen & post Mosen insigne criterium veritatis ordini temporum confert.

4. Idem Flor. Schillingius annum quemlibet sabbatico priorem fertilitate arbitratur excellere: & talem notat fuisse annum Dion. 1650, quo scribebat, & alios ex ordine illum antegressos. Si solida est observatio *Medici*, ea in nostrum quoque systema, *hebdomadibus* undecim brevius, convenit. nam eosdem, atque ille, hebdomadum annalium annos septimos, sextos &c. habemus. Sed fertilitas anni sexti quiete anni septimi nitebatur: hac sublata, illam nemo præstare potest.

5. Quos chronologi, plerique omnes, sabbaticos post Mosen duntaxat annos statuunt, iidem nobis sunt sabbatici: ut, quicquid illi pro annis sabbaticis ex vero differunt, id nos quoque juvet. v. gr. Alphonsus Des-Vignoles pro 480 annis 1 Reg. VI. 1. statuit annos 648, adeoque addit annos 168. Vicissim de temporibus regum subtrahit annos 21. Itaque in toto suo systemate exasciato ab Exodo ad captivitatem Babylonicam, (ut annos a creatione ad Exodum omittam,) addit annos 147, id est *hebdomadas* 21. Manent igitur anni *sabbatici*.

6. Quibus alii artibus, (sunt enim multæ,) *septenarios* suos exculpserint, non laboramus: nostri certe numeri ex historia sacra & profana, simpliciter, *sine ulla licentia*; collecti sunt.

7. Ad annos sabbaticos Tabula eventus valde insignes *singulatim* habet adjectos, quibus plures adjici poterunt.

8. Iubilæos XVII. plenos fuisse ab ingressu populi in terram Canaan usque ad migrationem Babylonicam, frequens est Iudæorum sententia. Id etiam

in noſtra Tabella verum eſt. Sive annorum 50 cyclos cum Iudæis, ſive 49 annorum ex vero amplectaris, inter Iubilæum XVII & XVIII accidit & Iechoniæ captivitas & templi vaſtatio. Et ſabbatico quidem anno appropinquante captivitas Iechoniæ fuit: ſed ſabbaticum annum ad templi vaſtationem tranſtulere (ne de Chriſtianis dicamus,) Iudæi, ſine idoneo fundamento. Annum illum, qui Ez. XL. 1 notatur, pro Iubilæo arripuerunt: (vid. R. Sal. in Michlal jophi ad h. l.) inde retrorſum numerantes, annum urbis vaſtatæ, 14 ante annis, pro ſabbatico habuere, ſimilitudinem quandam ſectantes cum templo per Romanos proxime ſub annum ſabbaticum vaſtato. Patet hinc, Iudaica de annis ſabbaticis & jubilæis placita non eſſe talia, quibus aut tota chronologia aut pars ejus ulla tuto ſuperſtruatur. Tanta gentis cæcitas eſt, ut in controverſis locis V. T. ſæpe non tam illud, quod ſcribunt, quam contrarium, amplectendum ſit, dum veritas aliunde cognoſcitur.

9. Nunc etiam *intervalla* eventuum, quæ perquam illuſtria reddit annalis hebdomas, notanda veniunt. I) Quemadmodum a creatione ad primum annum ſabbaticum vidimus cyclos 51 (unde quilibet annus ſabbaticus primus cyclos a mundo condito terminat:) ſic ab anno ſabbatico primo ad magnificentiſſimum illud initium N.T. Luc. III. fuere cycli 30. Summa, hebdomades 567, ſive anni 3969, ſepties novem multiplicati per novies ſeptem, (alius dixerit climactericum quadratum:) ſive ſepties ſeptem multiplicati per novies novem, id eſt, *cycli 81.* II) A diſtributione terræ, quæ *propria* annorum ſabbaticorum & jubilæorum radix eſt, ad ſtructuram templi Salomonei conſummatam ſunt novem cycli, quibus tranſactis Dedicatio templi jubilæum aperuit. Interjectis iterum cyclis 22, venit Iubilæus templo & urbi ſub Roma-

Romanis calamitosissimus, a primis agriculturæ, sub Iosua, initiis *unus & trigesimus.*

10. Qui hebdomadas annales ante Mosen non curant, hebdomadas post Mosen seorsum, licet, considerent. Hoc certum est & ratum: a mundo condito ad divisionem terræ, & a divisione terræ ad urbem per Romanos vastatam, primum expressi anni in Scriptura sacra usque ad Evilmerodachum, deinde expediti in historia externa, sua sponte per meras annorum hebdomadas decurrunt ad annos *sabbaticos* extremo tempore V. T. & primo tempore N. T. occurrentes. V. gr. Sabbaticus annus eo decurrebat anno, qui est mundi 3780. P. I. 4551. ut constat ex 1 Macc. VI. 20. 49. 53. & ex Ios. XII. ant. 14. Ergo radix annorum sabbaticorum fuit anno mundi 2492. P. I. 3263. Intervallum est annorum 1288, sive *hebdomadum* 184. Errorem *totius hebdomadis* non fert veritas numerorum in Scriptura sacra & in historia externa: posita autem veritate numeri hebdomadum, ponitur veritas *annorum singulorum.*

* * *

Vidimus in annis sabbaticis & jubilæis septenarium: huic ipsorum annorum septenario respondent *septenarii* partium. Nam habet ætas mundi, annorum $7777\frac{7}{9}$,

Septem myriadas novenarum quæ singulæ sunt $\frac{1}{9}$ anni:

& 77 myriadas novenarum secundarum, quæ singulæ sunt $\frac{1}{99}$ anni:

& 777 myriadas novenarum tertiarum, quæ singulæ sunt $\frac{1}{999}$ anni:

& 7777 myriadas novenarum quartarum, quæ singulæ sunt $\frac{1}{9999}$ anni.

SECTIO III.

DIVISIO ÆTATIS MVNDI IN MENSES ET DIES.

§ I.

In minoribus partibus ætatis mundi magis recondi-tus est *septenarius*: nec tamen investigantes fugiet.

§ II. In libello, quem cyclum inscripsi, & A. 1745. emisi, cyclus videlicet quidam repræsenta-tur, in quo anni 40000, menses synodici 494731, menses periodici item 40000 & item 494731, in sum-ma 534731, dies 14609700, inter se exæquantur. Itaque singulatim annus habet dies 365 hor. 5. 49'. 12''. mensis synodicus, d. 29. h. 12. 44'. 3''. 16'''' plen. mensis periodicus d. 27. h. 7. 43'. 5''. 11'''' plen. Tali pacto in ætate mundi exæquantur inter se anni $7777\frac{7}{9}$, dies 2840775, menses synodici $96197\frac{1}{18}$, menses periodici $103975\frac{1}{3}\frac{7}{8}$.

§ III. Hi mensium duntaxat numeri, si per 7 dividantur, a *septenario* longe removentur: & tamen ipse adspectus horum numerorum, $96197\frac{1}{18}$ & $103975\frac{1}{3}\frac{7}{8}$ & $7777\frac{7}{9}$, nos retinet.

§ IV. Tertius est summa primi & secundi: secun-dus, *dimidium* mensem (כסא Ps. 81, 4.) includens, de novilunio & plenilunio monet. Est luna φωσηρ μειου-μενος επι συντελειαν, *lumen, quod ita minuitur, ut con-summetur*. Sir. XLIII. 7.

§ V. Cognita ætate mundi, non magis peccant, qui positum cœli in eo tempore considerant, quam qui eundem in ortu mundi respiciunt, quod permul-ti faciunt chronologi, & in his Theologi orthodoxi. Imo positus cœli in fine ac meta magis est notabilis. Procul tamen manet temeritas astrologica.

§ VI. In principio novilunium fuisse, vidimus p. 23 seq. Itaque menses 96197, cum DIMIDIO ple-no, indicio sunt, plenilunium circa finem fore. A quo-

quolibet novilunio ac plenilunio ætatis noſtræ ad novilunium illud in principio, & ad plenilunium illud in fine, calculi nos ducunt aſtronomici, totum ſyſtema chronologiæ non mediocriter confirmantes.

§ VII. *Arſura Beroſus terrena contendit, quando omnia ſidera in cancrum convenerint.* Seneca l. 3. nat. quæſt. c. 29. Non longe quidem a *cancro* ſol aberit in hebdomade mundi noviſſima: ſed luna erit ei *oppoſita* in ſignis auſtralibus. quo vel uno Beroſi opinio, obiter, ſed ſatis, refutatur.

§ VIII. Plenilunium, quod adventum Domini glorioſum præcedet, opportunum erit ſignis tum futuris. Matth. XXIV. 29. Ioel III. 4. coll. Ap. VI. 12.

§ IX. Ordine ſuo cœlum & terra facta ſunt: ordine inverſo peribunt. In hiſtoria creationis memoratur *cœlum & terra:* a facie Chriſti IEſu fugiet *terra & cœlum.* Ap. XX. 11. Geneſis recenſet *cœlum; terram & mare; luminaria* &c. at ſermo de fine, *luminaria; terram & mare; virtutes cœlorum.* &c. Luc. XXI. 25. 26. Illud in primam hebdomadem ſolam cadit: hoc in noviſſimam hebdomadem præcipue, an potius in hanc item ſolam, cadit.

§ X. Nunc reſpiciamus tres numeros § IV notatos. Numerus annorum $7777\frac{7}{9}$ apertum continet *ſeptenarium.*

Numerus menſium ſynodicorum $96197\frac{25}{28}$, ſive *ſemimenſium*, ut ſic dicam, 192395, ſi per 7 dividatur, ſemimenſium *hebdomadas* 27485 præbet, quos videlicet novilunia, quorum primum in principio erat, & plenilunia, quorum ultimum in fine erit, diſtinguunt.

Numerus menſium periodicorum 103975, qui ſunt partim toti $7777\frac{7}{9}$, partim dimidiati 192395, habet *hebdomadas* partim hebdomadibus annorum, partim hebdomadibus ſemimenſium ſynodicorum reſpondentes.

§ XI. Ipsum plenilunium in noviſſima hebdomade, cadit in feriam 2. Tum, mane, ſol in ortu, luna verſus occaſum, ſpectari poterit. Quemadmodum autem motum cœli & orbium cœleſtium in principio feria *prima*, non quarta ſibi vindicavit: ſic finem non in feria ſecunda aut quarta, ſed in *ſeptima* ſpectare, & rationem annorum menſiumque ab illa prima ad hanc ſeptimam deducere debemus. Quanquam enim menſes & anni poſt feriam primam cœperunt, tamen lux primo die facta luminaribus quarto die factis antiſtat, ac noctis dieique viciſſitudo ſeptenario dierum, ex quibus menſes annique conflantur, incluſa, a feria prima ſubinde ad ſeptimam decurrit. Tali pacto menſis periodicus, & menſis ſynodicus, &, qui hîc denuo occurrit, annus, ejuſmodi cyclos reddunt, qui ſummam rurſus *dierum* mundi multipliciter in *hebdomadas* dividunt, & conſiderationem *DIERVM* explicatiorem ſecum trahunt.

§ XII. Ætas mundi complectitur dies 2840775, ſive *hebdomadas* 405825, *hebdomadas hebdomadum* 57975.

§ XIII. Cyclum lunæ ſolarem *Ioachimus Tiede*, Theologiæ ſtudioſus, Reyheri diſcipulus, A. 1701 produxit, dierum 216223, qui habeat menſes periodicos 7914, diviſim 7322 & 592, menſes ſynodicos, ſive novilunia media, item 7322, annos item 592. (conf. § IV. X.) quo tempore ſol & luna eodem loco cœli, eadem feria & hora, conjungantur. Anni 592 ad dies 216223 adjiciunt $\frac{14}{25}$ diei: annumque Tiedius nec non menſem ſynodicum, juſto breviorem fecit; menſem vero periodicum, juſto longiorem. Lætitia inventionis, ut fit, alacrem Tiedium feciſſe videtur, ut rem aliquanto ulterius, quam ferret veritas, extenderet. Neceſſaria eſt hæc admonitio: nam cel. Kohlreiffius ſententiæ Tiedinæ permultum tribuit & ſuperſtruit. tract. in Ieſ. XVII

&

& XVIII. Pusilla aberratio in cyclis pluribus notabilem infert a veritate discessum.

§ XIV. Sapienti anticipatione Tiedius subsensit, esse cyclum aliquem, in quo annum simul & mensem synodicum assequeretur mensis periodicus.

§ XV. Enimvero talis *Revolutio* in periodo a creatione ad diluvium satis prope respondet; eademque ratione in periodo a diluvio ad finem mundi, ut ii, qui investigaverint, reperient. Sed in tota *demum* ætate mundi exactius habetur. § II.

§ XVI. Iam *cycli hebdomadum* sic habent:

α Annus unus habet dies 365. hor. 5. $_{49}'$. $_{12}''$. sive dies $365\frac{97}{400}$. Itaque anni 400 sunt dies 146097 præcise: atque hic cyclus, in quo dies & annus solaris se invicem exhauriunt, protinus dat *hebdomadas*, easque 20871. Tales cycli 19 sunt anni 7600, sive *hebdomades* dierum 396549. Adde annos $177\frac{7}{19}$. qui sunt *hebdomades* 9276. Summa est, ann. $7777\frac{7}{19}$. sive dies 2840775, *hebdomades* 405825, *hebdomades hebdomadum* 57975.

β Speciosa est mensis periodici longitudo, si eum habere censeas d. 27. h. 7. $_{43}'$. $4\frac{4}{7}''$ sive dies $27\frac{13859}{40000}$. Tali pacto menses 12000 periodici sunt dies 327859 præcise, qui sunt anni solares $897\frac{1}{4}$ plen. Hic cyclus, in quo dies, & annus lunaris sive mensis periodicus, se invicem exhauriunt, dat 46837 *hebdomadas*, atque adeo 6691 *hebdomadas hebdomadum*: & tales cycli 8 sunt menses periodici 96000 sive dies 2622872. *hebdomades* 374696. *hebdomades hebdomadum* 53528. quibus elapsis, supersunt menses periodici $7975\frac{17}{336}$, sive dies $217902\frac{1}{2}$ plen. sive, quam proxime *hebdomades* 31129. *hebdomades hebdomadum* 4447. Summa rursum, dies 2840775. *hebdomades* 405825. *hebdomades hebdomadum* 57975, haud dimidio die deficiente: cui ipsi defectui medetur longitudo mensis

periodici § II. definita, inter subtilissimos astronomorum incedens calculos.

γ Menses synodici 7322 sunt Tiedio dies 216223: ut mensis habeat dies $29\frac{5}{1}\frac{5}{0}\frac{1}{4}\frac{1}{8}$, & menses 1046 sint dies 30889, sive anni $84\frac{8}{7}\frac{3}{4}\frac{4}{6}\frac{1}{0}\frac{2}{9}\frac{1}{7}$. Sic menses 7322 sunt cyclus *hebdomadum* 30889 exacte: & tales cycli 13 sunt menses 95186. *hebdomades* 401557. sed qui restant menses $1011\frac{2}{7}\frac{5}{8}$ sunt dies 29874, hor. 9. 4°. &c. quo pacto ad hebdomadem 4268 deficiunt d. 1. h. 14 plen. cui ipsi rursum defectui medetur longitudo mensis synodici § II. definita, inter subtilissimos astronomorum incedens calculos. *

§ XVII. Quod si astronomus dies 2840775 pro cyclo ejusmodi sumserit, ubi menses periodici $103975\frac{1}{7}\frac{7}{8}$ divisim $9619\frac{7}{3}\frac{2}{8}\frac{5}{8}$ & $7777\frac{1}{7}\frac{8}{8}|\frac{7}{9}$, & anni item $7777\frac{2}{3}\frac{8}{8}|\frac{7}{9}$ & menses synodici item $96197\frac{2}{3}\frac{5}{8}$ exacte inter se coæquentur, operæ, ut arbitramur, pretium feret.

§ XVIII. Porro quid hic ipse cyclus in motibus ceterorum orbium cœlestium recludat, experiri licet. Computationem prælibavit I. G. Siegesbeck in specimine chronologico. *Cyclum* illum, de quo § II, non sine fructu adhibitum iri spero.

§ XIX. Nobis hoc loco sufficit, duo luminaria magna, & quidem pro instituto nostro chronologico, ad ostendendum *septenarium*, considerasse, quem longitudo mensis, si ea nonnihil mutetur, non mutat. Nam etiamsi forte longitudo mensis periodici aut synodici nonnihil mutanda alicui videri poterit, tamen initia mensium, ipsum feriæ septimæ & primæ confinium non nimium longe migrantia, in tota ætate mundi vix ad 12 horas migrabunt. Ea quidem utriusvis mensis longitudo, quæ § II ex Cyclo

* *Sum hunc* XVI (*antea* XVII) *ab ipso auctore correctum confer cum* Cyclo § 221.

clo noſtro definita eſt, *hebdomadem* dierum, eamque *quadratam*, exactiſſime tenens, facile ſibi conſtabit.

§ XX.

Ab annis per menſes ad meros tandem *DIES* deſcenditur. Dividitur ſumma 2840775 dierum in *tres partes æquales*, quarum quælibet, quaſi *ſeculum* ingens, habet *hebdomadas hebdomadum*, uti notavimus p. 405.

§ XXI. Eandem in tres partes *inæquales* dividunt LXX hebdomades apud Danielem, quarum quælibet rurſum habet *hebdomadas hebdomadum*, uti notavimus pag. 369.

§ XXII. Hæc ratio LXX hebdomadum apud Danielem, & novilunia, plenilunia &c. non modo veram longitudinem ætatis mundi generatim fulgidiſſimis characteribus confirmant, ſed etiam *initia finesque partium ita certis affigunt annis, menſibus, diebus, ut loco moveri non poſſint.*

§ XXIII.

Ex decem numeris primis nullus a rotunditate magis abhorrere videtur, quam ſeptenarius, & tamen in hac ætate mundi ſeptenarius & rotunditas frequentiſſime concurrunt.

§ XXIV. *Harmoniam temporum* inprimis excoluit Ioh. Deſpagne; poſt eum, Sigismundi Freibergeri filius, id eſt, Iacobus Preiel; antea, Abr. Bucholcerus, Michael Mœſtlinus, alii. Primus eorum a mundo condito ad Hieroſolymam per Romanos vaſtatam numerat annos 4000. ſecundus 4018. tertius, 4041. quartus, 4149. at harmonia vera non niſi vero annorum ſuperſtrui numero poteſt, & ubi tota ſumma eaque vera ex præteritis & futuris collecta habetur, ibi demum partes rectius invicem conferuntur. Noſtra hæc opera quid ad Harmoniam ejuſmodi conferat, judicent, qui poſſunt.

§ XXV. Infelici nuper apophthegmate empæcta neſcio quis profeſſus eſſe fertur, fidem ſuam ultra *librum Numerorum* non progredi. Atqui tota Scriptura, maxime quod ad chronologiam attinet, liber *Numerorum* eſt. qui numeris recte utitur, tota Scriptura recte utitur.

§ XXVI. Numerorum determinationes, Lector, dextre velim accipias. Modeſtiam non ſemel eo ſtudio præfati ſumus, ut non neceſſe exiſtimemus, eam declarationem hoc loco repetere.

Tu, Iah, Domine, vitam dediſti mihi, ut commemorarem opera tua. Mihi, ſervo inutili, miſericordiam præſta: & doce me bonitate tua frui ſine intermiſſione.



IN-

INDEX I.
CAPITVM.

RRÆFATIO NOVÆ EDITIONIS.

PROOEMIVM: de *universa* ratione Chronologiæ per Scripturam sacram diffusæ.

CAP. I. *Series* articulorum ab Adamo usque ad Apostolos. pag. 1
II. Canon. *Hebraicus*. 11
Sect. I. Tabella ipsa.
II. De principio mundi. 15
III. De annis patrum ante diluvium. 26
IV. De diebus Noachi. 32
V. De annis patrum post diluvium. 42
VI. De annis CCCCXXX a vocatione Abrahami ad exitum ex Ægypto. 52
VII. De annis CCCCLXXX ab exitu ex Ægypto ad templum, 1 Reg. VI. 1, & inde ad mortem Salomonis. 63
VIII. De annis a scisso regno ad Iechoniam, eumque custodia liberatum: deque annis CCCLXXXX, Ez. IV. 96
CAP. III. De antiqua gentium Chronologia, *Digressio*. 130
Sect. I. Ratio digressionis.
II. De Sinensibus. 132
III. De Ægyptiis. 133
IV. De Assyriis & Chaldæis. 151
V. De Tyriis. 157

CAP.

Sect. VI. De Ægyptiis iterum. pag. 160
VII. Receptus. 161
Cap. IV. Anni a monarchia Babylonica ad epocham Dionysianam: 162
Sect. I. De annis regum Iuda & regum Babyloniorum concurrentibus.
II. De canone *Ptolemæi*. 164
III. De *LXX annis*, in quos conferri solet captivitas Babylonica. 170
IV. De Ahasveros, qui Estheram duxit. 188
V. De reliquis annis usque ad Epocham Dionysianam. 190
V. Chronotaxis *Evangelica*. 191
VI. Chronotaxis *Apostolica*. 231
VII. *Summa* annorum a principio mundi ad nostram ætatem. 253
VIII. De *Futuris*, in Scriptura provisis ac revelatis: de adventu Christi: de modestia diligentiaque hîc adhibenda. 256
IX. Indago *apocalyptica* temporum mundi, 264
X. De *LXX hebdomadibus* & aliis temporum periodis apud *Danielem*. 278
XI. *Ætas mundi* modeste definita. 329
XII. Varia ejus ætatis *divisio* per septenarium cum rotunditate conjunctum: ubi speciatim de LXX seculis, de *medio annorum*, Hab. III. de annis *sabbaticis* & *jubilæis*, de anno magno. 383.

INDEX II.

LOCORVM SCRIPTVRAE SACRAE.

Gen. c. 1, vers. 1. p. 25. 347.
5. 347.
14. 20 sq. 22. 35. 38.
16. 26. 28. 24.

Gen.

INDEX II.

Gen. c. 2,	v. 2.	p. 355.
	19.	24.
4,	15.	22.
5,	3.	42.
	32.	32.
6,	3.	157.
7,	1f.	32.
	11.	38. 39.
	12.	270.
	17.	42.
	19.	41.
	24.	38.
8,	1f.	33. 40.
	3. 4.	38.
	5.	270.
	10. 12.	355.
	9 — 13.	41.
	14.	39.
	22.	35. 65.
9,	1.	43.
	20.	46.
	28.	42.
10,	5.	46.
	8.	147.
	10.	156.
	18.	46.
	24.	45.
	25.	46. 50.
	32.	46.
11,	9.	46.
	13.	45.
	18 — 23.	60.
	26.	47. 48.
	31.	47. 49. 51. 58.
12,	1.	48. 49.
	3.	56.
	4.	58.

Gen.

Gen. c. 12,	v. 5.	p. 49. 58.
14,	1.	154 f.
	4. 5.	112.
	13.	44.
	19.	348.
	21.	44.
	22.	348.
15,	7.	49. 58.
	13.	53. 129. 273. 336.
	14. 16.	53.
	18.	56.
16,	3.	155.
17,	1.	128.
	8 f.	53.
	17.	128.
18,	10. 14.	270.
19,	4.	75.
21,	4. 5.	128.
25,	8.	60.
26,	3.	53.
29,	18. 30.	355.
31,	39. 41.	184.
35,	27.	53.
	28. 29.	60.
37,	1.	53.
40,	13. 19.	123.
41,	1.	139.
	29.	140. 355.
	30.	355.
	32.	140.
45,	6.	117. 184.
46,	8. 11.	57.
47,	9.	60.
	11.	139.
50,	3.	270.
	5.	40 f.
Exod. c. 1,	vers. 8. 11.	139. 140.

Exod. c. 2,	vers. 1.	p. 58.
	11.	142.
	23.	139. 142. 148.
6,	16—20.	57.
7,	7.	57. 143.
9,	15. 16.	143.
	25. 31. 32.	218.
12,	1. 2.	62.
	2.	16.
	40.	54. 122. 336.
	41.	54. 129.
14,	4. 6. 8. 10, 13, 17.	
	18. 28.	143.
15,	19.	143.
16,	1.	72.
20,	6.	271.
	19.	220.
22,	1. 2f.	308.
23,	10f.	355.
	11.	367.
	15.	22.
	16.	16. 26.
24,	10.	220.
	13. 14.	75.
33,	11.	75.
34,	22.	16.
Levit. c. 6,	12.	226.
8,	33.	226.
12,	2. 4. 5.	270.
16,	29.	20. 226.
23,	3.	312.
	10.	223.
	11,	234.
	16.	234. 366.
	24.	24.
	29.	20.
	34.	26. 112.
	36.	112. 312.

Levit. c. 23,	v. 38.	p. 226.
25,	1f.	355.
	8.	281. 355. 366.
	9.	220.
	20f.	355. 367.
	22.	112. 118. 312.
26,	34f.	188.
	43.	186. 188.
Num. c. 1,	v. 1.	p. 72.
10,	11.	70. 71.
11,	19. 20.	139.
13,	21.	70. 71.
	22.	146.
14,	24.	75.
	33.	73.
	34.	123. 270.
16,	1.	57.
24,	14.	347.
26,	59.	57. 58.
28,	3. 9. 11.	225.
29,	1. 6.	24.
31,	8.	143.
32,	16. 17.	364.
33,	38.	67.
Devt. c. 1,	3.	70.
	31. 38.	237.
4,	46.	71.
6,	13. 16.	218.
8,	2. 4.	184.
	3.	218.
9,	9. 18.	270.
11,	21.	21.
15,	1.	355.
16,	6.	22.
	18f.	314.
16. 21,	9.	314.
21—31,	30.	315.
21,	10.	315.

Devt. c. 21,	v. 23,	p. 315.
23,	25.	223.
25,	16. 18.	315.
28,	50.	75.
31,	10.	92. 226. 355. 367.
	16. 20.	76. 315.
	21. 27.	76.
32,	4.	345.
33,	7.	111.
34,	8.	87. 227.
Ios. 1,	11.	123. 227.
4,	19.	227.
5,	4. 5.	71.
	11. 12.	364.
6,	21.	75.
7,	1.	57.
	6.	75.
	18.	57.
10,	12 f.	72.
11,	23.	74. 79. 36. 364.
13.	1. 6.	75.
14,	7.	70. 73. 74.
	9.	75.
	10.	70. 73. 74. 75. 76. 113 118.
	13.	75.
	15.	74. 79.
19,	1 f. 51.	57. 71. 111.
	29.	157.
	50.	75.
23,	1. 2. 14.	75.
24,	15.	75.
	23.	76.
	18—31.	74.
Iudic. c. 2,	6—10.	74. 78.
	23.	76. 81.
3,	3.	81.
	4.	78.

Iudic. c. 3,	v. 5.	p. 76.
	8. 11.	70. 76.
	14.	70.
	15.	84.
	30.	70. 79. 81. 82.
	31.	82.
4,	3.	70.
	24.	157.
5,	6.	82.
	31.	79. 82. 70.
6,	1.	70.
8,	28.	70. 82. 84.
9,	22.	70.
10,	1. 3.	83.
	2. 3.	70.
	7.	84.
	8.	70. 84. 188.
	11.	84.
11,	1.	57.
	13.	71. 294.
	16.	71.
	26.	84. 336.
12,	7.	70.
	8.	83.
	9.	70.
	11.	70. 83.
	13.	83.
	14.	70.
13,	1.	70.
	5.	85.
14,	12. 14. 15.	50.
	17.	50. 90.
15,	20.	70. 85.
16,	27.	321.
	31.	70. 85.
18,	1.	75.
	30.	84.

Iudic.	c. 20,	v. 28.	p. 84.
Ruth.	2,	23.	218.
1 Sam.	1,	1 f.	205.
		3.	91. 92.
		20.	91. 93.
		24.	93.
	2,	1—10.	205. 348.
		11. 12. 17. 18. 21.	
		22. 26. 29.	93.
	3,	1.	93.
		12.	93. 331.
		19. 20.	93.
	4,	11.	93.
		15.	91. 93.
		18.	70. 93. 91.
	6,	1.	70.
	7,	2.	70. 84. 88. 90. 91. 92. 93.
		3—13.	88.
	8—12,		92.
	8,	1.	91. 92. 93.
		5.	93.
	9,	2.	86. 91.
	10,	1.	93.
		6.	87.
		9.	87. 93.
		26.	87.
	11,	6—15	87.
	12,	2.	86.
		9 f.	77. 84.
	13,	1.	86. 89. 92. 93.
		2.	86.
		4. 14.	87.
	14,	47. 48.	87.
	15,	3. 9.	143.
		26.	94.
		28. 34 f.	87.
	16,	1.	94.

1 Sam. c. 16,	vers. 13.	p. 90. 94.
	18.	88.
	16—24.	92.
	17, 40 f.	312.
	18, 9.	94.
	20, 5. 18—42.	224.
	25. 26.	91.
	25. 1.	94.
	27, 7.	89. 91. 94.
	31, 6.	94.
2 Sam. c. 2,	v. 10. 11.	p. 94.
	5, 4.	94.
	5.	89. 94.
	6.	94.
	6, 2.	94.
	3.	90.
	11, 1.	16. 65.
	15, 7.	125.
	21, 9.	218.
1 Reg. c. 2,	11.	70. 94.
	3, 1.	307.
	4, 7. 27.	37.
	5, 1.	158.
	6, 1.	63. 65. 70. 112. 122. 129. 254. 302. 336. 369.
	38.	90. 129. 302.
	8, 8. 13.	63.
	9, 10 f.	158.
	21.	63.
	10, 12.	63.
	11, 4.	124.
	12. 34. 35.	103.
	42.	95.
	43.	103.
	12, 3. 12.	103.
	19.	63.
	20.	103.
	32.	219.

1 Reg. c. 13,	vers. 34.	p. 126.
14,	15. 16.	125.
	20. 21.	98.
15,	1. 2. 9. 10. 25. 33.	98.
16,	8. 10. 15. 16. 23. 29.	98.
19.	8.	270.
20,	22.	127.
	29.	90.
22,	41. 42. 52.	98.
	50.	107.
2 Reg. c. 1,	vers. 17.	106.
3,	1.	98.
	11.	106.
4,	13.	107.
	16.	270.
8.	16. 17.	106. 98.
	25.	30. 98. 107.
	26.	98.
9,	29.	30.
10,	19.	65.
	30.	110.
	36.	108.
11,	3.	88. 108.
12,	1.	108. 112.
13,	1. 10.	108.
	5. 14.	109.
14,	1. 2.	108.
	17.	84. 109.
	23.	108. 109. 110.
15,	1.	108.
	2.	108. 111. 169.
	5.	169.
	8.	108. 111.
	12.	110.
	13. 17. 23. 27.	108. 111.
	29.	123.
	30.	112, 113, 115.

2 Reg. c. 15,	v. 32.	p. 108.
	33.	108. 169.
16,	1. 2.	108. 112.
17,	1.	108.
	3f.	124.
18,	1. 2. 10.	108.
	13.	116.
19,	29.	116.
20,	9—11.	117.
	18.	175.
21,	1. 19.	116.
	11. 16.	124.
	15.	124.
22,	1.	116.
	20.	176.
23,	26.	124.
	31. 36.	116.
24,	3.	124.
	8. 18.	116.
	12f.	162.
	20.	185.
25,	1.	162. 185.
	2. 3.	163f.
	8. 25.	163.
	27.	127. 163. 177.
1 Chron.		96.
c. 1-9,		68.
1,	v. 19.	46.
	24.	45.
2,	18f.	57.
5,	41.	290.
7,	1. 2. 3.	57.
9,	3.	123.
12,	28.	75.
13,	3.	88.
	32.	257.
14,	1. 5.	91.

1 Chron. 14—16. 91.
15, v. 1. 3. 8. 91.
16, 3. 91.
20, 1. 65. 127.
22, 18. 81.
29, 27. 94.
2 Chron. c. 2, v. 13. 158.
3, 2. 65.
4, 11. 16. 158.
8, 13. 22.
9, 30. 95.
11, 5. 307.
13. 16. 17. 126.
12, 1. 6. 12. 126.
1 — 12. 77.
13. 95.
13, 7. 95. 103.
11. 65.
17. 86.
14, 7. 307.
12. 160.
15, 19. 102.
16, 1. 102.
21, 5. 106.
7. 87.
20. 106.
22, 2. 27. 102.
12. 88.
24, 15. 190.
25, 4. 65.
23. 307.
26, 3. 111.
6. 307.
7. 13. 15. 111.
28, 8. 321.
29, 8. 175.
32, 5. 305.

2Chron.	c. 33,	v. 14.	p. 305.
	34,	3. 8.	124.
		6.	126.
	35,	24. 25.	176.
	36,	9.	102. 116. 127.
		12. 16.	124.
		20.	177. 181. 187.
		21.	185.
		22.	187.
Esra.			190.
	1,	1.	283.
	2,	2.	287.
		64f.	291.
	3,	1. 8.	183.
	4,	1.	287.
		6. 7.	185. 283. 286. 287.
		12.	292.
		14.	287.
		24.	283. 286. 292.
	5,	1.	295.
		2.	286. 287.
	6,	10—12.	306.
		14.	292. 294. 306. 307.
		15.	294.
		16. 19. 20.	287.
		22.	295.
	7,	1f.	307.
		7.	307.
		8.	283. 307.
		10.	307.
		27.	298.
	8,	35.	287.
	9,	5.	287.
	10,	6. 16f.	287.
Neh. c.	1,	1.	129. 198.
	2,	1.	129. 198. 283. 289. 299.
		5. 6f.	299.

Neh.	c. 2,	v. 19.	p. 288.
	3,	1.	288.
	7,	6.	287.
	8,	18.	230.
	9,	36.	174.
	12,	1.	289.
		10. 11.	288.
		12.	289.
		22.	189. 288. 289.
		23 f.	289.
	13,	6.	283.
		28.	288.
Esth.	1,	1.	180. 188.
	3,	8.	186.
	4,	11.	184.
		16.	90.
	5,	1.	90.
	6,	8. 12. 15.	180.
	7,	4.	186.
	8,	2. 13.	186.
	10,	2.	186.
Iob.	42,	16.	60.
Ps.	19,	5.	23.
	37,	25.	75.
	68,	28.	313.
	74,	9.	306.
	78,	12. 43.	134.
		51.	139.
	81,	4.	24. 372.
	90.	4.	333.
		10.	272.
		16.	345.
	92,	5.	345.
	95,	1 f.	229.
		10.	184.
	103,	5.	75.
	104,	19.	22. 38.

Pſ. 105,	v. 23. 27.	p. 139.
106,	10. 11.	143.
111,	3.	345.
114,	1 f.	71.
136,	15.	143.
143,	5.	345.
147,	19. 20.	310.
148,	12.	75.
Eccl. 6,	6.	95.
12,	1.	86.
Ieſ. 1,	2.	237.
	26.	80. 237.
7,	8. 9.	107. 123. 125.
19,	2.	148.
20,	4.	75.
21,	16.	123.
28,	21.	349.
38,	8.	117.
41,	2. 3.	44. 49. 52. 155.
42,	1. 3.	295.
	5—7—21.	220.
44-63. 66		315.
44,	28.	292.
45,	13.	292.
51, 12,	52, 12.	314.
52,	14. 15.	309.
53,	8.	308.
	11. 12.	309.
55,	8. 9.	332.
58,	6,	220.
61,	1 f.	220.
	11 f.	315.
63,	8.	76.
65,	20.	75.
66,	1 f. 12. 16. 18 f.	315.
	23.	224. 315.
Ier. 1,	2.	124.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853554960/phys_0416
DFG

Jerem. 1,	v. 3.	p. 124. 163. 164.
	5. 10.	124.
2,	2. 3.	76.
3,	8. 11.	126.
5,	11. 15. 20.	123.
21,	10.	291.
25,	1.	124. 162. 174. 175.
	3. 7. 8.	124. 174.
	9.	174.
	11.	162. 171. 174. 185. 336.
	12.	171. 174.
	18. 29.	174. 175.
27,	7.	177.
28,	3. 11.	123.
29,	10.	171.
30,	3f.	123.
31,	2—20.	205.
	40	65.
32,	1.	162.
33,	4. 5.	185.
34,	1. 7.	184.
	2. 22.	291.
36,	1.	175.
37,	8. 10.	291.
	21.	120.
38,	17.	184. 291.
	23.	291.
39,	1.	162.
	2.	163. 164.
	3.	178.
	8. 9. 10.	164.
41,	1.	164.
45,	1.	175.
47,	1.	175.
51,	31.	181.
52,	4.	120. 162.
	5.	120.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853554960/phys_0417
DFG

Jer. c. 52, vers.	6.	p. 120. 163.
	12.	163.
	12—16.	164.
	28.	162.
	29. 30.	163.
	31.	127. 163. 179.
Thren. c. 5, vers.	13. 14.	86.
Ezech. c. 1, vers.	1.	119. 125. 173. 219.
	2.	119. 125. 173.
	28.	219.
3,	15. 16.	119.
4,	3.	121.
	5.	118. 336.
	6.	118. 270. 336.
	9.	65. 118.
	10. 11. 12—17.	119.
	13. 16. 17.	121.
5,	2. 10. 12. 16. 17.	122.
7,	2. 3. 6. 7. 8. 10. 12.	122.
9,	1.	122.
	8. 9.	123.
11,	15.	123.
16,	13.	76.
	47. 51f.	126.
20,	8.	76. 124.
21,	30. 34.	122.
24,	1.	162. 171.
29,	1.	120.
31,	1.	120.
33,	21.	164. 171.
35,	5.	122.
36,	10. 33. 35. 36.	186.
38,	8. 16.	347.
39,	29.	348.
40,	1.	16. 173. 370.
	5.	301.
45,	1f.	225.

Ezech. c. 46, vers. 1—6. 13—15. p. 321.
Daniel. c. 1, 1 f. 175. 176. 179. 295.
5. 19. 175 f.
21. 181. 322.
2, 1. 175 f.
39. 177.
43. 291.
3, 1. 180.
4, 20. 319.
33. 169.
5, 1. 177.
2. 177. 180.
3. 180.
11. 177.
17. 291.
18. 22. 30. 177.
31. 180.
6, 1. 180.
2. 291.
7, 12. 319.
25. 319. 326.
8, 1. 179.
4. 9. 323.
11. 311 f.
14. 320. 321.
26. 321. 323.
9, 1. 181. 324.
2. 79. 169. 186. 187. 293.
4. 310.
22—27. 279.
25. 186. 187. 293.
26. 308.
27. 311.
10, 1. 295. 322.
2. 3. 281.
11. 295.
14. 322.
11, 1. 322.

Dan.

Dan. c. 11,	v. 2.	p. 190. 296.
	31.	310.
	33.	309.
	35.	323.
	45.	324.
12.	1 f.	322. f.
	2.	323 f.
	3.	309.
	4.	265. 323.
	6.	323.
	7.	258. 301. 321. 324.
	9.	323.
	10.	265.
	11.	310. 320. 322. 326.
	12.	294. 320. 326. 322. 327 f.
	13.	295. 347. 322.
Hoseas c. 4,	V. 15.	p. 126.
11,	1.	76.
12,	1.	126.
14,	3.	315.
Joel c. 2,	11.	308.
3,	4.	373.
Amos c. 4,		219.
4,	7.	123.
Jonas c. 3,	v. 4.	270.
Mich. c. 7,	v. 15.	294.
Habac. c. 1,	v. 6.	348.
2,	2 f.	345.
3,	2.	344.
4,	11.	23. 72.
Haggai c. 1,	v. 4—11.	292.
2,	4.	287.
	8.	295.
	10.	315.
	16—20.	292.
	19.	286.
Zachar. c. 1,	v. 7.	286. 296.

Zachar, c. 1,	v. 8.		p. 314.
		12 f.	184. 185. 286 f. 292 f. 294.
		13.	292. 294.
		14. 17.	317.
	2,	2 f.	295.
		4.	307.
		5.	296.
		15.	226.
	6,	10.	287.
		12.	295.
	7,	1.	286. 295. 336.
		3.	184. 185.
		5.	184. 185. 286. 287. 336.
	8,	19.	65. 184. 185.
	9,	10.	315.
	14,	8.	226.
Malach. c. 3,		v. 1. 2.	204. 295.
Judith	5,	7.	49.
		8.	56.
	16,	23.	79.
Sap.	7,	18.	258. 348.
Sirac.	43,	6.	38.
		7.	22. 372.
	46,	5.	72.
	48,	26.	117.
	49,	19.	45.
1 Maccab.	1,	21. 30.	320. 321. 322.
		33.	305.
		39. 41.	321.
		57.	321. 322.
	4,	52.	321. 322.
		54.	321.
	6,	16.	320. 322. 324.
		20. 49. 53.	371.
2 Macc.	8,	27.	324.
	9,	12—28.	322.
	10,	10 f.	324.

2 Macc.	c. 11,	v. 21 f.	p. 320. 324.
		33.	324.
Matth.	1,	3. 4.	57. 67.
		11.	50.
		12.	42.
		25.	203.
	2,	1.	203.
		1—18.	199.
	3,	12.	205.
	3, 1—4,	11.	210.
	4,	1 f.	217.
		2	270.
		12—13, 58	211.
		17.	194.
	11,	12.	205.
		20.	124.
	12,	3.	224.
		5.	226.
	13.	39.	336.
	14,	1 f.	193. 212.
	14,	15.	223.
	16,	13 f.	212.
	17,	1 f.	213.
		3. 24.	227.
	20,	28.	309.
	21,	1 f.	214.
		39.	208.
	22,	7.	308.
	23,	18.	175.
	24,	9.	258.
		15.	284.
		29.	373.
		34.	228. 284.
	26,	17 f.	215.
		28.	309. 310.
	27,	1 f.	216.
		45.	230.

Marc. c.	1,	v. 1.	p. 205.
		1—13.	210.
		9	205.
		14 f.	211. 221.
	2,	26.	50.
	6,	14 f.	212.
	8,	27 f.	212.
	9,	2 f.	213.
	11,	1 f.	214.
	13,	32.	259.
	14,	12 f.	215. 229.
	15,	1 f.	216.
		25.	194.
Luc.	1,	1—56.	200.
		5. 8,	198.
		6.	211.
		23. 24. 26. 36.	202.
		48.	331.
		54.	344. 345.
		56. 57. 59.	202.
		57—80.	200.
		68.	205.
		72.	345.
		76. 80.	205.
	2,	1.	294. 216.
		1—52.	200.
		2. 6.	202.
		21.	204.
		21—38.	199.
		22.	203. 204.
		42. 46.	95.
	3,		
		1 f.	129. 210.
		21. 23.	194.
		32 f.	68.
	4,	1 f.	194. 216.
		1. 2,	204.

Luc.	c. 4,	vers. 13.	p. 210.
		14f.	211.
		16.	209.
		16—21.	220.
		43.	208.
	6,	1.	198. 210. 222.
		4.	210.
		6.	210. 223.
	7,	20.	205.
	9,	7—17.	212.
		18f.	212. 213.
		28f.	213.
	10,	24.	95.
	11,	31.	95.
	12,	2. 3.	332.
	13,	7. 8. 32. 33.	227.
		31f.	228.
	17,	28.	336.
	19,	29f.	214.
	21,	25. 26.	373.
	22,	7f.	215.
	23,	1f.	216.
Joh.	1,	1f.	206. 210.
		19.	199. 204.
		29. 35. 43.	199.
		49.	210.
	2,	1f.	199. 216.
		11.	194.
		13—17.	205.
		14.	194.
		19. 20.	218.
		23f.	209. 219.
	3,		206.
	4,	34.	208.
		35.	218.
		45.	219.
	5,	1.	209. 219.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853554960/phys_0424
DFG

Joh. c. 5,	v. 2.	p. 250.
	37. 38.	219.
	45.	220.
6,	1f.	212f. 221.
	4.	193. 223.
	39.	347.
7,	1f.	212.
	2.	210. 222. 308.
	8.	222.
	19. 23. 38. 49. 51.	226.
9,	14.	226.
10,	22. 24.	217.
	35.	226.
12,	1f.	214.
	7.	228.
	12f.	214.
13,	1.	229.
	31f.	215.
18,	28f.	216. 229.
	39.	229.
19,	14.	229.
Act. c. 1,	2.	50.
	3.	270.
	6. 7.	259.
	21.	205.
	22.	194. 205.
2,	1f. 2f.	310.
	5	239.
	41. 47.	234.
3,	1.	234.
	25. 26.	310.
4,	3. 5.	234.
	36.	241.
6,	1.	234.
7,	2. 3.	49.
	4.	49. 50.

Act. c. 7,	vers. 5. 17.	p. 53.
	23.	142.
	30.	143.
	45.	49.
8,	2.	47.
	27.	313.
9,	1. 9. 13.	235.
	23.	235. 244.
	26.	235.
	31.	235. 310.
10,	1.	314.
	3.	314. 318.
	9.	238. 318.
	23. 24.	238. 318.
	28. 34-36. 38. 39.	314.
	30.	318.
	35—43.	315.
	37.	205.
	42. 43.	314.
	44.	309.
	48.	314.
11,	2.	314.
	19f.	251.
	30.	238.
12,	23.	251.
	25.	238.
13,	1f.	251.
	17f.	56. 237.
	19.	67. 80.
	20.	67. 80. 88. 89. 336.
	21.	87—89.
	22.	87.
	27.	308.
	40f.	345.
	42.	198.
14,	3. 28.	238.
	19.	248.

Act.

Act. c. 15,	v. 1 f.	p. 238. 239.
	2.	238.
	7. 14. 23,	236. 314.
	18.	345.
	35.	232.
	36.	240.
	39.	241.
16,	6.	242.
	10.	239. 251.
	12.	232.
	23.	242.
17,	14 f.	239.
	16,	232.
18,	2.	232. 244.
	5.	239.
	11,	232.
	22.	238. 239. 242.
	23.	232. 240. 242.
19,	8. 10.	242.
20,	1.	244.
	1—6,	242.
	3.	232. 242.
	4.	244.
	6.	239.
	16.	232. 236. 242.
	25.	248.
	31.	232. 242.
	38.	248.
21,	38.	245.
22,	17 f.	235. 313.
23,	2. 3.	245.
24,	1. 10.	245.
	17.	244.
	27.	232.
27,	9.	19.
Rom. c. 1,	7.	243.
	10 f.	241.

Rom. c. 1,	v. 13.	p. 243.
4,	9. 13. 20.	56.
5,	21.	18.
15,	14 f.	241.
	19.	312.
16,	3 f.	243. 244.
	25.	264. 352
	27.	257.
1 Cor. 4,	17.	242.
	18. 21.	243.
5,	4.	243.
7,	26.	243.
10,	11.	242. 352.
15,	32.	242.
	52.	258.
16,	1. 8. 10. 11. 12. 22.	p. 242.
	19.	244.
2 Cor. 1,	1.	243.
2,	12.	243. 244.
3,	12. 13.	332.
4,	6.	25.
7,	5.	243.
8,	13.	243.
9,	2.	243.
11,	23.	243.
12,	1.	236.
Gal. 1,	11.	238.
	17.	235. 244. 312.
	18.	232. 234. 235. 238.
	21 f.	236. 238.
2,	1.	232. 234. 238. 240.
	10. 13.	240.
	11.	240. 242.
3,	8. 15-22.	56.
	16. 17.	54. 336.
4,	1 f.	331.
	13.	242.

Eph. c. 2,	vers, 7.	p. 352.
3,	9.	352.
Col. c. 1,	26.	352.
1 Theſſ. 1,	1.	239.
2,	16.	240.
3,	1. 2.	239.
4,	15.	258.
5,	1—6.	258.
2 Theſſ. 2,	2.	258.
	3ſ.	354.
1 Tim. 1,	3.	242.
	17.	352.
2 Tim. 1,	9.	352.
	16. 17.	249.
3,	11.	237.
4,	6. 9.	249.
	10.	248.
	19,	244.
	21.	248. 249.
Tit. 1,	2.	352.
Philem. 1,	19.	235.
Hebr. 2,	14.	192.
3,	9. 10,	228.
7,	1.	155.
9,	26.	19. 330.
10,	3.	19.
11,	23.	58.
13,	20.	310.
1 Petr. 1,	1.	241.
	12.	295.
	20.	330.
3,	20.	92. 275.
5,	12.	240.
	13.	241.
2 Petr. 3,	1ſ.	258.
	3.	347.
Apoc. 3,	3.	259.

Apoc. c. 6,	vers. 12.	p. 373.
10,	11f.	323. 328.
	6.	258. 324.
11,	2.	326.
12,	11f.	323.
	6.	304.
	7.	324.
	12.	275. 324.
	14.	272. 275. 304. 326.
13,	5.	326.
	8.	324.
	18.	257f. 264. 265.
16,	15.	259.
17,	8.	308.
	10.	307. 319. 327.
	12.	319. 327.
19,	1f.	319.
20,	1f.	262. 266f.
	4.	324.
	6.	328.
	11.	373.
22,	2.	37.
	10. 11.	332.

IN-

INDEX III.

RERVM, VERBORVM, AVCTORVM.

Casp. *Abel.* pag. 167
Is. *Abranavel.* 43. 104
Abul Pharajus 197
Accentuum Hebraicorum usus, etiam in chronologia. 22. 32. 47. 53. 64. 83. 113. 127. 143. 173. 205. 289. 292 f. 304. 345.
Acro. 225
Adam, quando lapsus. 17
Adrichomius. 76. 353
Adventus Christi, meta temporum. 262
Ægyptus, 148. reges Ægypti. 134 f. 160 f. æra Ægypti 146. 150. Ægyptiorum annus. 62
Ænigma Salomonis. 95
Æra Dionysiana. 14 f. triennium prætermittit. 206
Æternitas. 278
Ævum. 242. 277. 352
Africa. 46.
Africanus. 151 f. 154. 156. 207. 231. 299.
Albertus. 347
Petr. de *Aliaco.* 347
Alix. 195
Alstedius. 169. 196. 247
America. 46
Ambrosius. 38
Car. *Andrianus.* 19
Anni conferti. 35. 90. 100 f. 104. 116. methodici. 98. 99. dierum 360. p. 35. 136. 146. 150. 290.
Annus græcorum. 23. 36
Anni longitudo. 274. 365
Anni sabbatici. 55. 356. 369
solares, etiam ante diluvium. 35
unius generis in regibus Iuda & Israel. 116
Antiquitas. 35
Apocalypsis, liber magni momenti 257. 318. Danielem reclu-

Apocatastasis. 278
Arbor vetita. 17
Arius Montanus. 36. 59
Artopoeus. 19. 167 f.
Asia. 46
Asphe. 254
Associationes regum. 115
Assyrii. 151 f.
Astrologi 333
Astrorum cursus. 2
Athanasius. 346.
Auctoris Scripta in textu & margine citata.
Anhang zum N. T. p. 56. 69 71. 80. 82. 87. 88. 89. 90 292. 293. 298. 300
Cyclus. 2. 22. 71. 128. 265. 275. 336. 372
Ehrenrettung der heil. Schrift. 4. 66. 67. 80. 85. 90. 99. 100 102. 111. 112. 115. 117. 125 171. 176. 184. 199. 202. 207 208. 210. 220. 266. 267. 294 308. 309. 322. 327
Erklærte Offenb. 284. 304. 260 322.
Gnomon. 45. 56. 58. 320. 327
Harmonie der vier Evangel. 196 209 217. 228. 297. 299. 308 309. 312. 314
Weltalter. 20. 21. 25. 56. 60. 66 67. 71. 80. 86. 89. 91. 94. 102 117. 120. 123. 126. 129. 132 142. 154. 166. 176. 182. 186 189. 191. 192. 194. 202. 231 256. 259. 276. 280. 281. 284 285. 286. 306. 309. 321. 322 326. 336
Zeugnis. 21. 25. 30. 43. 55. 59 63. 66. 67. 69. 85. 89. 90. 96 101. 125. 174. 175. 182. 185 186. 187. 202. 217. 231. 253 260. 265. 275. 299. 300. 301 312

Augu-

Auguſtinus. 338
Autumnus. 16. 30
Babel. 36
Babylon quando capta. 182
Baptiſmus. I. C. 198
Bar-Bahlul. 196
C. F Bauer. 65
Baumgarten. 132
Beda. 299. 352
Behm. 85
Beroſus 165. 166. 178. 373
Beveregius. 23. 274
Biennium poſt diluvium. 42. 55
Bis aliqua refert hiſtoria ſacra. 163
Broughtonus. 17. 228
Brunſmannus. 299
Bucholcerus 85. 367
Buddeus. 18
Bullinger. 248
Burnetius. 46. 347
Cajetanus. 48. 59
Calovius. 85
Calvinus. 346
Calviſius. 85. 195. 207. 223 229. 328
Camerarius. 234
Canon Hebr. 11
Canones antiqui chronologici. 103. 154. 164
Capellus. 43. 59. 76. 198. 202. 352
Captivitas Babylonica, quot annorum. 173
Carolus. 328.
Cario. 51. 85
Alph. a *Caranza.* 39. 270
Carthago. 157
Cary. 39. 131. 133. 134. 168 281. 290
Caſſiodorius. 246
Cedrenus. 298
Cenſorinus. 136. 149. 151. 270 276
Iſid. *Chariſius.* 269
Chronus. 275
Chronologi. 14. 17 ſs. 23. 25 ſ. 38 ſ. 48. 59 ſ. 64 ſ. 67. 76 ſ. 81. 134. 144. 151. 167. 195 229. 254. 286. 290. 299. 393 347. 352. 366 ſ. 374. recentiores, longius errant. 51 68. 71. 130 ſ. 233. 246. Proœm. § XII. In concordiam redigi poſſunt. 255. Chronologiæ ſacræ profanæque nexus. 130 ſ. 155. 161 ſ. 164 ſ. 171 185. 254. Proœm. § IV. chronologicæ veritatis CHARACTERES GENERALES. 41 115 ſ. 117 ſ. 126. 129 ſ. 151 190, 198. 217. 233. 278. 316 ſ. 353. 368. 373. 375. 376
Chronicorum libri 347
Chryſoſtomus. 222. 223. 252
Cicero. 244
Clemens Alexandrinus. 4. 193
Clemens Romanus. 248
Cluverus. 85
Coccejus. 308
Cometæ. 2
Conſummatio ſeculi 335. principio reſpondet. 373
Creatio. 11. 15. 346
Crocius. 346.
Cteſias. 154
Cyclus. 275. canicularis. 136 144. cyclus 400 annorum 274
Cyri annus primus. 182
Dachſius. 201
Darius Hyſtaſpis. 286
Io. *Dekerus.* 197. 230
Deſpagne. 353. 367
Des Vignoles. 25. 38. 61. 64. 65 96. 103. 115 ſ. 117. 120. 122 124. 127. 131. 134. 136. 137 138. 139 ſ. 144. 146. 149. 150 151. 154. 160. 161. 164. 165 169. 183. 195. 230. 254. 255 262. 272. 275. 276. 286. 369 367

Dia-

Diastolo & systole chronologica. 30. 49. 55. 79. 88. 101. 107
Dicæarchus. 150
Dies prior an nox. 25. Etiam *dierum* rationem habet chronologia sacra. 41. 54. 127 209. 296. &c. dies prophetici. 327. dies novissimus 335 f. Proœm. § V.
de *Dieu*. 24
Difficultates. 102
Diluvium. 2. 32
Diodorus, 156
Dornkrellius. 64. 85. 238
Driedo. 294
Eclipses. 168. 170. 177. 193 231
Empactæ. 282. 332. 334.
Encænia. 216
Epiphanius. 199. 207
Epocha Christiana. 191
Epochæ secundariæ. 102
Eratosthenes. 144. 151. 154
Estius. 345
Etymologia nominum. 30. III &c.
Evangelistarum consensio, 231 trajectiones. 211. 217
Europa. 46
Eusebius. 136. 151 f. 154. 207 233. 247. 249. 294
Euthalius. 207. 233
Exitus ex Ægypto. 59
Expiationis dies. 19. 220
Fabricius. 197. 254. 352
Felix. 244
Vinc. *Ferverius*. 347
Festus. 246
Adrian. *Finus*. 342
Flachsland ab Hauingen. 18 352
Friedlieb. 85
Funccius. 51. 255. 298
Futura. 256. Proœm. § 12
Gallio. 240
Gatakerus, 18
Genealogiæ usus in Chronologia. 68
Generationes. 54. 271
Gebhardus. 346
Gerhardus. 271. 329
Glassius. 320
Ioc. *Goar*. 150
Grabius. 124
Græca verba, πέλαγος, δευτερόπρωτον κτλ. 46. 222 & passim.
Grotius. 133
Gudius. 248
Gyraldus. 271. 272
Heinlinus. 85
Hebdomades LXX. 169. 278 — 318. 316
Hebraica veritas vindicatur. 26 f. 39 f. 43 f. 63. 102. 115. 131. 353 Hebraica verba. 24. 219. 293 & passim. Hebraismus. 95
Herodis mors. 192
Herodotus. 144. 146. 148. 149 151. 161. 181. 189. 272.
Hieronymus. 101. 219. 221. 225 233. 238. 246. 247. 249. 250 254. 346
Hiller. 189. 251
Hippocrates. 271
C. G. *Hofmann*. 250
Horatius 225. 273
Hosmannus. 65. 83. 86. 121. 127 198. 366.
Hottinga 254
Huetius. 217
Jansenius. 294.
Jejunium. 19.
Jeremias propheta. 124
Jerusalem quando vastata. 249 quoties eo venerit Dominus. 216
Jobus. 60. 75.
Johannes baptista. 204. apostolus. 250
Jonathan in Targum. 87. 347
Josephus 55. 64. 80. 94. 95. 96 128

128. 134. 141. 144. 147. 157 158. 159. 166. 171. 179. 192 193. 201. 202. 203. 219. 241 243. 244. 245. 246. 250. 253 288. 290. 305. 367. 371
Irenæus. 207
Jubilæi anni. 315
Judæorum Chronologia. 129 169. 171. 302. 369. Judaismi terminus. 247. refutatio per tempora. 334
Jungmannus 165. 278. 320
Kainan. 45
Kepplerus. 168
Kimchi. 43
Klemmius 46. 96
Kochius. 59. 73. 158. 168. 169 280. 353
Sam. *König*. 275.
Kohlreiffius. 2. 64. 84. 86. 120 174. 231. 259. 347. 366. 368 374
Kusterus. 196
Κῶος. 56.
Lactantius. 241.
Lampius. 250. 254.
W. *Lang*. 230. 366
Corn. a *Lapide*. 347
Lapsus Adami. 17
Latinus interpres. 202
Lectiones Mosis & Prophetarum respiciuntur in N. T. 217. 237 314
Liberius de S. Amore. 18
Libri N. T. quando scripti. 250f.
Linea chronologica in Scripturis. 20. 43. 48. 52. 69. 76 84. 88. 96. 115. 117. 122. 126f. 129. 190. 264. 333. 334.
Lightfoot. 17. 19. 201. 210. 224 347
Liphrat katon. 2. 65f.
Lucas. 196. 239
Lutherus. 51. 85. 101. 294. 299 353
Lydyatus. 14. 18. 298. 368
Lyranus. 59. 81. 87. 101
Maccabaicorum locus emendatus. 324
Scip. *Maffejus*. 230
Maji F. 24
J. T. *Major*. 238
Manethon. 136. 137. 140. 141 143. 144. 151
Marcus. 251
Markius. 18. 347
Marsham. 134. 137. 139. 150 168. 278
Martinius. 132
H. *Mascampius*. 352
Massæus. 76
Matthæus. 251
Matthæus Parisiensis. 367
Medicus. 369
Medium verum. 81. 195. 207 222. 238. 247. 253. 268. 365
Megerlinus. 168. 255
Melanchthon. 85. 293. 294
Melchioris. 54. 278
Menander. 157. 159
Mendesius. 133
Mensis Abib primus. 16. 24
Menses. 117. lunares, 375. 605. eorum longitudo. 375. menses prophetici. 301
Ger. *Mercator*. 76
Messis. 218. 335
Methodus in annis regum. 101 111
Meyer. 27. 28. 39. 59. 63. 102 104. 113. 130. 139. 147. 297
Michlal Jophi. 273. 370
Millius 196. 242
Moestlinus. 367
Molad tohu. 25
Montefalconius. 196
Alex. *Morus*. 45
Moses. 149. 227
A. *Mullerus*. 62. 132

Mundi initium. 155. 20. ætas tota. 329
Munsterus. 294
Nativitas J. C. 198. 207
Nebucadnezaris annus primus. 176
Newtonus. 207. 296. 322
Nicephorus. 64
Phil. *Nicolai*. 18
Nomina veterum. 30
Novilunium 235.
Noris. 195.
Numeri. 130. 378
Numismatum usus. 192. 202. 250
Oecolampadius. 168. 169
Offerhusius 67
Olympiades. 150. 169 231
Opinione pascuntur multi. 255
Orosius. 155
Osiander 321. 328
Alph. *Pandulphus*. 347
Pascha. 63. 227. Paschata tria inter baptismum & resurrectionem J. C. 206
Passio J. C. 191. 229
Patres. 28
Paullinus. 177
Paulus. 235
Pearson. 276
Pelagus. 46
Pentecoste. 219. 234
Pererius. 18
Periodus Juliana. 14.
Perkinsius 353
Petavius. 39. 71. 136. 255. 365
Petitus. 198. 227
Petrus. 240. Romæne fuerit annos XXV. 241. prædicatio Petri. 224
Pezron. 353
Phlegon. 230. 231
Plenilunium. 24. in fine. 373
Plinius. 46. 149. 189
Pontificum hebr. successio. 168
Præadamitæ. 11
Preielius. 368. 377
Prideaux. 161. 168. 290. 297
Pritius. 250
Procopius. 48
Propheta historicus. 87. 89. prophetæ priores. 97. prophetiæ donum in V. T. 305. prophetica tempora. 170
Ptolemæi Canon. 170. 177. 178 179. 182 190. 297. 300
Quadrageni anni. 88. 228. dies 270
Rabbini. 31. 104
Ranzovius. 271
Raphelius 56
Aor. *Rasjid* 328.
Rathlef. 66
Ravius. 255
Regum libri, unus. 97
Relandus. 368
Religionis christianæ veritas. 282. 318. 335
Remarques chronologiques. 303
Reyherus. 374
Rhenferd. 117
Cass. *Rhodius*. 153
Ribera. 81
Ricciolus. 366
Rivinus. 18. 26. 352
Roeslinus. 18
Romæ conditæ anni. 169
Rumpæus. 250
Sabbatici anni. 71. 356. 369
Sabbatum. 17 &c. secundoprimum. 222
Sachisch. 116.
R. *Salomo*. 86. 370.
Samaritana chronologia. 26. 43.
Saphiach. 116
Sapientia. 257. 264. 265
Sarus. 276. 319
Scaliger. 59. 201. 255. 283
Scenopegia. 16. 226
Scheuchzer. 72
Schillingius. 18. 368. 369
Schraderus. 19. 167
Schurzfleischius. 25

Scotus Erigena. 275
Scriptura, DEI liber. 35. 334 sibi constat. 131f. etiam cum aliquid reticet, docet. 54. 164 & accurate & modeste tractanda, præsertim in temporibus. 11. 256f. 296. Prooem. §. 1.
Seculum. 272
Seder olam. 63. 90. 129. 140. 366
Seldenus. 60
Selneccer. 85
Semiduplex oratio. 77. 187
Seneca. 373
Septenarius. 267. 273. 317. 334 338
Septuaginta interpretum chronologia. 26. 44f. 55. 131. 353
Shukford. 35. 139. 161
Siegesbeck. 353. 376.
Simplicitas. 51
Sinenses. 132. 231
Solinus. 159
Spanhemius. 64
J. C. *Speidel*. 66
Starkii Bibelwerk. 186
Strauchius. 23. 85. 347. 365
Sudermannus. 322
Suetonius. 245
Suidas. 276
Sura. 155. 156
Surenhusius. 220
de *Sylvestris*. 169. 195. 203. 352
Syncellus. 131. 134. 137. 139 144. 146. 149. 150. 151. 158 179
Tacitus. 244. 245. 249
Temporum cognitio. 15. 256 Prooem. §. 1. seqq. harmonia. 377. tempus, speciali significatu. 272. 325.
Tertullianus. 203.
Thargum. 64. 79. 87. 347
Theocratia. 80
Theodoritus. 252
Theophilus Antiochenus. 158
Theophylactus. 222.
Thomasius. 167
Thrasyllus. 103
Tiedius. 374.
Tlischa. 65
Tostatus. 81
Tridentinum Concilium. 28
Trigoni astrologorum. 333
Phil. a *Turre*. 197
Tyrii. 157. reges. 95
Tzetzes. 225
Varro. 169
Vellejus. 155. 156
Venetus. 347
Ver. 16. 17. 90
Versiones. 64
Veteres. 208
Victor. 245
Virgilius. 306
Vitringa. 173. 331
G. *Vossius*. 57. 76. 81. 156. 254
Is. *Vossius*. 133. 254. 290
Urbs. 306
Ursinus. 18
Usserius. 48. 156. 233. 237. 248 255. 336. 350. 352
Wasmuthus. 255
Weinheimerus. 286
Wichmannus. 366
Wideburgius. 2
Wisthon. 2
Witsius. 250
Wolffius. 231
Xenophon. 182. 321
Xerxes. 167f. 189
Zacharias accurate diem notat. 296
Ant. *Zara*. 347
Zeltnerus. 104. 115. 294. 347

Excusum Lector velim putet.

pag.		lin.				
	1.		15.	non	103,	sed 130
	8		14		3903	3900
	12		26		2617	2717
			28		2717	2817
	16		25		XXXIII	XXIII
	21		8		expiatio	expiationis
			5.	in margine	24	13.
	26		8		definit	definiit
	31		10		coevus	coævus
	35		11		constitisse	constituisse
	44		18		130	100
	63		3.	in marg.	experdantur	expendantur
	68		3		Salomonem	Sulmonem
	86		1.	in marg.	pro	in
	115		5.	marg.	mea	meæ
			6.	marg.	scripta	scripti
	140		27		16.7	1.6.7
	166		2		48	43
	175		2		XLVII	XLVI
	180		21		vocavit	vacavit
	184		8.	marg.	39	38
	230		17		27	22
			22		73	63
	250		9		264	228
	253		12		237	206
	287		3		210	184
	293		13		198	172
	302		4		$\frac{14}{63}$	$\frac{4}{63}$
	311		1		273	235
	314		27		273	235
	335		2		23	20
	336		14.	marg.	5	4.

Porro pag. 2. lin. 6. marg. lege. Non. p 4. l. 4. marg. cReatione. p. 8. l. 11. adde, *ante* Æ. D. p. 9. l. 19. Quartinus. p. 14. l. 28. ærÆ. p. 16. l. 15. (post in maximis) adde, *in minimis*. p. 20. l. 24. ponatur (4) ante 13 Tisri. p. 24. l. 30. ררח p. 23. l. 13. dIem, p. 24. l. 4. menSis. p. 29. l. 9. pactO. p. 31. l. 11. NoaCho. p. 36. l. 17. remotior. p. 37. l. 3. pasCha. p. 41. l. 27. *dierum*, dele. p. 43. l. 1. diluviuM. p. 45. l. 12. ipSa. p. 59 l. 12. post (Nam) adde, *ante pressuram*. p. 82. l. antepenult. lege coNjunctim, p. 87. comprehenduntVr. p. 89. l. 8. marg. mOrtem. l. 5. jUdicabat l ult qVum. p. 90. l. 2. marg. Cum. p. 91. l. 19. marg. loCa. p. 102, l. 13. iMbecilliorum. Ibid. l. 1. marg. nONnullis. p. 104. l. 25. ChronolOgia. p. 110. l. 1. marg. hVnc. p. 112. l. 13. intervallVm. l. 20. simiLi. p. 115. l. 3. marg. ante (Moses) adde, ubi. l. 5. marg. quA. p. 116. l. 3. marg. *Sachi*sch. p. 117. l. 4. marg. suppetebat. l. 9. marg. elabo.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853554960/phys_0437
DFG

elaboratI. p. 121. l. 29. naTIvitatem. p. 129. l. 4. annorVm. l. 18. CiſLeu. p. 138. l. 3. caUſſa. p. 139. Shuckford. p. 149. l. ult. utrumqVe. p. 161. l. 29. putamiNa. p. 171. l. 3. conjunguntVr. p. 172. l. 19. §. *IV.* Fit- p 173. l. 23. Babeli *LXX* anni. p. 180. l. 22. conjunctVs. p. 182. l. 20. marg. dele, *Cyri.* p. 185. l. 2. marg. brevI. p 186 l. 8. marg. בזה. p. 191. l. 5. marg. *a*poc Alypſin p. 196. l. 16 JulIani. p. 199. l. 27. allIque. p. 220. l. 1. marg. τεθραυσμενους. p. 222. l. 9. δευτεροπρωτω. p. 227. l. 13. qVo. p. 228. l. 3. marg. proximE. p. 229. l. 30. veſperE. p. 230. l. 32. confer *p.* 228. p. 232. l. 8. *Q*uod. p. 236. l. 21. Præparatur. p. 242. l. 3. GalatAs. p. 243. l. 6. ſperaNs. p. 248. l. 17. qVos. p. 257. l. 20. ſIgilla' p. 259 l. 1. marg beatitatIs. p. 300. l. 1. marg. duAbus. p. 324 l. 22. interiTu. p. 329. l. 2. DEFiNITA. p. 345. l. 14. diſtinctiſſiMe. p. 253. l. 1. ad paſſionem. l. 2. del. ad. &c.

	Ma.	M.	L.
te , 40			
us ante			
onem.	17, 1 - 13	2 - 13	28 - 36.
. Lunati-			
postridie			
t : passio-			
iterum			
dicit.	14 - 23	14 - 32	37 - 45.
Pro se &			
statterem			
jubet :	24 - 27		
salubres			
alis do-			
imper-			
	18, 1-35	33 - 50	46 - 50.
ffionale fi.			
ltu susci.			
LXX mit-			
ocet.			51 - 13, 9.
, sanat			
em.			10 - 21,
ta angu-			
net : eo-			
e non in			
Hero-			
d Hiero-			
s, se mori-			
declarat.			22 - 35.
, sanat			
icum :			
docet.			14, 1-18, 14.

anat.

X. 16. M. X. 1 — 31.

5 — 30.

, Lazarum resuscitat :

.

— 57.

am versus, de passione loqui-

transit.

— 34. M. X. 32 — 52.

31 — XIX. 28.